
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

1,-372 b/

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01689 0

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

CHRISTIANI MATTHIÆ
SS. Theol. Doctoris, ejusdemqve in Academiis Altorfina & Sorana Profeſſoris Publ. Hagienſis demum Eccleſiæ A. C. Paſtoris Primarii

ANTILOGIÆ BIBLICÆ

SIVE

CONCILIATIONES DICTORUM SCRIPTURÆ SACRÆ
in ſpeciem inter ſe pugnantium

Secundum

Seriem Locorum Theologicorum
in ordinem redactæ,
Ex autographo B. A. nunc primùm in Lucem
protulit

JOHANNES SCHELHAMMER, Hamburg.
Ejusdem Eccleſiæ Hagienſis Paſtor Senior

Cum triplici Indice,

Videlicet

Locorum, Dictorum & Verborum, ſive Rerum memorabilium ſecundum Alphabeti Ordinem.

HAMBURGI,

Apud GOTTFRIED LIEBEZEIT, Bibliop.
ANNO MDCC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

B.R.H.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

JESUM & in eo Omnia!

AD LECTOREM BENEVOLUM.

PHiliſtæi olim puteis illis, quos Iſaac per ſervos ſuos foderat, acerrimè inſidiabantur, & ad jurgia usque cum Patriarcha deſcendebant, litemque ex lite ſerebant: pari ratione Pontificii Scriptores fontibus illis Iſraëlis, Scripturis nempe Propheticis & Apoſtolicis, quos Deus per ſervos ſuos Eccleſiæ commendavit, acerrimè inſidiantur, & ad apertum bellum nobiscum deſcendunt, hos turbidè & obſcurè fluere dictitantes, cùm tamen credendum ſit, multò puriùs manare fontis undam, quàm rivi, teſte Hieron. lib. adverſus Helvidium. Juriſconſulti monent ad legem

ipſam recurrendum eſſe, ſi quando controverſia de ſenſu legis oriatur; Verùm Adverſarii noſtri non eam exhibent Scripturæ reverentiam, quam Juriſconſulti legibus civilibus exhibent, non ſecùs ac ſi leges divinæ deterioris eſſent conditionis. Imò eò usque progreſſi ſunt audaciæ, vel potiùs impietatis, ut ſacrum codicem hæreſium cauſam, naſum cereum, regulam Lesbiam, imperfectum, obſcurum clamitent, & hoc ultimum probare conantur, quod Scriptura Scripturæ contradicat: Sed nos firmisſimè credimus, in univerſa Scriptura ſacra nullam contradictionem occurrere, cui requiſita oppoſitionis conveniant, ſed ſi quæ ſe offerant, ex locis parallelis commodè conciliari poſſe. Si quis ad Philoſophicam diſciplinam, ut cæteras omittam, ſe conferat, nonnullos in ea errores contrariasque opi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

niones perſpiciet: at in ſacris literis omnia ſibi reſpondent, ut nihil ſit, quod non optimè inter ſe cohæreat: Sed unde quæſo proveniunt hujusmodi Pontificiorum in Scripturam ſacram calumniæ? Inde ſanè, quod concatenatam textus ſeriem, antecedentium & conſequentium nexum, ſusque deque habent, & quicquid primo intuitu ſe offert, id ſine indagatione arripiunt. Longè aliter ſentit Hilarius, quando ſcribit: dictorum Scripturæ intelligentiam aut ex præpoſitis, aut ex conſequentibus exſpectandam eſſe, Lib. 9. de Trinit. Ut enim inter textus immediatè conjunctos arcta ſæpe cohærentia eſt, ita non minor eſt inter disjunctos quandoque convenientia, una alteri quaſi faculam accendente, & lucem intelligendi communicante. Quando igitur concedimus in Scriptura Sacra contradictio-

nes occurrere, tùm ſemper apparentes intelligimus, ſed non veras, aliud enim eſt εἶναι & aliud φαίνεσθαι. Unde Auguſtinus lib. 5. cap. 8. de Gem. teſtatur, nullam eſſe in Scriptura Sacra repugnantiam. Hoc ipſum eruditè demonſtrarunt magni nominis Theologi, Dd. Chemnitius, Lyſerus, Gerhardus, Glaſſius, Meyfartus, Walitu-rus, Pfeifferus & alii plurimi, fulgidiſſima Eccleſiæ orthodoxæ lumina, quibus meritò accenſendus eſt D. Chriſtianus Matthias, meus olim in Miniſterio Hagienſi Anteceſſor clariſſimus, qui eruditis ſcriptis ante plurimos annos abundè innotuit, quod idem ex poſthumis, non minoris doctrinæ ſcriptis, quilibet facillimè poterit judicare. Ex illis impræſentiarum Antilogias Biblicas diu deſideratas exhibeo, quas Author imperfectas reliquit, ſed rogatu Amicorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ex variis hinc inde diſperſis ſchedis collegi & abſolvi non ſine labore. Quippe, cum pleraque compendioſis notis, quas abbreviaturas vocant, conſcripta eſſent, multis in locis divinandum mihi fuit, antequam verum ſenſum invenire potui, proinde nonnunquam meliorem vocem, vel aliud verbum inſerere coactus fui. Hæc ſunt, quæ præfari volui, Lector benevole, Vale, conatibus meis fave, & breves ſelectasque in Novum Teſtamentum ejusdem Authoris obſervationes à me expecta, ſi ego valuero, & DEus voluerit, cujus gratiâ & benignitate annum ætatis octogeſimum tertium ago, fermè decurrentem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

SIc edis tandem plures optata per annos
Atqve doces ſcriptis, vita quod ante docet.
Omne, quod in ſacris dubium latet, arte reſolvis
Et dubium vitæ ſurripis omne tuæ,
Sic decet & vita, & ſcriptis, & voce docere
Theiologos, queis tu, care, Magiſter eris.

Ita maximè Reverendo Domino Patruo ſuo Antilogias Biblicas edenti vere & ſincere accinit

Joh. Schelhammer, L.
Hamburg.

Πρoσφώνημα.

DUm per luſtra decem ſacrato es munere functus,
Te, venerande Pater, juſta quies ſeqvitur,
Aſt indefeſſo ſtudio, vigiliqve labore
Oſtendis, quod ſint otia nulla Tibi.
MATTHIAS MAGNUS redivivus ſiſtitur a Te,
Ex quo perpetuum carpis uterqve decus,
Octonos decies & tres modo tranſigis annos,
Det DEus, ut ſecli jubila grata canam.
Perge favore Dei promiſſum abſolvere penſum,
Theologi eſt, annos ſic numerare ſuos.

Sic reverendo, pio ac erudito Seniori D. JOHANNI SCHELHAMMERO *in Chriſto Patri & Collegæ deſideratisſimo accinebat*

JOHANNES COLERUS, Paſtor
Auguſt. Conf. Hagienſium.

ANTI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ANTILOGIARUM BIBLICARUM
Locus I.
DE
SCRIPTURA SACRA.

§. 1. ANTILOGIA I.

LUc. 1. v. 70. DEus loqvutus eſt per Os SANCTORUM, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ſuorum. Et *2. Pet. 1. v. ult.* à Spiritu S. impulſi loqvuti ſunt SANCTI DEI homines.

At *Num. 24. v. 2.* dicitur, quod Spiritus S. per *Bileamum* Pſeudoprophetam locutus ſit. Nam *v. 2.* dicitur, quod Spiritus irruerit ſuper eum. Et *v. 14.* & *16.* inquit ipſe *Bileamus* de ſe, quod oculus ſuus ſit apertus, quod ſit auditor ſermonum Dei, quod doctrinam Altiſſimi noverit, & viſiones Omnipotentis viderit. Et *v. 17.* & *ſeqq.* inſigne vaticinium de *Stella oritura* ex *Jacob*, h.e. de Meſſiæ origine & Nativitate, ejusqve perſona & officio edidit. Quod autem *Bileamus Pſeudopropheta* fuerit, ex multis Scripturæ locis evidenter patet. Nam *Num. c. 22. v. 5.* vocatur *Ariolus*, confer *Num. 24. v. 1.* D. *Petrus 2. Epiſt. cap. 2.* appellat eum *filium maledictionis*, quando inquit: Omnes filios maledictionis ſequi viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amârit. *Judas v. 11.* Uno loco ſunt Cain, Core & Bileam. *Johannes* Theologus in *Apocalypſi cap. 2. v. 14.* Doctorem ſcandali & fornicationis eum vocat. Rurſus D. *Petrus 2. Ep. 2. v. 16.* eum *Prophetam dementem* nominat. Hæc autem omni modo inter ſe pugnare videntur.

§. 2. *CONCILIATIO.*

I. Diſtingvendum hîc eſt inter *Prophetas perpetuos* & *ambulatorios* ſive *tranſitorios*. Sancti fuere Prophetæ, quorum opera DEus in munere

prophetico uſus eſt perpetuò. Verum Bileamus Propheta fuit ambulatorius & periodicus, cujus operâ DEus in benedictione populi Iſraëlitici & vaticinio de Chriſto edendo ad tempus uſus eſt.

II. DEus uſus eſt opera Bileami non ἡγεμονικῶς, & deſtinato conſilio, ſed ἀφορμητικῶς καὶ συμβαβηκότως, h.e. *occaſionaliter* & per *accidens*. Occaſio autem hæc erat. *Num. 22. v. 1. 2. 5. 6. & 7.* legimus, quod *Balaac* Rex Moabitarum videns Iſraëlitas, Regibus Amorrhæorum devictis, caſtra ſua in campeſtribus Moab metatos eſſe, nuncios ad Balaam Ariolum & Pſeudoprophetam miſerit, eumque magno pretio conduxerit, ut populo Iſraëlitico malediceret. DEus autem ſeriò ei præcepit, ut patet ex *v. 35.* ne aliud quicquam loqueretur, quam ipſe ei præcepturus eſſet. Quare Balaam à Rege Balaac populo Iſraëlitico maledicere juſſus, irruente Spiritu Dei ſuper eum, perqve lingvam ejus loquente, eidem benedixit, & hoc inſigne de Meſſia vaticinium edidit, & ſic Propheta Dei commendabilis ad tempus fuit.

III. *Bileam* dupliciter conſiderari poteſt: 1. Προσωπικῶς, h. e. *ratione perſonæ*, & ſic malus, magus, ariolus, & profanus homo fuit. 2. Διακονικῶς, h. e. *ratione officii & miniſterii:* & ſic Propheta Dei bonus ad tempus fuit. Ipſe enim nihil ex ſuo ſpiritu, ſed ex Spiritu DEI locutus eſt, quæcunque loqvutus eſt. Quando enim *Num. 24. v. 2.* dicitur, quod Spiritus Dei irruerit ſuper eum, tum hic ſenſus eſt; Quod DEus, vel manu injectâ eum tenuerit, & non ſolùm lingvam ejus ad prophetandum direxerit: verum etiam ita eum afflaverit, ut in novum quaſi mutatus hominem, non ex proprio quicquam, ſed ex ore Dei loqui omnia auditus ſit. *Luth.* eleganter reddidit: Und der Geiſt GOttes kam auff ihn. Quo ipſo Deus immenſam ſuam tum ſapientiam, tum potentiam declaravit, qui etiam per mala organa bona benè agere novit.

§. 3. DUBIUM I.

At ſi Bileamus *impius* fuit, quomodo Propheta dici potuit, aut quomodo non ab impietate vaticinantis vaticinium ipſum vitium contraxit?

℞. Non omnis, qui prophetat, ſtatim pius eſt cenſendus. Nam & *Saulus* & *Caiphas* prophetârunt, *1. Reg. 10. v. 10. 12. Joh. 11. v. 50. 51.* qui tamen extremè impii & profani fuerunt, neque tamen vaticinia ipſorum propter impietatem eorum impietate commaculata ſunt. Doctrina enim ſi vera ſit, vitium à Doctore non contrahit: Sed contra Doctor à doctrina vitium contrahit, ſi illa prava ſit. *Simile exemplum* habemus in Sacerdotibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tibus & Ariolis Philiſtiim *1. Sam. 6.* Cum enim Philiſtæi conſulerent Sacerdotes ſuos, quid de arca Dei faciendum? v. 3. *Illi dixerunt: Si remittitis arcam Dei Iſraël, nolite eam dimittere vacuam: Sed oblationem pro peccato reddite ei, & tunc curabimini: & ſcietis, quare non recedat manus ejus à vobis.* v. 4. *Qui dixerunt: Quid eſt, quod in oblationem pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderuntq; illi: juxta numerum Satraparum Philiſtinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis & Satrapis veſtris.* v. 5. *Facietisq; ſimilitudines anorum veſtrorum, & ſimilitudines murium, qui vaſtârunt terram, & dabitis Deo Iſraël gloriam: Si fortè relevet manum ſuam à vobis, & à Diis veſtris, & à terrâ veſtrâ.* Hæc ſuaſiſſe creduntur hi Sacerdotes & Arioli ex occulto Spiritus S. inſtinctu. Etſi enim Idololatræ & Magi erant (& utrumque hoc hominum genus Deus vehementer deteſtatur) tamen ſicut per ariolum Bileamum Deus vera vaticinatus eſt: ita etiam ad illuſtrandam gloriam ſuam Deus ſalutare conſilium Philiſtinis per reſponſa Sacerdotum & Ariolorum ſubjecit. Quâ de re *Chryſoſtomus in Matth. homilia 6.* ita ſcriptum reliquit? Quoniam vatibus iſta dicentibus illarum tunc regionum populi crediderunt, eorumque implevere præceptum. Deus quoque condeſcenſione ſolitâ divinorum ſententiam comprobavit: nec Majeſtate ſuâ putavit indignum, in effectum operis profanorum dicta perducere, idque agere, ut illi fideliter viderentur iſta ſuaſiſſe. Ad majorem ſiquidem Dei gloriam pertinebat, ſi virtus ejus etiam inimicorum teſtimoniis panderetur, & ſi ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam ferrent de veri Dei poteſtate ſententiam. Hæc ille. Quare vaticinium non æſtimandum eſt ex cauſa inſtrumentali, ſed potius principali: Quia cauſa inſtrumentalis agit in virtute cauſæ principalis. Nam juxta Logicorum Axioma: Vitium inſtrumenti non ſemper vitiat ſubſtantiam effecti. *Theologi* utuntur hoc Axiomate: Prophetarum veritas non dependet ab indignitate aut impietate hominis prophetantis, ſed unicè dependet à veracitate Spiritus S. eam homini inſpirantis, & per eundem eam annunciantis.

§. 4. *DUBIUM II.*

At ſi Bileamus fuit Magus, quomodo Propheta eſſe potuit, aut ſi fuit Propheta, uti *Petrus* Apoſtolus eum vocat, utique non fuit Magus: quia definitiones Prophetæ & Magi planè ſunt contrariæ?

℞. I. Χεϱικῶς. Tempora diligenter ſunt diſtingvenda, & optimè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

concordabit Scriptura. Quando Bileamus fuit Magus, non fuit Propheta, & quando fuit Propheta, non fuit Magus.

II. Διακριτικῶς. Diſtingvendum eſt inter *Magum ratione tituli & exercitii*. Quando Bileamus vaticinium hoc inſigne edidit de Meſſia, eo tempore Magus ratione tituli quidem fuit, ſed tamen dici Magus ratione exercitii non potuit. Quia Spiritus S. organon in hoc actu ſolenni fuit.

III. Ὑποληπτικῶς. Bileamus & Magus & Propheta fuit καϑ᾽ ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον. *Magus* execrabilis fuit, quando magiam contra Dei voluntatem & præceptum exercuit: At *Propheta* commendabilis fuit, quando ſecundum voluntatem DEI & mandatum populo Iſraëlitico non maledixit, ſed benedixit, vaticiniumque de Meſſia verè divinum vidit atque protulit.

§. 5. *Dubium III.*

At ſi Bileamus fuit Doctor ſcandali & fornicationis, *Apoc. 2. v. 14.* quomodo Dei Propheta, & Os Dei eſſe potuit?

℞. Rurſus tempora & objecta ſunt diſtingvenda. Bileamus Propheta fuit reſp. vaticinii de Chriſto editi &c. ſed *Doctor ſcandali & fornicationis* fuit, quando conſilium dedit Medianitis & Moabitis, ut Iſraëlitas per fœminas ſuas ad fornicationem tum corporalem tum ſpiritualem provocarent, uti ex *Num. 24. v. 14.* patet. Et *Joh.* in *Apoc. 2. v. 14.* diſertè ita explicat, quando inquit: Bileam docebat Balaac mittere ſcandalum coram Filiis Iſraël, edere ex iis, quæ ſimulacris immolantur & ſcortari. Qua de cauſa etiam à Moſe Balaam gladio interfectus eſt, *Num. 31. v. 8.*

§. 6. *Dubium IV.*

Si Bileam ſimul fuit Propheta, & Doctor ſcandali, fuit ſimul & Dei & Diaboli miniſter, quod admodum inconveniens videtur: quia ipſe Chriſtus *Matth. 6.* inquit, quod nemo duobus Dominis contrariis ſervire poſſit.

℞. 1. Nemo Dominis contrariis in re unâ eademque, & eodem tempore, ſed in rebus diverſis, & tempore diverſo ſervire poteſt: Et ſic unus idemque Doctor & Dei, & Diaboli miniſter reſpectu diverſo eſſe poteſt. Dei miniſter eſt, qui Dei eloquia enunciat; ſed Diaboli miniſter eſt, quatenus ex inſtinctu Satanæ Verbum Dei depravare, alioſqve corruptelis ſuis hæreticis ſeducere allaborat.

2. Exemplum hujus rei elegans habemus in *Juda* proditore, de quo Chriſtus dicit *Joh. 6.* quod ſit Diabolus, & tamen ille cum reliquis Chriſti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Diſcipulis Evangelium de Chriſto prædicabat, & miraculis confirmabat: Ergo *Judas* diverſo reſpectu & Dei, & diaboli miniſter fuit. Simile quoque exemplum in Phariſæis habemus, de quo vide *Jerem.15.* & *Matth. 23. v. 2. 3.*

§. 7. DUBIUM V.

Si *Bileam* Spiritus S. organon fuit in edendo vaticinio de Chriſto verè & merè divino, utique dicendum videtur, quod Bileamus fuerit renatus: quia vaticiniorum inſpiratio eſt opus ſingularis gratiæ Spiritus S. ac proinde cum præſentia Spiritus S. gratioſa eſt conjuncta. Aut ſi hoc non, dicendum eſt, Spiritum S. opera gratiæ in hominibus impiis & extremè profanis producere, id quod ἀθεόλογον καὶ παράλογον videtur.

℞. I. *Ambroſius* in verba Apoſtoli *1. Cor. 12. v. 3.* Nemo poteſt dicere Dominum JEſum, niſi in Spiritu S. venuſtè & eleganter inquit: Omne verum à quocunque dicatur, à Spiritu S. eſt. Confirmatur hoc Axioma D. *Ambroſii* à contrario. Sicut omne mendacium à diabolo eſt, etiamſi dicatur à Sanctis: quia ipſe Diabolus mendax eſt ab initio & pater omnis mendacii *Ioh. 8. v. 44.* Ita etiam omne verum, vel omnis veritas à Spiritu S. eſt, etſi proferatur à malis. Quia Spiritus Dei Spiritus Veritatis eſt. Idcirco quicunque confitetur JEſum eſſe Dominum, eſſe Jehovam & Servatorem, denique eſſe id, quod Scripturæ prædicant eum eſſe, is hoc dicit à Spiritu S. doctus: Nam etiam Spiritus S. per impios loquitur, ut per Caipham, *Joh. 11. v. 51.* & per diabolos ipſos, cum JEſum confiterentur eſſe Filium Dei, *Marc. 1. v. 24.* imò & per beſtiam, ut per aſinam Bileami, *Num. 22. v. 28.*

II. Hoc autem ita intelligendum non eſt, quaſi aſſeramus, Spiritum S. virtute regenerationis & ſanctificationis habitare in impiis. Minimè verò: Sed in impiis per ſua agit dona, quæcunque illa ſint, quanquam ad ſalutem ipſorum nihil proſint, ſed potius ipſis cedant ad majorem condemnationem.

III. Diſtingvendum eſt inter dona Spiritus S. miniſtrantia & ſanctificantia. Illa ſunt Lingvarum dona, vaticinandi privilegia, poteſtas edendi miracula, *Matth. 7. v. 22. & 23.* Hæc verò ſunt Fides, Spes, Dilectio, vera Dei invocatio &c. Illa conceduntur non tantùm piis & electis, ſed etiam impiis, qui illis quidem egregiè exornantur, ſed inde non ſanctificantur, aut regenerantur: Hæc verò ſolis conceduntur piis & electis, qui hiſce & exornantur & ſanctificantur. Bileamo autem ad tempus ſunt conceſſa à Spiritu S. dona miniſtrantia, ſed non ſanctificantia. Manſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

igitur Bileamus in ſe Pſeudopropheta aſinâ ſuâ non melior, quæ & fuit & manſit animal brutum & irrationale, quamvis locuta ſit, & ad tempus rationaliter ſeſe habuerit.

IV. Huc elegans pertinet diviſio operationum, quam habet *Armandus de Bell.Viſ.tractatu 2. cap.126.* ubi inquit: 1. Quædam opera ſunt *A* Spiritu S. ſed non *CUM* Spiritu S. ut: Virtutes & dona in impiis. 2. Quædam ſunt & *A* Spiritu S. & *CUM* Spiritu S. ut: Bona opera in renatis. 3. Quædam ſunt *CUM* Spiritu S. ſed non *A* Spiritu S. ut: peccata venialia in renatis. 4. Quædam neque ſunt *A* Spiritu S. neque *CUM* Spiritu S. ut: peccata mortalia in impiis. Primo reſpectu operatus eſt Spiritus S. in Bileamo.

V. Alii Theologi diſtinguunt inter Spiritum S. & ſanctificationis: Illum impiis, ut *Saulo*, *Caiphæ*, *Bileamo*, aliisque: Hunc verò ſolis piis concedi ajunt. Etſi enim unus idemque Spiritus, & perpetuò Sanctus eſt, non tamen ubique neque omnes ſanctificat, ſed absque communicatione illa ſalutari, quædam etiam in impiis dona confert. Vid. *Iſiodor. lib.1. Sentent.* qui ex *Gregorio lib. 7. Moral. c. 1.* hoc dictum recitat: Aliquando, inquit, non dignis ſed reprobis dona Spiritus S. conferuntur: Sicut Sauli data eſt prophetia & Bileamo: Unde & multi in fine dicturi ſunt: Domine, nonne virtutes in nomine tuo fecimus? quibus dicturus Dominus: Neſcio vos, unde ſitis, *Matth. 7. v. 13. Luc.13. v. 25.*

§. 8. *Dubium VI.*

Anne fides hujus prophetiæ à Bileamo editæ elevetur, quod ſe tantopere commendet, nomen ſuum inculcet, & glorioſa de ſeipſo prædicet, id quod in perſonam Prophetæ, quam ipſe ad tempus ſuſtinuit, parum quadrare videtur.

℞. Abſit. Cùm enim ſcriptor libri alicujus prophetici nomen ſuum inculcat, inde nequaquam ſequitur, librum illum non eſſe divinum & Canonicum: ſiquidem aliud eſt hiſtoriam, aliud prophetiam ſcribere. Hiſtoriæ enim veritas aliunde potiùs quam à ſcriptore pendet: in prophetia verò, quia rem futuram prædicit, quo de ejus certitudine conſtet, hoc imprimis requiritur, ut, quis prophetiam illam patefecerit, quis ſcripſerit, intelligamus. Ideò videmus non modò in Prophetiarum initiis, ſed etiam in ſingulis penè viſionibus, nihil æquè ſolicitè adſcribi atque Dei revelantis, & Prophetæ ſcribentis nomen. Hinc *Eſaias* in ſuo libro nomen ſuum decies ſepties exprimit, nempe *c. 1. v. 1. c. 2. v. 1. c. 7. v. 3. c. 13. v. 1.*

c. 20. v. 2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

c.20.v.2.3. c.37.v.2.5.6. & *21. c.38.v.1.4.21. c.39.v.3.4.5.8.* Et *Jeremias* ad minimum centies vicies bis nomen ſuum inculcat. Similiter *Daniel* Pro. pheta ſeptuageſies nomen ſuum expreſſè poſuit & repetivit: & à *c.7.8.9.10.* in quibus viſiones ejus deſcribuntur, ſepties uſurpat hæc verba אני דניאל *Ani Daniel*, EGO DANIEL, videlicet *c.7.v.15.28. c.8.v.15.27. c.9.v.2. c.10.v.2.7.* Ita *Johannes* in Apocalypſi nomen ſuum quinquies inculcat, & tribus in locis (quemadmodum Daniel) nomen ſuum exprimit hunc inmodum: Ἐγὼ Ἰωάννης, EGO JOHANNES, nempe *c.1.v.9. c.21.v.2.* & *cap.22.v.8.*

Hinc igitur patet, quod tantum abſit, ut authoritas vaticinii Bileami de Stella Jacobæa, *Num.24.v.17.18.* mentione nominis Bileami (quando inquit: Dixit Balaam, filius Beor, dixit homo, cujus apertus eſt oculus, dixit auditor ſermonum DEI, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus, *v.3.* & *4.* quæ verba *v.16.* & *17.* repetuntur) enervetur, ut etiam potentius confirmetur, ſicut ex exemplis *Eſaiæ, Jeremiæ, Danielis* & *Johannis*, anteà allatis, videre eſt.

§.9. ANTILOGIA II.

LUcas *Act.1.v.1.* aſſerit, ſe omnia Chriſti dicta & facta conſcripſiſſe, quando inquit: Superiore volumine diximus, ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit JEſus tum facere tum docere.

At *Johannes* in Evangelio *c.21.v.25.* ſcriptum reliquit: Sunt & alia multa, quæ fecit JEſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe opinor mundus caperet eos, qui ſcriberentur libros.

§.10. *CONCILIATIO.*

I. Prior Locus non ita eſt intelligendus, quaſi *Lucas* ſentiat, ſe omnia Chriſti dicta & facta κατ᾽ ἀριθμὸν, h.e. quoad numerum ſive in Individuo conſcripſiſſe. Hoc enim diſertè *Johannes* factum eſſe negat. Quare phraſis illa (OMNIA SCRIBERE) non in ſenſu abſoluto ſed limitato eſt intelligenda.

II. Accuratè diſtingvenda ſunt *Acta* Chriſti *privata* & *publica*: *Acta* Chriſti *privata* ſunt, quæ edidit ille in vita privata, h.e. antequam Miniſterium eſt ingreſſus. Hæc ſanè acta & dicta pueritiæ & adoleſcentiæ Chriſti, uti reliqui Evangeliſtæ: ita etiam *Lucas* paucis attigit. *Lucas* enim deſcriptâ Chriſti Nativitate mox ad annum 12. tranſilit, ac poſtquam expoſuiſſet,

poſuiſſet, illum in templo Hieroſolymitano cum Doctoribus legis ad ſtuporem uſque diſputâſſe, annis 18. ſilentio transmiſſis, juſtam narrationem de Chriſti actis & factis ingreditur. Ideoqve hæc verba *Lucæ* ſobriè, vel (uti Calvinus loquitur) civiliter ſunt intelligenda. Nam facta hîc tantùm & dicta notantur illa, quæ ad ſalutis noſtræ ſummam faciunt. Ex quo enim Chriſtus carne noſtra indutus in Mundum prodiit, veluti privata perſona domi vixit, uſque ad annum ætatis 30. quo nova illi perſona à Patre ſuo cœleſti fuit impoſita. Priorem enim illam vitæ partem in obſcuro latere voluit DEus, quo illuſtrior eſſet eorum notitia, quæ fidem noſtram ædificant. Et conſtans Patrum eſt ſententia, nullum à Chriſto vel puero vel adoleſcente factum eſſe miraculum, nullum denique ante aquam in vinum verſam. Unde *Joh.2. v.11.* miraculum illud in Cana factum ἀρχὴν τῶν σημείων, h.e. principium omnium miraculorum, quæ Chriſtus fecit, appellat. Graviter igitur errat *Baronius in Annalibus ſuis*, qui è Sozomeno rem magnam & miram refert: ad Chriſti infantis adventum in terram Ægypti, perſeam arborem proceram ſe inclinâſſe, & ſtatuas omnes concuſſas eſſe. Παιδικὰ enim hæc Chriſti miracula disertè *Chryſoſt. Homil. in Johan. 17. & 21. ac 23.* rejicit. Quænam autem *privata* Chriſti dicta, acta & facta fuerint, *Lucas* non perſequitur, uti ex dictis patet.

III. *Acta* Chriſti *publica* quod attinet, neque illa omnia in individuo *Lucas* deſcripſit. Nam per *Dicta* Chriſti intelligit *Lucas* Chriſti doctrinam, quæque prædicavit: per *Facta* verò Miracula, quibus doctrinam ſuam confirmavit. Conciones illas *Joh. 5.* deſcriptas *Lucas* nullo verbo attingit: Neque etiam de Spirituali Carnis ejus manducatione *Joh. 6.* deſcripta, *Lucas* quicquam commemorat. Similiter Miraculum Chriſti primum & ultimum, in aqua utrumque editum. Illud quidem, quando in Cana Galileæ aquam in vinum Chriſtus vertit: hoc verò quando aqua unà cum ſangvine ex latere Chriſti miraculosè effluxit, ſolus *Johannes* Evangeliſta deſcribit: *Lucas* ne verbo quidem illa attingit. Similiter quatuor Feſta Paſchatos, quæ Chriſtus Jeroſolymis celebravit, ex *Johanne* Evangeliſta evidenter demonſtrari poſſunt, ex *Luca* non item. Ex quibus quatuor Feſtis Paſchatos oſtenditur Chriſti Miniſterio ſesquitriennium, non verò ſesquiquadriennium tribuendum eſſe, uti *Joſephus Scaliger*, *Theobaldus*, *Menſchius*, aliique putant, ſicut hic Typus oſtendit.

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Christus, postquam ætatis ſuæ Annum	Complevit	29. - baptizatus eſt à Johanne Baptiſta in Jordane, *Matth.3.* Erat enim fermè 30. annorum, non quidem completorum, ſed mox complendorum. Καὶ αὐτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. *Luc. 3, 23.* Hîc eſt Miniſterii Chriſti initium, uti ex *Act. 1. v. 21.* patet.					
	Ingreſſus eſt	30.	celebravit Paſcha	Primum	deſcribit hoc ipſum	*Joh. 2. v. 13.*	
		31.		Secundum		*Joh. 5. v. 1.*	
		32.		Tertium		*Joh. 6. v. 4.*	
		33.		Quartum		*Joh. 13. v. 1.*	In hoc Paſchate Chriſtus eſt crucifixus.

Statuit autem *Caſaub. Exercitat. pag. 182.* Chriſtum, cùm ingreſſus ſit Miniſterium, compleviſſe Annum 30.

℞. 1. Refutari poteſt *Caſaub.* ex *Exercitationibus ſuis, p. m. 160.* ubi ſtatuit, Annum integrum & completum ſæpe pro currente eſſe intelligendum. Licet igitur DEus Sacerdotibus in V. T. annum 30. ordinaverit, non tamen neceſſe eſt, de anno completo hoc intelligendum eſſe.

2. Optima & certiſſima ſupputatio deſumitur ex termino *à quo* & *ad quem* εὔδηλον! Jam verò ex 70. hebdomadibus Danielis conſtat, Chriſtum Miniſterio fungi debere per ſeſquitriennium. Chriſtus autem anno ætatis ſuæ 33. crucifixus eſt. Hîc terminus *ad quem* eſt certiſſimus. Ergò ex proportione termini *ad quem* colligendus eſt terminus *à quo* Miniſterii Chriſti, qui non poteſt eſſe alius, quam Annus 30. inchoatus, non verò conſummatus, uti ſentit *Caſaubonus*.

IV. Omnia scribere non tam in prædicamento *Quantitatis* ponitur; & ſignificat Omnia κατὰ τὸ ἀριθμὸν ſive καθ' ἕκαστα: ſed potius in prædicam. *Qualitatis:* ac ſignificat τὰ πάντα πεπληροφορημένα, h. e. omnia, quæ certæ ſunt & indubitatæ fidei, quæque ad ſalutem ſunt neceſſaria. Ad hanc enim vocem, quâ *Lucas* in Evangelio ſuo *cap. 1. v. 3.* utitur, hoc loco reſpicit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Vox enim πεπληροφορημένα enunciatur	I. De Fide vel de Perſonis credentium. II. De Rebus, quæ dicuntur ſive narrantur.	ſic opponitur	hæſitationi vel diffidentiæ. Et ſignificat certâ perſvaſione aliquid credere vel ſtatuere, *Rom. 4. v. 21.* vel falſis vel dubiis, de quarum veritate & certitudine non ſatis conſtat, ut hoc loco.

Omnia igitur ſcribere *Lucæ* non eſt *Numeri*, ſive *Multitudinis*, ſed *Certitudinis* nota.

V. Accuratè hæ duæ phraſes ſunt diſtingvendæ, ſcribere τὰ πάντα, h.e. omnia, & περὶ πάντων, h.e. de omnibus. *Omnia* ſcribit (uti rectè Lyra ex Chryſoſtomo inquit) qui nihil omittit. *De omnibus* ſcribit, qui quædam de omnibus commemorat. De omnibus igitur *Lucas* ſcripſit, quæ ipſe tanquam certa & indubitata cognovit, quæque ipſi Spiritus S. inſpirare voluit. Pugna igitur inter *Lucam* & *Johannem* planè eſt nulla. Vocula enim *Omnis* apud Johannem eſt *collectiva:* apud Lucam *diſtributiva,* non quidem in ſingula generum: ſed in genera ſingulorum.

§. II. *Dubium I.* Photinianum.

Ex hoc loco Act. 1. *Franciſcus Davidis* evincere conatur, falſum eſſe, Chriſtum unquam in V. T. loqvutum eſſe. Nam, inquit, Lucas Act. 1. pollicetur, ſe velle omnia, quæ Jeſus cœpit & facere & docere, deſcribere. At neque Lucas, neque reliqui Evangeliſtæ, qui dicta & miracula Chriſti deſcripſerunt, eum in V. T. loqvutum fuiſſe, aut feciſſe aliquid, ullibi unquam docuerunt. Ergò inde concludit, Chriſtus in V. T. loqvutus non eſt, & per conſequens verus Deus non eſt.

℞. Hæreticus manifeſtam ignorantiam Elenchi, & fallaciam à dicto ſecundum quid, &c. committit. Quia Terminum *à quo* & *ad quem* Hiſtoriæ à Luca confectæ perperam explicat. Terminus *à quo* Miniſterii Chriſti eſt Baptiſmus Johannis. Terminus *ad quem* eſt Aſcenſio Chriſti in Cœlum, uti *Act. 1. v. 21.* patet. *Lucas* igitur non ſimpliciter omnia: ſed de omnibus, περὶ πάντων voluit deſcribere quædam, nempe quæ certæ & indubitatæ erant fidei, quæque Chriſtus in Miniſterio ſuo à Baptiſmo Johannis (h.e. quo à Johanne B. circa annum 30. baptizatus eſt) peregerat. Verba ita ſonant *v. 21.* Oportet igitur ut ex his Viris, qui nobiſcum verſati ſunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ti ſunt, toto tempore, quo Dominus JEſus ingreſſus & egreſſus eſt, incipiens à baptiſmate Johannis, uſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis; unus quiſpiam conſtituatur, qui ſit unà nobiſcum teſtis reſurrectionis ejus.

§. 12. *Dubium II.* Jeſuiticum.

Joh. 21. dicitur, quod omnia Chriſti facta non ſint conſcripta. At illa, quæ ſunt omiſſa, aut fuerunt ad ſalutem neceſſaria, aut non. Si *prius*, Scriptura eſt imperfecta; quia quædam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, omiſit, vide *Bellarm. l. 4. de Verbo Dei non-ſcripto c. 5.* Si *poſterius*. Ergò quædam Chriſti dicta & facta fuerunt non neceſſaria, ac proinde inutilia, quod blaſphemum.

℞. 1. *Neceſſarium* accipitur dupliciter: { ἁπλῶς, abſolutè. / πῶς, limitatè, ſive *Alicui*.

Omnia Chriſti dicta & facta Nobis non erant neceſſaria, non quidem per ſe, ſed per accidens, ob innatum mentis noſtræ ſtuporem & tarditatem. Exemplum elegans habemus in Diſcipulis Chriſti. Chriſtus diſcipulis ſuis quinque diſtinctis vicibus concionatus eſt de paſſione ſua, morte & reſurrectione. Et tamen *Luc. 18. v. 34.* dicitur: Illi nihil horum intellexerunt, & verbum iſtud erat abſconditum ab oculis eorum, nec intelligebant, quæ dicebantur. Hîc ἐμφατικῶς ipſorum mentis ſtuporem verbis tot mutatis deſcribit. Si igitur Diſcipuli Chriſti, qui jam per annos aliquot à Chriſto ipſo, tanquam Doctore cœleſti erant informati, non poterant unicam de paſſione Chriſti concionem intelligere, multò minus Mundus, h. e. homines in Mundo, in tenebris Mundi verſantes & obtenebratum intellectum habentes, omnia Chriſti dicta & facta καθ' ἓν, h. e. per ſingula, ut Johan. loquitur *cap. 21. v. 25.* deſcripta cognoſcere poterunt. Quare non omnia & ſingula Chriſti dicta & facta ſcitu neceſſaria judicavit.

2. Diſtingvendum inter *Utile* & *Neceſſarium*: Omnia Chriſti dicta & facta ſingularia erant quidem utilia, ſed, uti dictum eſt, non erant nobis abſolutè neceſſaria. Quia ob innatum mentis noſtræ cœcitatem & ſtuporem capere illa omnia non poteramus, ſicut diſertè Johannes Evangeliſta *cap. 21. v. 25.* ſcribit.

§. 13. *Dubium III.*

Q. Anne Totus *Mundus* in loco Johannitico, (quando *cap. 21. v. 25.* inquit: Sunt & multa alia, quæ fecit JEſus, quæ ſi ſcribantur, nec ipſe

opinor *Mundus* caperet eos, qui ſcriberentur) ipſum Mundi ſyſtema, an verò homines in mundo ſignificet?

℞. Per *Mundum* hîc intelligitur non *continens* ſed *contentum*. Johannes enim non putavit, libros à mundo tanquam locatum capi non poſſe; ſed innuit, eam rerum geſtarum Chriſti eſſe varietatem, multitudinem ac excellentiam, ut ſi ſingula per omnes circumſtantias ſcribenda fuiſſent, nulla hominis ætas ad ea legenda & pro dignitate expendenda ſuffeciſſet. Ita & *Gloſſa ordinaria* hæc verba explicat: Non dicit ſpacio non poſſe capi; ſed capacitate legentium. Quo ſenſu etiam *Nicolaus Lyrinus* hunc locum Johannis explanat: Nec ipſum arbitror mundum, i.e. homines hujus mundi: capere poſſe eos, qui ſcriberentur, libros. *Facta* enim & *verba* Chriſti non ſunt hominis tantùm, ſed Dei: quoniam illa humanitas erat organum divinitatis, & ideò non poſſunt ad plenum ab hominibus explicari aut comprehendi. *Et mox:* Facta ſunt & Dicta Dei, quæ ſunt nobis incomprehenſibilia propter eorum excellentiam reſpectu intellectus noſtri.

Ridiculum eſt, quod *Bellarminus* hunc locum Johannis: ſunt & multa alia &c. de *continente*, h.e. de ipſo Mundi ſyſtemate explicare non erubeſcat. Probaturus enim in Scripturis non contineri expreſsè totam doctrinam neceſſariam ſive de fide ſive de moribus, & proinde præter Verbum Dei non-ſcriptum requiri traditiones, *lib. 4. de Verbo Dei non-ſcripto c. 5.* ſupradictum locum *Joh. ult. v. 25.* allegat, & addit: Conſtat igitur, multa Dominum feciſſe & dixiſſe, quæ non ſunt ſcripta. Nam iſtos libros, qui extant, *una manus* capere poteſt: Johannes autem dicit, totum mundum non poſſe capere libros, qui ſcribendi eſſent.

§. 14. ANTILOGIA III.

1. THeſſ. 1. v. 8. A vobis pertonuit ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia & Achaja, verum etiam in omni loco *fides veſtra*, quæ eſt in DEum, dimanavit, ut non ſit nobis neceſſe loqui quicquam: *1. Theſſ. 3. v. 10.* inquit Paulus: *Nocte ac die oramus, ut videamus faciem veſtram, ac ſuppleamus, quæ deſunt fidei veſtræ.*

Ex loco poſteriori *Pontificii* colligunt Scripturam ſacram ad Theſſalonicenſes exaratam fuiſſe imperfectam, ac proinde Traditionibus opus eſſe. At in priori contrarium videtur ab Apoſtolo aſſeverari.

℞. Eſt ambiguitas in voce Fidei. *D. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 2.* diſtingvit inter *Fidem, quæ* creditur, & *Fidem, quâ* creditur. Verba ejus

hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

hæc ſunt: Aliud ſunt ea, *quæ* creduntur: aliud fides, *quâ* creditur. *Illa* in rebus ſunt, quæ vel eſſe vel fuiſſe, vel futura eſſe creduntur. *Hæc* autem in animo credentis eſt, ei tamen conſpicua, cujus eſt. Et tamen nomine fidei continetur utrumque, & illud ſcilicet, *quod* creditur, & illud, *quo* creditur. Hæc *Auguſt.* Confer *Lombard. lib. 3. diſt. 23.* *Fides, quæ* creditur, aliàs eleganti vocabulo dici poteſt Fides *materialis*: & *Fides, quâ* creditur, Fides *formalis*. Quia fides, quæ creditur, eſt fidei, qua creditur, objectum, quæ aliàs materia dici ſolet. Fides verò, qua creditur, eſt πεποίθησις & πληροφορία gratiæ: eſt habitus ſive actus in animo credentis, qui reſpectu Fidei materialis: Fides formalis non incommodè dici poteſt. Jam hanc diſtinctionem ad inſtitutum noſtrum applicabimus. *De Fide materiali*, ſive quæ creditur, loquitur Apoſtolus in *loco priori*: illamque perfectam eſſe affirmat. Quia omnia capita aut dogmata fidei ipſe Theſſalonicenſibus vivâ voce inculcaverat, ita ut ipſorum fidei nihil deeſſet, quod ex traditionibus demum diſcendum foret. Aliàs enim Pauli præconium falſum eſſet: ſed *de fide formali* loquitur in *loco poſteriori*. Fides enim *materialis*, h.e. ſymbolica ſive ratione partium doctrinæ conſiderata, licet ſit completa, omnibusque numeris abſoluta, nihilominus tamen fides *formalis*, h.e. quatenus eſt qualitas, in hominibus ſuos habet gradus, ſemperque confirmatione indiget, propter renovationem hominum imperfecta. Quia caro Spiritui ſemper repugnat, *Galat. 5. verſ. 17. Matth. 26. v. 41.* Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma. Quare, quando Paulus inquit, ſe deſiderare ſupplere, quæ deſint fidei Theſſalonicenſium, nihil aliud indigetat, quàm quod confirmare illos in eadem illa doctrina cupiat, quam illi jam ante didicerant, ita ut ſenſus ſit: Cupimus, ſi quid fortè adhuc vobis ad pleniorem Dei agnitionem, & ad fidei vitæ confirmationem deeſſet, id noſtra inſtitutione complere. Planè ſicut ad *Romanos cap. 1. v. 11. 12.* ſcribit, ſe optare videre Romanos, ut impertiatur eis aliquod donum ſpirituale, quo confirmentur, h.e. (ut ipſemet in continenti ſeſe explicat) ut mutuam conſolationem capiat in eis per mutuam fidem, illorum ſimul ac ſuam.

§. 15. ANTILOGIA IV.

E*Xod. 4. v. 10.* inquit Moſes ad DEum: Obſecro, Domine, non ſum vir verborum, ab heri, & à nudius tertius, ex quo loqvutus es cum ſervo tuo: quia gravis ore & gravis lingva.

Act. 7. v. 22. Stephanus ita inquit: Moſes eruditus eſt in omni ſapientia Ægyptiorum; ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Hic manifeſta videtur eſſe pugna inter Moſen & Stephanum. Nam Moſes ſe vocat βραδύγλωττον, h. e. lingva tardum & minimè eloquentem: Stephanus verò eum vocat eloquentem. Confirmatur *prius*. Nam DEus ibid. *v. 14.* Moſi addit Aaronem Fratrem, qui tanquam παραστάτης ipſi adeſſe & interpretis munus ſuſcipere deberet. *Poſterius* ita confirmatur: quia phraſis illa; δύνατος ἐν λόγοις &c. uſurpatur de Chriſto ipſo *Luc. 24. v. 19.* perque eam Chriſti eloquentia inſinuatur. Prætereà *Deut. 18.* Moſes cum Chriſto in officio Prophetico ratione ὁμοιότητος confertur, quando DEus inquit: Suſcitabo è medio Fratrum Prophetam ſimilem tui. Qua de cauſa etiam *Philo* Moſen virum eloquentiſſimum appellat.

℞. I. Quidam verba Moſis explicant παθετικῶς καὶ ταπεινολογικῶς, h. e. ipſum ex paſſione vel affectu aliquo loqvutum eſſe, h.e. ipſum aſpectu Dei territum, vires lingvamque inde debilitatas ſenſiſſe, ſicut in Daniele *cap. 10. v. 16.* ſimile quippiam legitur.

II. Alii χρονολογικῶς hoc explicant, nempe quod Moſes naturâ eloquens & diſertus πολύγλωττος: ſed poſt 40. annorum exilium dicendi facultatem amiſerit, & factus ſit βραδύγλωττος: & huc referunt notationem temporis: non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.

III. *Origenes* & *Philo* συγκριτικῶς verba Moſis intelligenda eſſe ſtatuunt, h. e. quod omnis humana eloquentia ad divinam vocem comparata, ſit non ſolùm mutila, manca & muta, ſed etiam nihil, imò ſive liceat, ſive non liceat ita dicere plus quàm nihil ſit. Vid. *Eſa. 40. v. 17.* Sicut Angeli comparati cum Deo dicuntur impuri apud *Jobum cap. 4. v. 18.*

IV. Δυνατὸς ἐν λόγοις aliquis dicitur *duobus* modis:

1. Reſpectu *Quantitatis*, quando quis loquitur πολυμύθως, h. e. copioſè.
2. Reſpectu *Qualitatis*, quando quis loquitur λιγέως καὶ ἀκριβῶς, h. e. acutè & nervoſè.

Priori reſpectu Moſes fuit βραδύγλωττος. *Poſteriori* reſpectu fuit ἐν λόγοις δυνατὸς. Quo ſenſu etiam Chriſtus dicitur δυνατὸς ἐν λόγῳ. Quia docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων, & non ſicut Scribæ *Matth. 7. v. 29.* adeò ut Miniſtri ad ipſum capiendum à Pontificibus miſſi re infectâ redeuntes dicerent, *Joh. 7. v. 46.* Nunquam ſic loqvutus eſt homo ſicut hic homo loquitur. Ubi obiter notandum, quod Chriſtus δυνατὸς ἐν λόγῳ *triplici* reſpectu poſſit dici:

1. *Materialiter.* Quia non docebat futiles quæſtiones aut humanas traditiones, ſed vivum & efficax DEI Verbum, quod pertingit uſq; ad diviſionem animæ, & Spiritus compagum quoq; ac medullarum, *Ebr. 4. v. 12.*

2. *For-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. *Formaliter.* Quia doctrinam verbi Divini verbis emphaticis, nervoſis, ſpirituque ac virtute plenis proponebat.

3. *Virtualiter.* Quia verbis ſuis robur ac pondus addebat, ut corda hominum penetrarent, ignitosq; poſt ſe relinquerent aculeos. Unde duo Diſcipuli Emaus euntes cum Chriſto dicunt, poſtquam Chriſtus ἄφαντος factus eſſet: Nonne cor noſtrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? *Luc. 24. v. 32.* Et *Matth. 7. v. 29.* Docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Luth. reddidit: Er prediget gewaltiglich. Et in hoc Chriſtus non ſolùm ab omnibus concionatoribus, ſed etiam Prophetis quantumvis eximiis diſtingvebatur.

Illuſtrationis ergò loco huc referri poſſunt elegantes verſus ex *Homero* Iliad. γ. de Menelao:

> Ἤτοι μὲν μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
> Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
> Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής.
> *Certè quidem Menelaus ſuccinctè loquebatur*
> *Pauca quidem, ſed valdè acutè, quoniam non (erat) garrulus,*
> *Neq; in verbis peccans.*

Sic etiam Moſes licet eſſet βραδύγλωττος: erat tamen ἀκριβόγλωττος. Unde Deus Aaronem Eloquentem Moſi addidit tanquam Oratorem & Interpretem, ut ſic diſtincta inter ipſos manerent officia: *Moſes* ponat verba in os Aaronis, ſitque ipſi in DEum, h. e. doceat & præcipiat quid dicendum: *Aaron* verò Oratorem agat: ille docendo, hic verò dicendo & agendo ſuum quisque miniſterium thaumaturgicè obeat.

§. 16. *Uſus contra* PONTIFICIOS.

Notandum eſt hoc contra *Pontificios*, quod à Chriſti authoritate docentis etiam authoritas doctrinæ, h. e. Scripturæ S. dependeat. Nam quia Scriptura S. tantam habet in ſe virtutem & majeſtatem, ut ad ipſam uſq; animam & ad intimos cordis receſſus penetret, & mentes noſtras ad ſe potenter rapiat, ſic ut nobis penitus perſuadeat: idcircò Scriptura S. eſt αὐτόπιστος & authentica, h.e. per ſeipſam ei credendum eſt, non propter Eccleſiam, ut fingunt Pontificii. Et hoc ipſum multi ex Pontificiis fatentur. Sic *Baptiſta Mant. de Patientia l. 3. c. 34.* Sæpenumerò mecum cogitavi, (inquit) unde tam fundibilis ſit iſta Scriptura, unde tam potenter influat in animos auditorum, ut tantum habeat energiæ, ut non ad opinandum tantùm, ſed ad ſolidè creden-

credendum omnes inflectat. Et *Auguſtinus Steuchius Epiſcopus Eugubinus, Bibliothecarius Pontificis Romani* in principio *Coſmop.* ita ſcribit: Qui putant ſacrorum librorum, quibus nunc omnis orbis aſſentitur, ſolâ legentium fide teneri, nec afferre ſecum divinas quasdam potentiſſimasque rationes, magnorum animorum judicia ad ſe trahentes, falluntur.

II. Diligenter hîc notandum eſt, quod Verbum Dei, non tantum, quantum à Chriſto, ſed etiam quantum ab Apoſtolis prædicatur, divinam efficaciam habeat. Nam ita inquit Paulus *1. Theſſ. 2. v. 13.* Sermonem, quem accepiſtis à nobis, de DEO accepiſtis, non pro ſermone hominum, ſed (ſicut verè erat) pro ſermone Dei, qui etiam agit in vobis credentibus. Item *Luc. 10.* inquit Chriſtus: qui vos audit, me audit.

III. Etiam quando Verbum DEI prædicatur ab aliis Eccleſiæ Miniſtris, qui Apoſtoli non ſunt, divinam efficaciam habet, videlicet corda hominum penetrandi, illa illuminandi, fidem accendendi, ſalvificam DEI notitiam illis inſtillandi, eosque ſalvandi &c. *Ebr. 4. v. 12. 1. Cor. 1. v. 21. 1. Cor. 3. v. 5. 1. Tim. 4. v. ult.*

IV. Nec denique tantùm divinam Verbum DEI habet efficaciam, quando à Miniſtris prædicatur bonis, ſed etiam quando prædicatur à malis. Nam Chriſtus ipſe dicit: Non vos eſtis, qui loqvimini, ſed Spiritus Patris mei, qui eſt in vobis, *Matth. 10. v. 20.* Id quod non ſolùm de Apoſtolis, ſed de omnibus Eccleſiæ miniſtris, ſive boni, ſive mali iidem fuerint, verum eſt.

„ Hûc pertinet *Axioma Theologorum*: Verbi divini efficacia non dependet „ à dignitate vel indignitate Miniſtri prædicantis, ſed unicè dependet ab „ ordinatione DEI illud inſtituentis.

§. 17. ANTILOGIA V.

P*Salm. 34.* dicitur de Davide: Cùm mutaret geſtum ſuum coram אֲבִימֶלֶךְ Abimelech.

1. Sam. 21. v. 12. Et timuit valdè à facie אָכִישׁ Achis, Regis Gath: Et mutavit geſtum ſuum in oculis eorum. Hîc Locus Pſalmi loco Samuelis contradicere videtur, quia ex lib. *1. Sam. c. 21.* patet, quod Rex ille dictus fuerit Achis, non Abimelech, coram quo David inſaniam ſimulavit.

℞. Contradictio hîc nulla eſt. Nam I. Sæpe fit, ut de perſonis contraria videantur narrari, quæ conciliantur optimè, ſi diverſi reſpectus attendantur. Atqui hûc pertinent ſequentes *duæ Regulæ* ad præſentem materiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

teriam accommodatæ, quæ quia inter ſe ſunt contrariæ, una alteram declarat.

Prima. Diverſæ perſonæ non rarò ſunt unanimes. Cujus exempla extant in Genealogia Chriſti, à *Matthæo cap. 1.* & *Luca cap. 3.* conſcripta, ubi aliquot Antilogiæ hac regula commodè explicari poſſunt.

Altera eſt. Perſonæ in S. Codice ſæpe ſunt binomines. Ideoque quod de uno dictum, de aliis non exponamus. Sic unam perſonam notant hæc nomina: Gedeon Jerubaal, *Jud. c. 6. v. 32.* & Jerobeſeth, *2. Sam. 11. v. 21.* Sic Salomon *1. Sam. 12. v. 24.* vocatur Jedidia, *v. 25.* Item Abimelech, *1. Sam. 21. v. 3.* & Abiathar, *Marc. 2. v. 26.* Hæc duo nomina dicuntur de ſummo Pontifice V. T. Sic Simon, Petrus & Cephas unius perſonæ nomina ſunt. Ita etiam in locis præſentibus. Unus idemq; Abimelech & Achis dictus fuit.

2. Verùm hic accuratè diſtingvendum eſt inter *Nomina* Regum
{ tum Judæorum } { *communia* &
{ tum Gentilium } { *propria.*

Abimelech commune erat nomen omnibus Regibus Philiſtinorum, qui tum ſinguli propria habebant nomina. Ita Abimelech tempore Davidis vocabatur Achis: illud erat nomen commune, hoc verò ſingulare: illud appellativum, hoc proprium.

3. Fundamenti loco hoc *Axioma politicum* eſt notandum. Antiquitus ſubditi Magiſtratus ſuos ex peculiari & proprio alicujus Regis aut Principis inſignis vel rei amabilis & deſiderabilis nomine vocabant, quod poſteà in poſteros propter ſingularem aliquam præſtantiam aut memoriam continuabantur. *Exempla* hujus rei longè plurima afferi poſſunt:

I. Ægyptii ſuos Reges quandoque Pharaones, quandoque Ptolomæos vocabant.
II. Parthi ſuos Reges appellabant Arſacidas.
III. Latini ſuos Murranos.
IV. Albani ſuos Sylvios.
V. Romani ſuos Cæſares, à C. Julio Cæſare.
VI. Prophetæ unumquemque probatum Regem David.
VII. Veteres inſignem aliquem Regem Conſtantinum vocabant, teſte *P. Gregor. Tholoſ. lib. 6. de Rep. c. 10.*
VIII. Turcarum Reges Ottomanni ab Ottomanno I. vocantur. Et iidem Sultani appellantur à dominio vel poteſtate. Vocabulum enim Syriacum ושלטן, quo Syrus Paraphraſtes

utitur,

atitur, *Matth. 28. v. 18.* ubi Chriſtus inquit: Data eſt mihi πᾶσα ἐξουσία, h. e. omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Dan. 4. v. 31.* ipſi DEO tribuitur: Altiſſimo benedixi & viventem in ſempiternum laudavi & glorificavi, quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna שָׁלְטָנֵהּ שָׁלְטָן עָלַם ἡ ἐξουσία αὐτοῦ ἐξουσία αἰώνιος.

Prius vocabulum Ottomanni deſumptum eſt à perſona:

Poſterius autem à re ipſa, h. e. à poteſtate regia, tanquam re Turcis imprimis amabili & deſiderabili. Unde Turcicus Imperator titulum hunc ſibi arrogat omnium Regum ter maximus. Et in ſtemmate ſuo quadruplex B. ponit, quibus hæc verba ſignificantur: βασιλεὺς, βασιλέων, βασιλεύων, βασιλεύουσι. *Bodin. lib. 1. de Rep. c. 9. n. 146. Kirchn. de Rep. p. 51.*

IX. Reges Gentium Alienigenarum omnes in Bibliis vocantur *Abimelech*, teſte *P. Gregor. Tholoſ. lib. 6. de Rep. cap. 14. 16. & ſeqq.* Origo autem hujus appellationis *gemina* conſtitui poteſt:

1. Πρoσωπικὴ, ita ut dicatur à Rege aliquo excellente atque eximio translatum, inque poſteros Reges propagatum eſſe.

2. Πραγματικὴ à reipſa. *Abimelech*, אֲבִימֶלֶךְ enim ſignificat *Pater Rex*, ac proinde propter vocis gratioſitatem & amabilitatem commune Regum Gentium alienigenarum nomen eſt factum. Hebræi enim Patrem vocant אָב, Chaldæi & Syri אַב, Arabicè אֵב Eb ab effectu & propenſione in filios, à rad. אָבָה, Chald. אֲבָא voluit, cupivit, deſideravit, propenſus, perſvaſus, delectatus fuit, propenſo animo fuit.

X. Reges Tyri vocabantur חירם Hiram, *2. Sam. 5. v. 11. 1. Reg. 5. v. 1. 1. Paral. 15. v. 1.*

XI. Reges Syriæ vocabantur ANTIOCHI, *1. Macc. 1. v. 11. cap. 2. v. 15. cap. 3. v. 27. 33. cap. 6. v. 1. cap. 7. v. 2. cap. 8. v. 6.*

XII. Perſæ Reges ſuos nominârunt AHASVEROS. Quo nomine tres Reges Perſarum inſigniti leguntur. *Primus* eſt Astyages, Rex Medorum, Pater Darii Medi, *Dan. 9. v. 1.* *Alter* eſt Cambyses, II. Rex Perſarum, Cyri filius, *1. Eſdr. 4. v. 6.* *Tertius* eſt Maritus Eſther, qui fuit Artaxerxes V. Rex Perſarum, *1. Eſdr. 1. v. 1.* Item appellabant Reges ſuos Artaxerxes & Artachsasta, *1. Eſdr. 7. v. 1. 12. Nehem. 2. v. 1. cap. 5. 14. cap. 13. v. 6.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

XIII. Athenienſium Reges vocabantur à *Cecrope*, primo Rege, CECROPIDÆ: & poſteà ab *Erechtæo*, Rege ſexto, ERECHTIDÆ.

XIV. Indorum Reges ſinguli dicebantur TAXILLES, ſicut *Curtius lib. 8. de rebus geſtis Alexandri M.* ſcribit.

XV. Danorum Reges olim vocabantur SKYOLDUNGI à celeberrimo Rege Daniæ *Skyoldo*, Regis Lotheri filio; ſicut *Albert. Crantz. lib. 1. c. 5.* & *Saxo Gramm. in principio Hiſtor. Danicæ* teſtantur. Plura de hiſce vide in *Monarchia noſtra ſecunda*, *in hiſt. Darii Medi c. 1. §. 1. & 5.* it. in *Monarchia III. Dynaſt. III. in hiſt. Ptolomæi Lagi*, *primi Regis Ægypti.*

§. 18. Antilogia VI.

D*euter. 32. v. 4.* Veritas eſt, & non eſt iniquitas in eo & rectus eſt.
Joh. 17. v. 17. Sermo tuus veritas eſt.
Malach. 3. v. 6. Ego Dominus & non mentior.

Gen. 13. v. 16. Inquit DEus ad Abrahamum: Ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ. Quoniam ſi poterit quisque numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabitur. At

Num. 1. v. 2. mandat DEus Moſi, ut numeraret univerſam multitudinem Filiorum Iſraël. Et ibid. *v. 45.* dicitur: quod omnis numerus Filiorum Iſraël, qui ad bellum prodire poterant, inventus ſit ſexcenta & tria millia virorum quingenti quinquaginta.

2. Sam. 24. v. 9. legitur, quod David ſuo tempore numeraverit populum Iſraëliticum: Et ibid. dicitur, quod fuerit Iſraël octingenta millia virorum fortium gladium evaginantium.

Dubium.

In *priori* claſſe Locorum DEO tribuitur *veritas.* In *poſteriori* verò *falſitas.* Nam in loco *Gen. 13.* interpretes Hyperboles conſtituunt: Jam verò omnis Hyperbole eſt ſpecies mendacii: Ergò cum Hyperbole DEO tribuatur; quomodo ſermo ejus veritas dici poteſt? Præterea Deus Abrahamo promittit: Semen ipſius *innumerabile* futurum. Atqui *Num. 1.* Deus ipſe illud numerari mandat; & certus ejus numerus eſt inventus. Similiter etiam David ſuo tempore omnem populum Iſraëliticum numeravit. Unde *Auguſt. in loco alleg.* inquit: Quod ne omnes quidem homines inde ab Adamo uſque ad poſtremum hominem ſimul ſumpti, nedum poſteritas Abrahami, numerum arenæ maris adæquare videatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 19. CONCILIATIO.

I. *Auguſtinus lib.5. contra Julianum*, & *lib.16. de Civ. Dei c.21.* in loc. *Gen.13.* Hyperbolen conſtituit. Hunc Dominus *D. Rung. Comment. in Gen. c.13. pag. mihi 417.* Et *Flacius part. II. Clav. pag. 151. 374. 375.* & multi *alii Theologi* Neoterici ſeqvuntur. Verùm hæc ſententia probari non poteſt. Etenim Hyperbole juxta *Auguſtinum* eſt, cum ad promovendos animos, fidem rerum, qui ſermocinantur, excedit. Vel, ut idem inquit: Quando id, quod dicitur, longè eſt ampliùs, quàm quod eo dicto ſignificatur. Unde patet, quod omnis Hyperbole ſpecies ſit mendacii, quia plus dicit, quàm veritas eſt. Sicut enim omnis hyperbole in moribus eſt in vitio: Sic omnis Hyperbole in ſermone eſt in mendacio. Atqui nullum in DEum cadit mendacium. E. neque Hyperbole.

II. Nos igitur ſtatuimus in loco illo, *Gen. 13.* nullo modo eſſe Hyperbolen: Sed rerum innumerabilem inſtitui *comparationem*. Ubi diſtingvendum inter comparationem ὁμοιότητος & ἰσότητος. In loco nominato inter pulverem terræ & ſemen Abrahæ infinitum ſit futurum, ſicut pulvis terræ eſt infinitus: Vel quaſi tanta multitudo ſit futura ſeminis Abrahæ: quanta eſt multitudo pulveris terræ (ſic enim hyperbole foret) ſed ratione ὁμοιότητος, h. e. ſimilitudinis; quod videlicet ſemen Abrahæ innumerabile ſit futurum, ſicut pulvis terræ eſt innumerabilis, intellige reſpectu hominum, non reſpectu Dei. DEO enim numerus arenæ maris, *Syracid. c. 1. v. 1. 2. 3.* & ſtellarum cœli eſt notus, *Pſal. 147. v. 4.* Quod autem Moſes & David ſuo quoque tempore populum Iſraëliticum numerârunt, illud de certo temporis ſpatio, nempe de illo tempore, quo illi vixerunt, intelligendum eſt. Jam verò à ſpatio temporis certo & determinato ad univerſum vitæ ſuæ tempus argumentari non valet conſequentia. Licet enim Moſes & David numerum ſuorum ſubditorum, eo, quo vixerunt, tempore ſciverint: At quotnam anteà de ſemine Abrahæ vixiſſent, & quot poſteà victuri eſſent, neque ipſi, neque quisquam hominum alius ſcivit, aut ſcire potuit.

§. 20. DUBIUM I.

At dicat aliquis: hanc comparationem videri ἄλογον. Siquidem pulvis terræ, & ſemen Abrahæ ſunt res longè diverſisſimæ, inter quas comparatio vera inſtitui haud videtur.

℞. Diſtingvendum eſt inter *Materiale* & *Formale* comparationis. *Materiale* comparationis ſunt res ipſæ in comparationem venientes, & vulgò di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

gò dicuntur Terminus *à quo* & *ad quem*. *Formale* Comparationis eſt convenientia in uno termino (qui vulgò dicitur Terminus *in quo*.) Jam verò licet pulvis terræ & ſemen Abrahæ in ſenſu abſoluto res longè ſint diverſæ, tamen in uno tertio conveniunt, non quidem *ratione* ἰσότητος, h. e. multitudinis ſimpliciter, ſed *ratione* ὁμοιότητος, videlicet ratione innumerabilitatis: illius reſpectu non ſunt πάρισα, h. e. æqualia, hujus autem reſpectu ſunt ὅμοια, h. e. ſimilia, eo, ſicut dictum eſt, modo. Exemplum elegans habemus *Deut. 18. v. 18.* ubi Chriſtus vocatur Propheta Moſi ſimilis: Ex qua comparatione Manichæi inferebant, Chriſtum non eſſe nobis ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον, h. e. non verum hominem, ſed homini ſimilem. Verùm graviter & nervosè illis *D. Auguſtinus* reſpondet hiſce verbis: Quaſi verò cùm ſimile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo ſimile intelligatur: quia non ea tantùm, quæ unius ejusdemque naturæ ſunt, dicuntur inter ſe eſſe ſimilia, verùm etiam, quæ naturæ diſparis, ſunt & dicuntur multa ſimilia. Quid igitur mirum, ſi non dedignatus eſt Chriſtus ſimilis fieri ipſi Moſi, qui ſimilis factus eſt ovi? Quapropter de Scripturis agnoſco diſſimilem, de Scripturis mecum agnoſce & tu ſimilem. Hæc *D. Auguſt.*

§. 21. *DUBIUM II.*

Q. Quale hoc loco ſemen intelligatur; anne σαρκικὸν: an verò πνευματικόν?

℟. I. Quidam putant ſemen πνευματικὸν intelligi hîc neutiquam poſſe: quoniam hoc innumerabile non ſit. Quia Eccleſia dicitur grex puſillus, & electi ſunt pauci reſpectu reproborum. Etenim Electi dupliciter conſiderantur:

I. In *ſenſu comparativo*: Et ſic ſunt pauci. Et huc pertinent Scripturæ dicta, *Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 14.* Pauci ſunt, qui ingrediuntur per viam anguſtam, *Math. 20. v. 16.* Multi ſunt vocati, pauci verò electi, *Eſa. 1. v. 9.* Eccleſia eſt paucorum, *Luc. 12.* Eccleſia dicitur grex puſillus.

II. In *ſenſu abſoluto*. Et ſic Eccleſia Electorum eſt cœtus innumerabilis. Sic dicitur *Matth. 8. v. 11.* MULTI venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in Regno cœlorum, *Rom. 9. v. 27.* Si fuerit numerus Filiorum Iſraël ut arena maris, reliquæ ſalvæ erunt, *Apoc. 5. v. 11.* dicuntur millia millium eſſe Eccleſiæ Filiorum, *Apoc. 7. v. 9.* Eccleſia triumphans dicitur turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus & populis, & lingvis &c. Hinc *D. Aug. lib. de Unit. Eccleſiæ cap. 3.* & *lib. 4. contra Creſcen. Grammat. cap. 53.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

cap.53. hanc Regulam exſtruxit: In Scriptura S. nonnunquam iidem pauci vocantur, qui & multi. At quomodo ſine ἀντίφρασι multi dicuntur & pauci? Reſpondet ibidem *Auguſt.* Multos quidem vocari per ſeipſos conſideratos: paucos verò in comparatione iniquorum.

2. Per ſemen Abrahæ innumerabile inſtar pulveris terræ futurum, intelligimus non ſolùm ſemen σαρκικὸν, ſed etiam πνευματικόν: utrumque tamen conjungimus. Siquidem in ipſo benedicendi erant non modò Judæi, ſed & gentiles, qui Filii Abrahami facti ſunt per fidem, *Rom.9. v.8.* Unde Abraham *Rom. 4. v.18.* dicitur Pater multarum gentium, h. e. Judæorum & Gentium, ibid. *v.12.* qui conjuncti ſunt, Multitudo, quam nemo hominum numerare poteſt, ſed quæ ſoli Deo eſt nota, *Apoc.7.v.9.*

§. 22. *DUBIUM III.*

Quæritur porrò: Anne in Scripturis S. Hyperbole inveniatur? Pro Affirmativa affertur Locus ex *Gen.11. v.3.* ubi legitur: Homines ædificare voluiſſe civitatem & turrim, cujus culmen in cœlum uſque pertingeret.

℞. 1. *Cyrillus contra Julian. lib. 4. pag.524.* ſcribit, quod Julianus Apoſtata occaſionem hinc ſumpſerit hiſtoriam hanc ridendi. Quid enim abſurdiùs eſt, dixit ille, quam quod iſti condiderint, vel condere voluerint civitatem uſqve ad circulum Lunæ. Nam ſi totam terram coxiſſent in lateres: tamen cœlum non attigiſſet. Unde quàm impiè inferre haud reformidavit: Moſi hæc ſcribenti non magis credendum eſſe, quàm Homero fabulanti de Alcidis, quod ſuperimpoſitis tribus montibus, Pelio, Oſſa & Olympo Jovem è cœlo exturbare voluerint.

Verùm inde Julianus Apoſtata nihil contra Religionem noſtram inferre poteſt. Etenim cujus hæc eſt loqvutio? Anne Moſis? Abſit. Sed impiorum & ſuperbiſſimorum Babyloniorum turrim ad cœlum uſque, h.e. ſtupendæ magnitudinis ædificare volentium. Jam verò à vanis & profanis hominum vaniſſimorum loqvutionibus ad Scripturæ S. vanitatem indeſtabiliendam non valet conſequentia. Nam in Scriptura S. res duûm generum continentur: 1. Quædam dicuntur ἱστορικῶς, h. e. recitativè vel narrativè. 2. Quædam verò ἐξηγητικῶς, h. e. aſſertivè & approbativè. Factum autem hoc Babyloniorum nudè quidem recitatur, ſed neutiquam approbatur.

2. Hyperbole quando in S. literis continetur, Spiritus S. ex mente aliena, non verò ex propria loqvitur. Concedimus igitur *Gen. 11.* deſcribi Hyperbolen, verùm ea non Dei, ſed hominum vaniſſimorum hyperbole

eſt di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

eſt dicenda. Sicut etiam *Deut. 1. v. 28.* Legati per Hyperbolen dicunt: Urbes ſunt magnæ & munitæ uſqve in cœlum. Sic Hyperbole eſt, qvando de exercitu Philiſtiim dicitur, *1. Reg. cap. 13. v. 5.* Philiſtiim congregati ſunt ad prælιandum contra Iſraël: 30000. curruum: & 6000. equitum, & reliqvum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in littore maris plurima. Quo ipſo reſpicit Spiritus S. ad vanam Philiſtiim jactantiam & ſuperbiam, quod videlicet copiis ſuis innumerabilibus confuſi ſint. Ita etiam Hyperbole eſt, quando Chuſai, *1. Reg. cap. 17. v. 11.* inquit ad Abſolonem: Congregetur ad te univerſus populus Iſraël à Dan uſqve Berſabe, quaſi arena maris præ multitudine. Hâc Hyperbole conſulto utitur Chuſai, ut confunderet conſilium Achitophelis, qvod & factum eſt. Verùm qvando Spiritus S. ex mente propria loqvitur, tum in Scriptura nulla Hyperbole invenitur.

3. Diſtingvendum eſt inter Hyperbolen ἀληθινὴν & φαινομένην. Qvando DEus in Scriptura S. in propria perſona loqvitur, tum interdum ipſi Hyperbole non ἀληθινὴ, ſed φαινομένη, h. e. non ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum externam apparentiam, noſtramqve opinionem tribuitur. Sicut eodem ſenſu etiam plurimæ loqvutiones in Scripturis occurrunt Catachreſticæ, ut qvando Prophetæ dicuntur, qvi nomine & munere prophetico abutentes, ſe Prophetas eſſe mentiuntur, ac vel falſa qvædam prædicendo, vel prædictioni veræ doctrinam falſam admiſcendo hominibus turpiter imponunt, *Deut. 13. v. 1. 1. Reg. 18. v. 19. Eſa. 9. v. 15.* &c. Qvo etiam referri poteſt, qvod *Epimenides* Poëta Ethnicus Cretenſium Propheta appellatur à Paulo, *Tit. 1. v. 12.*

4. Qvare hæc Regula eſt tenenda: Si qvid in S. Codice ponitur, qvod captum humanum excedit, aut ἀδύνατον videtur, indicari ingentem multitudinem & excellentiam excellentem, cùm comparativè plerumqve dicantur, qvæ comparatio non per omnia convenit rei, cui comparatur.

5. Diſtingvendum eſt inter Hyperbolen *Categoricam* & *Hypotheticam*. Qvando Spiritus S. ex mente propria loqvitur, Hyperbole non utitur Categorica, ſed aliqvando hypothetica. Sic D. Paulus *1. Cor. 4. v. 15.* Hyperbole ex hypotheſi utitur, qvando inqvit: Etſi 10000. pædagogorum haberentur in Chriſto, ubi numero ingenti finito pro infinito utitur.

6. Accuratè eſt diſtingvendum inter Hyperbolen *Rhetoricam* & *Ethicam*.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

1. *Hyperbolen Rhetoricam* in S. Scriptura eſſe neceſſariò eſt concedendum, etiam tum, quando Spiritus S. ex mente propria loquitur. Sed hæc veritatem Dei non labefactat, aut in dubium vocat. Nam hæc eſt Virtus ORATIONIS. Quia eſt Tropi affectio, cujus finis theoreticus eſt orationem exornare: & finis practicus homines delectare, aut perſvadere, ſive affectus hominum commovere. *Seneca lib. 7. de Beneficiis c. 23.* Nunquam tantum ſperat Hyperbole, quantum audet, ſed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat &c. *Quintil. inſtit. Oratoriar. lib. 8. c. 6. in fine*, inquit: Tum eſt Hyperbole virtus, cùm res ipſa, de qua loqvendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim ampliùs dicere, quia dici, quemadmodum eſt, non poteſt, meliusque ultra, quam citra ſtat oratio.

2. *Hyperbole Ethica* non occurrit in Scriptura, quando Spiritus S. loquitur ex mente propria. Quia hæc *opponitur veritati:* ac proinde Species eſt mendacii. Idem de *Ironia Rhetorica* & *Ethica* judicium eſto. Vid. *Loc. XI. Antilog. IV.*

§. 23. Examen Exemplorum quorundam.

1. Non igitur eſt Hyperbole, quando Chriſtus inquit *Matth. 17. v. 20.* Si habueritis fidem inſtar grani ſynapis, & dixeritis monti huic: *Demigra* hinc, illuc & demigrabit. Sed eſt promiſſio ſummæ virtutis & efficaciæ fidei miraculorum ſynecdochica, h. e. qua unâ ſpecie nominata, totum genus intelligitur.

2. Neque eſt Hyperbole, quando *Johannes* Evangeliſta *cap. 21.* ſcribit: Sunt & multa alia, quæ fecit JEſus, quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi eſſent, libros. Nam locus hic non τυπικῶς, ſed προσωπικῶς eſt intelligendus, h. e. non mens eſt Evangeliſtæ, quaſi libri à Mundo, tanquam locatum à loco capi non poſſint, ſicut verba Evangeliſtæ explicat *Cyrillus lib. 12. in Joh. cap. 68.* & *Euthymius*. Verùm ſenſus hic eſt: Si omnia Chriſti dicta & facta καθ' ἓν, h. e. ſecundum omnes & ſingulas circumſtantias deſcripta eſſent, non futurus quisquam in Mundo eſſet, qui ea omnia ob rerum geſtarum varietatem, multitudinem & excellentiam mente comprehendere aut intelligere poſſet. Et ita dictum hoc explicat *D. Auguſt. Tract. 1. 24. in Joh.* Et *Nicolaurus Lyranus*, cujus verba ſuprà in *Antilog. 2. Dub 3.* citavimus.

3. Neque eſt hyperbole, quando *Exod. 13. v. 5.* dicitur, quod terra promiſſionis fluxerit lacte & melle. Nam quoniam ſponte in montium & arbo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

& arborum cavernis mellificarent apes: mel etiam tanquam ex occulta ſcaturigine effluebat: Et cùm pecorum ubera nimium diſtenta, lacte deſtillante terram profunderent & madefacerent, videbatur etiam lacte fluere, & habere benedictionem illam uberum & vulvæ, *Gen. 49. v. 25.*

§. 24. ANTILOGIA VII.

ESa. 45. v. 23. inquit JEHOVA: Mihi curvabitur omne genu. Hîc per JEHOVAM intelligitur Filius, uti patet ex Epiſt. *Rom. 14. v. 10. 11.* Statuemur omnes ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, mihi ſe flectet omne genu.

Zach. 12. v. 10. rurſus inquit JEHOVA, h. e. Filius Dei: Aſpicient ad me, quem confixerunt.

Ebr. 1. v. 1. DEus olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, h. e. multifariam multisqve modis loqvutus eſt Patribus per Prophetas *v. 2.* poſtremis verò temporibus locutus eſt nobis per Filium.

DUBIA.

In hiſce dictis *duo* ſeſe offerunt *dubia* antilogica: 1. An Filius DEI in V. T. ſit locutus? priora dicta duo affirmant, poſtremum negat. 2. Quomodo Filius DEI hominibus ſit locutus, anne ut cauſa principalis, an verò ut cauſa miniſterialis? Priora dicta arguunt, ipſum ut cauſam principalem, poſteriùs, ipſum ut cauſam miniſterialem nobis locutum eſſe: Quia Pater dicitur per Filium locutus eſſe. *Per* autem nota eſt cauſæ miniſterialis & inſtrumentalis: Cui addi poteſt locus expreſſius *Rom. 15. v. 8.* Ubi Chriſtus veſter Διακονὸς, h. e. Miniſter Circumciſionis, h. e. circumciſi populi Judaici, ad confirmandas promiſſiones Patrum.

§. 25. ℞. *Ad prius* DUBIUM.

I. *Franciſcus Davidis in Actis Diſp. Alb. ſecundæ diei Claudipoli Anno C. 68. habitâ*, objecit, non poſſe proferri locum ex V. T. ubi Filius DEI per Prophetas locutus eſſe legatur. Verùm nos opponimus illi duo illa loca clara & manifeſta, in quibus manifeſtè dicitur, quod Filius DEI in V. T. ſit locutus. De *priori* res eſt plana, atteſtante D. Paulo, *Rom. 14.* De *poſteriori* quoque manifeſtum eſt id ipſum:

1. Ex circumſtantiis textus. Nam ita inqvit JEHOVA: adſpicient ad me, quem confixerunt. At quis ille eſt, qui à Judæis clavis confixus fuit? Nonne Filius Dei?
2. Ex teſtimoniis Johann. Evangeliſtæ & Apoſtoli, *Joh. 19.* & *Apoc. 1.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Filius igitur Dei per Eſaiam & Zachariam Prophetas in V. T. locutus eſt.

II. Quod verò locum ad *Hebr. 1.* attinet, ille non ita eſt intelligendus, quaſi Filius DEI in V. T. per Prophetas locutus non ſit, ſed quod ejus Pater ultimis temporibus corporali ore & voce per Filium ſuum incarnatum locutus ſit in N. T. qui anteà per Prophetas locutus erat in V. T. Quod autem per vocem DEI h. l. DEus Pater ſit intelligendus, ita patet: Quia DEus hîc ad Filium ſuum refertur, ibi vox DEus non prima perſona Trinitatis accipitur. Nam DEus οὐσιωδῶς ſic dictus eſt tota SS. Trinitas, quæ Filium non habet.

§. 26. ℞. *Ad poſterius* DUBIUM.

I. Chriſtus *dupliciter* conſideratur: aliter in V. T. aliter verò in N. T. In V. ὁ λόγος non fuit ἄσαρκος, & ſic rectè dicitur *Cauſa Principalis* verbi divini patefacti, & in literas redacti: quia ipſe unà cum Patre & Spiritu S. Verbum Dei Prophetis inſpiravit: quia inſpiratio Verbi Divini eſt opus ad extra, quod communiter toti SS. Trinitati tribuitur.

In N. T. autem Chriſtus diverſo reſp. & cauſa *Principalis* & cauſa *Miniſterialis* verbi divini patefacti dici poteſt. Accuratè enim hîc diſtingvendum inter Chriſti *divinitatem* & ejus *humanitatem*. Chriſtus, quà λόγος, ſive ſecundùm *Deitatem* conſideratus, eſt cauſa Principalis verbi divini revelati. Nam *Joh. 1.* dicitur: DEum nemo unqvam vidit (ſcil. perfectè vel quoad eſſentiam) Filius, qui in ſinu Patris (Patri eſt ὁμοούσιος & ex Eſſentia Patris genitus, ſemperqve apud Patrem exſiſtens) ex ſinu Patris prodiens ipſe enarravit nobis. Λόγος autem ſecundum Deitatem ex ſinu Patris prodiit, inque carne aſſumpta ſermonem Dei nobis manifeſtavit, non tanquam Cauſa Miniſterialis (ut Photiniani fingunt) ſed tanquam cauſa principalis.

Quod verò *humanitatem* ejus attinet, rurſus diſtingvendum eſt inter ſtatum *Exinanitionis* & *Exaltationis*.

In ſtatu *Exinanitionis* Chriſtus rectè cauſa Miniſterialis dicitur Verbi divini manifeſtati & prædicati. Nam Spiritus S. Chriſtum quà hominem unxit, & ad prædicandum miſit, uti ex *Eſa. 61. v. 1.* probatur, ubi ita legitur: Spiritus Domini ſuper me, eo quo unxerit me, & ad annunciandum pauperibus Evangelium miſit me. Quem locum ipſe Chriſtus *Luc. 4. v. 18.* de ſeipſo eſt interpretatus: Sicut enim DEus Pater eſt major Filio, dicente ipſo Chriſto *Joh. 4.* (intellige quoad humanitatem) quia ſecundum eandem ab ipſo eſt miſſus: Et ſic DEI Patris Miniſter eſt & Ser-

vus,

vus, *Eſa. 42. v. 1. cap. 53. v. 1.* Ita etiam Chriſtus minor eſt Spiritu S. ſecundum humanitatem, ipſiusqve Miniſter eſt & Servus, quatenus ab ipſo eſt miſſus: Et hoc reſp. cauſæ Miniſterialis Verbi Divini tùm manifeſtati tùm prædicati dici poteſt.

Interim tamen in ipſo exinanitionis ſtatu cauſa principalis Verbi Divini patefacti & ſecundum humanitatem dici poteſt, non quidem reſpectu DEI (ſic enim eſt Miniſter *Rom. 15.*) ſed reſp. Diſcipulorum ſuorum & Apoſtolorum, quos ipſe tanqvam Magiſter Verbum DEI docuit, eosqve tanqvam Dominus ad Miniſterium vocavit, *Matth. 10.* & ad prædicandum miſit. Unde frequens appellatio Chriſti erat, quod vocaretur Magiſter & Dominus, ſicut ipſemet inqvit *Joh. 13. v. 13.* Vos vocatis me Magiſtrum & Dominum, ſum enim. Syriacè dicitur Maran, h. e. Dominus.

In ſtatu *Exaltationis* non ampliùs eſt Servus (quia formam ſervi depoſuit *Phil. 2. v. 9.*) ſed factus eſt Dominus, ideoque non cauſa Miniſterialis, ſed tantùm cauſa Principalis verbi divini patefacti, & in literas redacti dicendus eſt: quia in ſtatu *Exaltationis* eſt caput Eccleſiæ factus, *Epheſ. 1, 22.* Et ipſe ad dextram DEI ſedens tanquam Dominus totius Eccleſiæ, alios dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, *Epheſ. 4. v. 11.* Unde venuſtè *D. Auguſtinus* inquit, quod Chriſtus Apoſtolis tanquam manibus ſuis demandaverit, ut ſua conſcriberent, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria futura eſſent.

II. Homonymia vocis Διάκονος eſt notanda: Hæc enim vox accipitur *duobus* modis:

1. *Illimitatè*, & ſic quemvis Miniſtrum ſignificat, qui alteri vel ex debito, vel ex libero arbitrio inſervit, *Matth. 20. v. 26.*
2. *Limitatè*, idqve rurſus *dupliciter:*

   I. *Politicè.* Sic tribuitur Magiſtratui Politico, *Rom. 13. v. 4.* qui ibidem Διάκονος τοῦ θεοῦ appellatur: quia vicem DEI in his terris gerit; unde *Pſalm. 82.* Magiſtratum DEI Miniſtrum eſſe David teſtatur.

   II. *Eccleſiaſticè* hæc vox accipitur *tripliciter:*

   1. Γενικῶς tribuitur omnibus Eccleſiæ Miniſtris, qui docendo, Sacramenta adminiſtrando aliisqve Eccleſiaſtici Miniſterii muneribus inſerviunt, *1. Cor. 3. v. 5.*
   2. Εἰδικῶς tribuitur illis, qui circa eam Eccleſiaſtici Miniſterii partem occupati erant, qui τὰ βιωτικὰ & rerum neceſſariarum diſtribu-

 tionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tionem complectitur. Quia de cauſa *Act. 6. v. 1.* Διακονοῦντες, h. e. Miniſtrantes menſis dicuntur, h. e. diſtribuentes unicuique neceſſaria ex omnibus bonis.

3. Ἀτόμως καὶ ἐξοχικῶς tribuitur Chriſto, qui eſt ἀρχιποιμὴν, Archiepiſcopus noſter, ſuoque in his terris Miniſterio Miniſterium ſanctificavit & conſecravit, & ita intelligendum dictum Apoſtolicum *Rom. 15. v. 8.* quod Chriſtus ſit Διακονὸς, h. e. Miniſter Judæorum circumciſorum.

§. 27. ANTILOGIA VIII.

E*Xod. 24.* deſcribitur ἐγκαίνωσις ſive dedicatio Fœderis inter DEum & populum Iſraëliticum ſolenni ritu à Moſe celebrata: poſtquam enim ex monte deſcendiſſet Moſes, atque omnia verba Jehovæ deſcripſiſſet, eadem populo prælegiſſet, altare ad radicem montis conſtruxiſſet, victimas immolâſſet, partem ſangvinis ſuper altare fudit, dimidio verò reliquo populum adſperſit. Verba Moſis *v. 8.* hæc ſunt: Ille ſumptum ſangvinem adſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſangvis fœderis, qvod pepigit Dominus vobiſcum.

At Auctor Epiſtolæ ad *Hebr. c. 9. v. 19.* ſcribit, qvod Moſes cum aqua & lana coccina & hyſopo ipſum quoque librum conſperſerit. Hæc Apoſtolus ἄτερ τῶν γραφῶν ſcribere, deque ſuo addere videtur, ac proinde hiſtoriam Moſaicam in dubium vocat; aut ſaltem auctoritatem Epiſtolæ ſuæ authenticam & Canonicam derogat, quia cum Moſe authentico aut Scriptore pugnat.

§. 28. ANTILOGIA IX.

R*Om. 3. v. 13.* allegat Paulus 8. verſus ex Pſal. 14. videlicet ſequentes:

1. Sepulchrum patens eſt guttur eorum.
2. Lingvis ſuis doloſè agebant.
3. Venenum aſpidum ſub labiis eorum.
4. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.
5. Veloces pedes eorum ad effundendum ſangvinem.
6. Contritio & infidelitas in viis eorum.
7. Et viam pacis non cognoverunt.
8. Non eſt timor ante oculos eorum.

Hi octo Verſus leguntur in veteri Verſione latina *Pſalm. 14.* At in *textu Hebræo* non reperiuntur. Hîc jam dubium occurrit: qualis inter textum Authenticum & Apoſtolicum Paulinum ſit Harmonia. Nam ſi textus Authenti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

thenticus defenditur, Paulus falſitatis arguitur: Aut ſi Pauli allegatio recipitur, textus Hebraicus corruptelæ incuſatur: quaſi hic Pſalmus ſit corruptus à Judæis, & verſiculi illi eraſi, ſicut Pontificii quidam Scriptores contendunt: videlicet *Jacobus* Epiſcopus Chriſtionopolitanus, uti in *præfat. Pſalt.* citat *Bellar.* Et *Melchior Canus lib. 2. Loc. Comm. Theol, cap. 13.* Item *Lindanus* teſte Pererio in Epiſtolam ad Rom.

§. 29. CONCILIATIO ANTILOGIAE *Prioris*.

Allegatio vaticiniorum Propheticorum ratione termini *à quo* eſt duplex:
- *Conjuncta:* qvando ex V. T. quædam verba vel integra dicta ex loco unico in N. T. allegantur.
- *Disjuncta:* quando vel quædam verba, vel integra dicta ex locis V. T. diverſis allegantur in N. T.

Exemplum poſterioris Allegationis habetur in Antilogia utraqve. Nam quod ſangvine Moſes populum aſperſerit, Moſes *Exod. 24.* deſcribit: Quonam verò & quali adſpergillo uſus fuerit, ſilentio involvit. *Auctor Epiſtolæ ad Hebræos* dicit, quod ex lana & hyſopo conflatum fuerit: Hoc verò ex ingenio ſuo non confinxit, ſed ex alio quodam loco Moſaico deſumpſit, videlicet *Num. 19. v. 6.* ubi ſimili adſpergillo ſangvinem vaccæ ruffæ ſpargere Eleazaro ſummo Sacerdoti Moſes juſſu DEI præcipit.

§. 30. CONCILIATIO ANTILOGIAE *Poſterioris*.

De *poſteriori* Antilogia notandum eſt I. Quod D. Paulus hoſce verſiculos non ex uno aliquo Pſalmo, ſed ex variis Pſalmis, & ex Eſaia Propheta contexuerit. Etenim 1. & 2. verſus reperitur *Pſal. 5. v. 10.* Tertius *Pſal. 140. v. 3.* Quartus *Pſal. 10. v. 7.* Quintus, ſextus & ſeptimus *Eſa. 59. v. 7. 8.* Octavus verò verſus extat *Pſal. 36. v. 2.*

II. Notandum, quod hi Verſus non ab Apoſtolo Paulo, ſed ab alio quodam ex Apoſtolo in *Pſal. 14.* ſint inſerta.

III. Non habentur & hi Verſus in verſione LXX. Interpp.

IV. Neque ullus Græcorum in Commentariis ſuis hoſce Verſus interpretari voluit.

V. Et hæc ſententia eſt *D. Hieronymi*, cui *Euſtach* virgo Chriſtiana hanc quæſtionem movit, ipſe verò reſponſiones, quibus nos anteà uſi ſumus, ipſi dedit in *præfat. lib. 16. in Proph. Eſaiam.*

VI. *Origenes* quoque in *Comm. cap. 3. Epiſtolæ ad Rom.* ſcribit: Apoſtolum hoſce verſus ex variis Scripturæ locis deſumpſiſſe: quibus verbis luculenter arguit, hoſce verſus neqve in textu Hebraico, neque in 70. Interpre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

terpretum verſione reperiri: qua de cauſa *Origenes* ex hoc facto Apoſtolico hanc regulam exſtruxit. Cùm Scripturæ teſtimoniis utendum fuerit, ſenſum magis ex ea, quàm verba capienda eſſe.

VII. Ipſe etiam *Bellarm.* Jeſuita *lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. pag. 114. Edit. Ingolſt. in 8.* hanc noſtram ſententiam approbat, & ſociorum ſuorum ſententiam improbat. En pulchellum Jeſuitarum conſenſum!

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Hinc jam apparet, quàm parùm verſioni latinæ vulgatæ ſit fidendum, quàm tamen *Concil. Trid.* pro authentica habendam eſſe ſub anathematis fulmine præcepit, *Seſſ. 4.* decreto de editione & uſu ſacrorum Librorum.

§. 31. ANTILOGIA X.

GAl. 1. v. 8. Etiamſi nos aut ANGELUS è cœlo prædicaverit Evangelium præter id, quod prædicavimus vobis, anathema ſit.

ỽ. 9. Si quis prædicaverit vobis Evangelium præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.

Apoc. 22. v. 18. Si quis appoſuerit ad verba libri Prophetiæ hujus, apponet DEus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

At *Luc. 24. v. 7.* Angeli ad Mulieres de Chriſti reſurrectione concionem habentes, multa addiderunt ad concionem Chriſti, de paſſione & reſurrectione ſua habitam, uti ex collatione concionum patet. CHRISTI Concio *Luc. 18. v. 31. 32. 33.* ita habet: Ecce aſcendimus Hieroſolymam & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur & contumeliis afficietur & conſpuetur: Et poſtquam flagellaverint, occident eum, ac tertia die reſurget. ANGELORUM autem concio ita ſonat: *Oportet* Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die reſurgere. Hìc ipſa concionum ἀντοπτικὴ σύγκρισις oſtendit triplicem ab Angelis ad Concionem Chriſti factam eſſe additionem. Nam

1. Chriſtus ſimpliciter dicit: Filius hominis tradetur Gentibus: Angeli addunt: *Oportet* Filium hominis tradi: Chriſti propoſitio eſt Categorica: Angelorum modificata.

2. Chriſtus ſimpliciter dicit: Filius hominis tradetur Gentibus: Angeli addunt: *Oportet* Filium hominis tradi *in manus hominum peccatorum.*

3. Cum Chriſtus ſimpliciter dixiſſet: Filium hominis eſſe occidendum; ibi Angeli exprimunt genus mortis, videlicet *Crucifixionem.*

CONCILIATIO.

Additio hæc Angelorum eſt *φαινομένη*, non verò *ἀληθινὴ*, h.e. *apparens*, non vera. Etenim Angeli ſenſum verborum Chriſti retinent invariatum: interim tamen ex aliis Chriſti concionibus verba quædam mutuati ſunt & conjunxerunt. Nam Chriſtus quinque diſtinctis vicibus Diſcipulis ſuis de paſſione, morte & crucifixione ſua concionatus eſt:

I. In finibus Cæſareæ Philippi, cum Petrus reliquorum nomine Chriſtum Dei Filium eſſe confeſſus eſſet: huic confeſſioni mulierculæ non interfuerunt, ſed ſoli Diſcipuli, inter quos examen illud inſtituebatur. Et deſcribitur hæc concio *Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. Luc. 22. v. 22.*

II. Cùm deſcenderet è monte Thabor, cui concioni Petrus, Jacobus & Johannes interfuerunt, *Matth. 16. Marc. 9.*

III. Poſt reverſionem in Galilæam, cum Lunaticum ſanâſſet, *Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.* cui procul dubio hæ mulieres interfuerunt. Quia *Luc. 8. v. 2.* dicuntur illæ Chriſtum in Galilæa docentem ſeqvutæ.

IV. Habita eſt in poſtremo itinere Hieroſolymitano, h. e. in via ex Galilæa in Hieruſalem, non procul à Jericho. Et hæc etiam ad Apoſtolos *κατ' ἰδίαν* habita eſt, *Matth. 20. v. 17. 18. 19. Marc. 10. v. 32. Luc. 18. v. 31.*

V. Habita eſt biduum ante paſſionem, *Matth. 26. v. 2.*

Ad tertiam autem concionem Angeli mulieres revocant. Sed ex ſola illa & unica Concione Chriſti hanc ſuam concionem non deſumunt, at ex diverſis. Nam

1. Particulam *δεῖ*, *oportet*, deſumunt ex concione prima, quæ deſcribitur *Matth. 16. Marc. 8. Luc. 22.*
2. Vocem *ἁμαρτωλῶν*, h. e. *peccatorum* deſumunt ex concione Chriſti, *Matth. 26. v. 45. Marc. 14. v. 41.* deſcripta.
3. Vocem *Crucifixionis* ex quarta Chriſti concione *Matth. 20. v. 19.* deſcripta deſumpſerunt.

Unde ὀφθαλμοφανερῶς videmus Angelos Chriſti verbis nihil addidiſſe, ſed concionem ſuam ex tribus numero diverſis Chriſti concionibus concinnâſſe. Neque in eo peccârunt: Siquidem eandem praxin Apoſtoli ipſi obſervârunt, uti ex Antilogia 8. & 9. videre eſt.

§. 32. ANTILOGIA XI.

2. TIm. 3. v. 16. Omnis Scriptura divinitùs eſt inſpirata.

2. Pet. 1. v. 21. Non eſt voluntate hominum allata Prophetia, ſed à Spiritu S. impulſi loqvuti ſunt ſancti DEI homines.

Contra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Contra autem *Dan. 4. cap.* continetur *diploma* Regis Nabuchdonoſoris, quod de miraculis DEI in omnes ditiones & provincias regni ſui mittebat. At Nabuchdonoſor, licet tum temporis fuerit converſus, non tamen Propheta DEI fuit. Cùm igitur quartum caput Danielis ſit pars Scripturæ S. Quomodo dici poteſt Θεόπνευςον: Si à Propheta non eſt ſcriptum? Et quomodo ſtabit *Axioma* illud *Apoſtolicum: Omnis*, h. e. tota Scriptura eſt divinitus inſpirata? Nam alterutrum dicendum eſt aut *cap. quartum Danielis* non eſſe partem Scripturæ: Et ſic authoritas libri totius Danielis cadit. Quia Scriptura eſt totum homogeneum non heterogeneum. Et ſi pars ejus non eſt, quare inſertum eſt libro Danielis? Et quare quartum in ordine occupat locum? Eſt enim caput quartum. Aut ſi eſt pars Scripturæ S. divinitùs inſpirata erit. Si hoc: Ergò Scriptum aliquod poteſt eſſe Canonicum, cujus tum author non eſt Canonicus, quod abſurdum.

℞. I. Indubitatum eſt, omnia illa, quæcunque in Scriptura S. continentur, illa ex inſpiratione Spiritus S. cujus Amanuenſes & notarii ſunt Prophetæ & Apoſtoli, recenſentur. Et hoc volunt teſtimonia Pauli & Petri.

II. Attamen accuratè hîc diſtingvendum eſt inter ipſorum *teſtimonia*, & inter *teſtimoniorum objecta*, h. e. res, de quibus teſtantur. *Teſtimonia* ipſorum ſemper ſunt certa & indubitata. Siquidem Spiritus S. qui eſt Spiritus veritatis, per os & Lingvam ipſorum loqvutus eſt, *2. Sam. 23. 2. Pet. 1. v. 21.* & *1. Pet. 1. v. 11.* Spiritus autem S. mentiri non poteſt, *Ebr. 6.*

At *Objecta* ſive Res ipſas quod attinet, de quibus illi teſtantur, ſæpè ſunt incertæ & erroneæ, imò ſæpe etiam vanæ, profanæ & falſæ: nempè quando teſtantur & hiſtoricè referunt, quæ dicta ſunt vel à *Diabolo*, qui eſt pater mendacii, *Joh. 8. v. 44.* vel à *manifeſtis fidei hoſtibus* & *adverſariis*, qui ductum Patris ſui Diaboli ſeqvuntur, *Joh. 8. v. 44. & 48.* vel etiam ab *hominibus vulgaribus*, qui Spiritu Prophetico haud pollent, & de quibus ſcriptum eſt: Omnis homo mendax, *Pſalm. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4.*

APPLICATIO.

Ita etiam quod attinet Diploma Regium Nabuchdonoſoris in ſe & ratione ſui Scriptum Canonicum non eſt. Quia ille Propheta non fuit. Omnis autem liber vel Scriptum Canonicum Prophetam aliquem agnoſcit authorem.

Nihilominus tamen teſtimonium Danielis, qui Spiritum DEI habet, teſtimonium eſt divinitùs inſpiratum, ac proinde Canonicum, quod nos

certio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

certiores reddit, Nabuchdonoſorem tale Scriptum ad laudem veri DEI divulgâſſe, quò omnibus ſubditis ac provinciis ſuis notificaret, ſtupenda & admiranda DEI miracula in ſe edita & declarata.

ILLUSTRATIO.

Simile exemplum habemus in Libro Jobi, in quo relatio dictorum hiſtorica eſt Canonica, infallibilis & certa, ſed dicta, quæ tres amici Jobi, nempe Eliphas à Theman, Bildath à Suah, & Zophar à Naëma proloqvuti ſunt adverſus Jobum, & in præſentia Jobi, quoque in iſto libro continentur, ſunt erronea & falſa, ſicut ipſe DEus de iis hoc judicium fert, *cap. 42. v. 8.* Vos de me loqvuti non eſtis, ſicut ſervus meus Jobus.

§. 33. *Usus I.*

Hinc igitur diſcimus omnes & ſinguli, quod in Scripturarum & Hiſtoriarum in iis contentarum lectione diligenter attendere debeamus, QVIS ille ſit, qui in Scriptura loqvitur, & QVOMODO, h. e. an ex mente propria, an verò aliena: item ex ductu πνεύματος, an verò σαρκὸς loqvatur. Sæpe enim etiam pii ſub ferula DEI conſtituti varias volvunt cogitationes, & inconſideratas proferunt loqvutiones, ſuggerente carne, ſive carnali ratione. Quales fuerunt imprimis tres loqvutiones Jo-
„bi, videlicet *cap. 9. v. 22.* Innocentem & impium DEUS conſumit, *v. 23.*
„Occidit repentè & ad tentationes innocentium ridet, *v. 16.* Non credo,
„quod audierit vocem meam, & *cap. 30. v. 20.* Clamo ad te, & non ex-
„audis me: adſto & non reſpicis me, *v. 21.* Mutatus es mihi in crudelem,
„& dura manu tua oſtendis, te eſſe inimicum meum &c. Hæc dicta Jobus protulit in acutiſſimis doloribus conſtitutus, ideoqve non ſunt ita intelligenda, quaſi DEus hoc faciat, ſed quia Jobo in doloribus acutiſſimis ita viſum fuit. Ideoqve ipſe *cap. 42. v. 3.* ait, ſe reprobare, quod malè dixerit, & reſipiſcere in pulvere & cinere.

Usus II.

Diſcimus quoque hinc Scripturæ plenitudinem & perfectionem. Si enim ea à Spiritu S. conſignata ſunt, quibus carere poſſemus, (ut ſunt falſa & erronea à Satana, aliisqve perſonis Spiritu prophetico non donatis profecta.) Item: Si tam diligenter & accuratè Spiritus S. plurima & diverſa deſcribi voluit miracula, quæ tamen per ſe ad ſalutem non ſunt neceſſaria: multò magis ea in Scriptura, ipſius impulſu conſignata, extant, quæ ad ſalutem nobis ſunt neceſſaria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 34. *Dubium.*

At Paulus Apoſtolus in ſuis ſcriptis teſtimonia ex Gentibus addnxit. Nam *Actor. 17. v. 28.* allegatur ab ipſo illud Hemeſtichion *Arati*, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν, h. e. ipſius enim progenies etiam ſumus, *1. Cor. 15. v. 33.* adducit verſum Jambicum *Menandri*: Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: Mores bonos corrumpunt colloquia prava, *Tit. 1. v. 12.* Hexametrum *Epimenidis* Cretenſis & *Callimachi* Cyrenenſis: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, h. e. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Quæritur, quare Paulus, qui Gentium erat doctor, teſtimonia ex Ethnicis adduxerit, quod præter ipſum à nullo Apoſtolorum factum eſt.

℞. Hoc non ideò Paulus feeit, quaſi Scriptura eſſet imperfecta, aut inſufficiens, ſed ut Gentiles propriis librorum ſuorum teſtimoniis fortiùs convincerentur. Quo ſenſu etiam Hieronymus venuſtè hoc explicat in *cap. 1. Tit.* & in *Epiſt. ad Magn.* Putant quidam, *inquit*, Apoſtolum reprehendendum eſſe, quod imprudenter lapſus ſit, dum falſos doctores arguit, illos verſiculos comprobrârit. Quibus breviter reſpondendum eſt, in eo, quod ait, corrumpunt bonos mores colloquia prava; & in illo: ipſius & genus ſumus, non ſtatim totam *Menandri* Comœdiam, & *Arati* librum præſenti loco, non totum corpus *Callimachi*, ſive Epimenidis, quorum alter laudes Jovis canit, alter de oraculis ſcripſit, per unum verſiculum comprobavit, ſed Cretenſes, tantùm mendacio vitio generis increpavit, non ob illam opinionem, quâ ſunt arguti à Poëtis, ſed ob ingenitam mentiendi facultatem proprio ejus gentis Autore confutans. Qui autem putant, totum librum ſequi eum, qui libri uſus ſit Verſiculo, videntur mihi & Apocryphum Enochi, de quo Apoſtolus Judas in Ep. ſua teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ Scripturas recipere.

§. 35. Antilogia XII.

Num. 12. Si quis inter vos eſt Propheta Domini, illi me patefaciam vel in viſione, vel loquar cum eo in ſomniis.

Eccleſiaſtæ 5. v. 6. Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Tu verò DEum time.

Dubium.

In priori loco dicitur, quod DEus voluntatem ſuam per ſomnia revelet: in poſteriori verò ſomnia vanitatibus annumerantur.

§. 36. ℞.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 36. ℞.

Scriptura tria Somniorum genera recenſet. Sunt enim ſomnia

I. *Phyſica* vel *Naturalia*, (Græcis dicuntur ἐνύπνια) quæ natura ipſa format, vel *interno* vel *externo* primùm impulſa principio, adhibito organorum Miniſterio, quæ in eum uſum ſunt fabrefacta, ut Spirituum & cerebri. Vid. *Auguſt. lib. de Spiritu & Anima. Clement. Alexand. lib. 2. pædagog. cap. 9.*

Ex *interno* principio oriuntur ſomnia pro temperamenti vel complexionis diverſitate. Quale enim cuique eſt temperamentum, tale quoque eſt ſomnium. Sangvineus læta & jucunda: Phlegmaticus aquea: Cholericus ignea & iracunda: Melancholicus triſtia & horribilia ſomniat. Hæc ſomnia ſubjectivè conſiderata obſervare ſolent Medici: ſicut *Galen. in lib. de præſag.* de quodam ſcribit, quod ſomniaverit, alterum pedem factum eſſe lapidem: ſed hoc eveniſſe, ut alter pes non diu poſt debilis factus ſit. Quam obſervationem ſuo loco relinquimus.

Ex *externo* principio oriuntur ſomnia ex rebus vel objectis, circa quæ quis interdiu verſari vel occupari ſolet. Nam aurigæ ſomnia currus, inquit Poëta: Et Piſcator apud Theocritum inquit: Omnis canis panes ſomniat, & ego piſces. Sic *Themiſtoclis* ſomnia erant Milthiadis trophæa. *M. Marcellus* cum Annibale in ſomniis congrediebatur.

Hæc ſomnia parum ſunt curanda. Deqve iis poſterior Locus Eccleſiaſtæ eſt intelligendus. Cum quo conſonat *Syracid. c. 34. v. 1. ſeq.*

II. *Satanica*, quæ artificio Satanæ hominibus dormientibus objiciuntur. Satanas enim mille artifex fraudum eſt. Cùm enim JEſum DEI Filium in monte tentaret, in ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in momento oculi, ut *Lucas* ait *cap. 4. v. 5.* imaginem oculis ejus objiciebat, in qua omnia Mundi regna ei oſtendebat, *Matth. 4. v. 8.* Qvidni igitur ille ex DEI permiſſione nobis hominibus non faceret? Sed hæc non ſunt commendanda: quin potius aſpernanda & deteſtanda. Nam ad deceptionem ſunt comparata; quia iis nihil aliud quærit Satanas, quàm ut homines à via virtutis in devia vitiorum pertrahat, vel à verâ religione abſtrahat, & in monſtra errorum deducat. Qualia erant ſomnia *Baalitarum*, *2. Par. 18.* Item *Iſraëlitarum*, ad quos Jehova inqvit *Jer. 29. v. 8.* Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrûm & divini veſtri: & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis. Et ſomnia *falſorum Prophetarum*, quos Jehova *Deut. 31. v. 1.* ſomniatores nominat, quos ſequi non debeant, & de quibus Dominus inqvit *Jer. 23. v. 25.* Audivi, quæ dixerunt Prophe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atqve dicentes: ſomniavi, ſomniavi, *v. 26.* Uſquequo iſtud erit in corde Prophetarum, vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui? *v. 27.* Qui volunt facere, ut obliviſcatur populus meus nominis mei, propter ſomnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum ſuum: Sicut obliti ſunt Patres eorum nominis mei propter Baal. *v. 28.* Propheta, qui habet ſomnium, narret ſomnium: & qui habet ſermonem meum, verè loqvatur ſermonem meum: quid paleis ad triticum dicit Dominus?

III. *Divina*, quæ à Deo ipſo immittuntur, & quidem

I. *Fidelibus*, ut Patriarchis, Prophetis, aliisque piis viris, *Num. cap. 12. verſ. 6.* Exempla 1. de Jacobo, *Gen. 28. v. 12. c. 31. v. 11.* 2. de Joſepho, *Geneſ. 37. v. 5.* 3. de Eſdra, *4. Eſdræ 11. v. 1.* 4. de Mardochæo, *Eſther 10. v. 5. cap. 11. v. 2. 5.* 5. de Daniele, *Dan. 7. v. 1.*

II. *Infidelibus*, qui non erant de populo DEI. Exempla: 1. De Abimelecho, *Geneſ. 20, 3.* 2. de Labane, *Gen. 31, 24.* 3. de Pharaone, *Gen. 41. v. 1.* de vaccis & ſpicis. 4. de Nabuchdonoſore, *Dan. 2.*

Somnia θεόπεμπτα, h. e. divinitùs immiſſa omnia ſunt μαντικά, h. e. divinationem continentia. Suntqve vel

1. *Nuda* ὁράματα, id eſt, viſa, quæ expreſsè & explicatè citra figuras & involucra allegoriarum & ænigmatum repræſentant res arcanas & futuros eventus, ac proinde eodem modo ſunt vel eveniunt, quo apparuerunt. Sic Joſephus, ſponſus Mariæ, per ſomnia monebatur, eam ex Spiritu S. eſſe gravidam, *Matth. 1. v. 20.*

2. Ὄνειρα, hæc talia ſunt ſomnia, quæ figuris, allegoriis & ænigmatibus quibuſdam ſunt tecta atqve involuta, & ſine interpretatione intelligi non poſſunt. Tale fuit ſomnium Joſephi, *Gen. 37.* & Pharaonis, *Gen. 41.* & Nebucadnezaris, *Dan. 2.*

Et ejuſmodi ſomnia non ſunt contemnenda, ſed grato corde pro divinis agnoſcenda, ſicut ſancti DEI Viri fecerunt. Ac de hiſce intelligendus eſt Locus ſupra allegatus, *Num. 12. v. 6.* Talia enim ſomnia in V. T. fuerunt freqventia. Et peculiaris DEI pœna erat, quando DEUS impio Regi Sauli ipſum conſulenti, neqve per ſomnia, neqve per viſiones, neqve per Prophetas reſpondere vellet, *1. Sam. 28.* Similiter Joël Propheta de tempore N. T. vaticinans, inter alia Spiritus S. dona & *ſomnia* numerat, qvando inqvit *cap. 2. v. 28.* Et erit in noviſſimis diebus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & filii veſtri, & filiæ veſtræ ſomnia habebunt &c.

§. 37. AN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 37. ANTILOGIA XIII.

MAlach. 3. v. 1. Filius Dei dicit, ſe miſſurum angelum ſuum ante faciem ſuam. At in N. T. *Matth. 11. v. 10.* idem Dei Filius inquit: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparaturus eſt viam tuam ante te. Eodem etiam modo citatur *Marc. 1. v. 2.*

DUBIUM.

In V. T. Malachias loquitur de una perſona, quæ ante ſuam faciem Angelum ſit miſſura. *In N. T.* Chriſtus illud enunciat de duabus Perſonis, quod videlicet Deus Pater Angelum ante faciem Chriſti vel Meſſiæ ſit miſſurus. Hîc ergo quæritur, quomodo Propheta Malachias & Evangeliſtæ inter ſe ſint conciliandi.

℟. Hic nulla eſt ἀντιλογία. Nam hoc vaticinium ejusque complementum accipiuntur

1. Vel *de Perſonis diverſis.* Sic Chriſtus Angeli ſui miſſionem

In V. T. SECUNDUM DEITATEM ſibi tribuit, & in N. T. eandem Patri ſuo tribuit, propter Eſſentiæ divinæ identitatem. Quia eadem Patris & Filii eſt eſſentia divina. Ergò propter eſſentiæ ταυτότητα Miſſio tribuitur Patri & Filio non ἀνίσως, ſed παρίσως. Quia id, quod agit in Deo, eſt una eſſentia divina tota Trinitati communis. *Nazianz.* Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. Sic plures actiones aliæ κοινῶς Patri & Filio tribuuntur, ut glorificatio, à mortuis reſuſcitatio &c.

In N. T. SECUNDUM HUMANITATEM ſibi detrahit, & Patri ſuo tribuit, propter HUMILITATEM. Quia Filius Dei in diebus carnis ſuæ pleraque opera ad Patrem referre eſt ſolitus. Quoniam à Patre in mundum miſſus, & hoc ipſo humilitatem ſuam eſt profeſſus. Nam erat tunc Dei ſervus, *Matth. 12. v. 18. Phil. 2. v. 7.* Similiter *Joh. 14. v. 24.* inquit: Sermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me.

2. Vel *de eadem Perſona.* Sic Meſſias eſt, qui loquitur, & de quo loquitur in V. & N. T. Sed ἄλλως καὶ ἄλλως conſideratus. Nam Meſſias in V. & N. T. eſt unus idemque, ſed tamen ſe non habet uniusmodè. In V. T. erat λόγος ἄσαρκος: in N. T. eſt λόγος ἔνσαρκος. In V. T. proprie: in N. T. figuratè. Nam per Enallagen eadem perſona loquitur de ſeipſa, modò in 1. modo in 2. modo in 3. perſona. Elegans exemplum habetur *Zach. 12. v. 10.* Aſpicient ad me, quem confixerunt. Ita etiam hoc ipſo vaticinio Malachiæ Enallage illa Perſonarum habetur. Nam Meſſias in *v. 1.* in prima perſona de ſe ipſo exorditur: Ecce ego mitto Angelum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

meum ante faciem meam, &c. Statim autem in *v. 2.* in tertia perſona de ſe loquitur, quando inquit: Et ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis.

§. 38. *Uſus hujus Vaticinii.*

Contra Judæos & Nearianos ſive Photinianos Deitatem Chriſti ex hoc vaticinio ita demonſtramus.

Quicunque 1. ante annos 450. Angelum ſuum ante faciem ſuam ſe miſſurum promittit. 2. eundemque in plenitudine temporis mittit, & 3. tanquam Dominator ad templum ſuum venit, ille eſt verus & æternus Deus.

Atqui Chriſtus Dei Filius Angelum ſuum ante faciem ſuam ſe miſſurum promiſit, eundemque in plenitudine temporis miſit, & tanquam Dominator ad templum ſuum venit.

E. eſt verus Deus.

Major probatur.

I. Quia qui rem futuram in præſenti promittit, ille non homo, ſed DEus eſt. Nam ante 450. annos, cum per Malachiam Prophetam Filius Dei Angelum ſuum, h. e. Johannem Baptiſtam promitteret, ille nondum ſecundum carnem exiſtebat, quare neceſſe erat aliam in eo eſſe naturam, ſecundum quam eum promitteret. Et quod notandum: Promittit Angeli ſui misſionem in præſenti: Dicit: Ecce ego mitto &c. Quo infallibilis eventus certitudo inſinuatur. Loquitur enim de re futura tanquam de præſenti: id quod ſolius Dei eſt proprium. Nam hujus ſolius dicere eſt facere, *Pſalm 33.v.9.* Ipſe dixit & facta ſunt. Homines verò non niſi cum conditione voluntatis divinæ futura promittere poſſunt & debent, docente *Jacobo c. 4. v. 15.*

II. Sicut Chriſtus Angelum ſuum promiſit: Ita quoque in plenitudine temporis eundem miſit. Et nihilominus tamen eodem ſecundum carnem eſt poſterior. Ergo neceſſum eſt in Chriſto eſſe aliam Naturam, ſecundum quam Johanne fuit prior, eumque in V. T. promiſit, & in N. T. miſit. Sicut ipſe Johannes ad Legatos concilii Hieroſolymitani dixit: αὐτός ἐστιν, ipſe eſt (ſc. Mesſias, de quo quæritis) qui poſt me venturus eſt: qui prior me fuit, *Joh. 1. v. 27.* Unde Johannes Baptiſta Chriſti Angelus & prodromus à Patre ſuo *Zacharia* vocatur Propheta Altisſimi, h. e. Filii Dei, qui eſt Deus altiſſimus, *Luc. 1.*

III. Vo-

III. Vocatur Meſſias *Dominator* ad Templum ſuum venturus. Unde colligitur, quod ſit verus Deus. Quia nullus hominum habet templum proprium, illudque tanquam Dominus poſſidet.

Hinc Judæi Templum Hieroſolymitanum vocabant templum Jehovæ, ſicut etiam revera erat. Quia nomen Jehovæ ſuper urbem Hieroſolymam, ſuper templum, & ſuper populum Iſraëliticum nominatum erat, *Ezech.* 47. Unde de 4. Judæi gloriari ſolebant: 1. de νόμῳ, 2. de τόπῳ, 3. de ναῷ, & 4. de λαῷ. Id quod contra Judæos ſeriò urgendum. Cyrus quoque in decreto ſuo regio à ſe publicato hoc ipſum confeſſus eſt. Verba ita habent: Quis eſt in vobis in univerſo populo Dei? Sit Deus illius cum ipſo, aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, *Eſdr.* 1. *v.* 3.

§. 39. *Minor probatur.*

I. Chriſtus Angelum ſuum ſe miſſurum ante faciem ſuam apud Prophetam Malachiam promiſit. Atqui Deus Pater propriè Johannem Baptiſtam non miſit ante faciem ſuam. Quia Johannes Baptiſta fuit Prodromus Chriſti Mediatoris, non Dei Patris: Et paravit viam ante faciem non Dei Patris, ſed Meſſiæ propriè loquendo. Quia ipſe prædicavit ſemeſtri ſpatio ante Chriſtum, clamans: Pœnitentiam agite: Appropinquavit enim regnum cœlorum, *Matth.* 3. Quo notatur Adventus Meſſiæ (intellige ad officium Redemptoris cum omnibus ſuis beneficiis) Imo Johannes quinquies teſtimonium Chriſto perhibuit, *Joh. c.* 1. & 2. Unde ipſe Johannes inquit: *Joh. c.* 5. Ipſum oportet creſcere, me verò minui.

II. Chriſtus Angelum ſuum in plenitudine temporis miſit. Sicut ipſe Johannes confitetur *Joh.* 1. quod poſt ſe venerit (intellige vel quoad temporalem nativitatem, vel vocationem ad officium) licet prior ſe fuerit (intellige quoad deitatem.)

III. Chriſtus tanquam *Dominator* ad Templum ſuum venit. Quia venit ut Rex, equitans ſuper aſinam & ſuper pullum filiæ ſubjugalis, juxta vaticinium Zachariæ Prophetæ, *Zach.* 9. Venit ut Dominus Templi in templum, illud reformans & vendentes & ementes ex illo ejiciens, *Matth.* 21. *Luc.* 19. Et ſibi Templum tanquam proprium vendicavit, quando dictum illud, quod *Eſa.* 56. *v.* 5. 7. Jehovæ tribuitur, ad ſe accommodavit, dicens: Domus mea, domus orationis eſt. Ergò Templum Hieroſolymitanum, in quod Judæi orandi cauſa confluebant, 1. *Reg.* 8. (unde etiam Domus orationis vocabatur) Chriſti Domus eſt. Ergò quoque ipſe verus & æternus Deus eſt.

Tem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Templum Hieroſolymitanum dicitur Meſſiæ Templum

- I. *Paſſivè*
  - 1. *reſp. ædificationis:* quia ipſe erat Dominus DEUS Iſraël, in cujus honorem templum ſecundum extruendum erat, uti ex edicto Cyri ſuprà allegato patet *Eſdr. 1. v. 3.*
  - 2. *reſp. præfigurationis:* quia omnia ſacra & ceremoniæ templi illius erant typi Chriſti, quemadmodum prolixè exponitur in *Epiſtola ad Hebræos cap. 9.*
- II. *Activè*, propter viſitationem & manifeſtationem. Quia ad illud venit duplici modo:
  - 1. Ut *prædicator* vel *AngelusTeſtamenti:* Quia locus ille ad hoc erat divinitùs deſtinatus, ut ſuum in eo inchoaret & perficeret officium Meſſias: cujus præludium fuit oblatio ejus facta in templo, cum vix ſex ſeptimanarum infans eſſet, & diſputatio cum Phariſæis, cum vix 12. eſſet annorum, *Luc. 2.*
  - 2. Ut *Dominator*. Quia illud repurgavit, *Joh. 2. Matt. 21. Luc. 19.* ut anteà diximus.

LOCUS II.

DE

DEO UNO.

§. 40. ANTILOGIA I.

P*Sal. 134. 7.* Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? *v. 8.* Si aſcendero in Cœlum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades, *v. 9.* Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris *v. 10.* Illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet me dextera tua.

Prov.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Prov. 15. v. 3. Oculi Dei in omni loco contemplantur bonos & malos. *Gen. 3. v. 9.* vocavit Deus Adamum & dixit ei: Ubi es?

Hic *dubium* oritur, quomodo locus tertius cum primo & ſecundo ſit conciliandus. Illa enim Dei omniſcientiam adſtruunt, hic verò deſtruit. Nam qui quærit aliquid, ille rem, de qua quærit, ignorare videtur.

CONCILIATIO.

Circa hanc Antilogiam conſideranda veniunt tria: 1. *Senſus.* 2. *Uſus.* 3. *Abuſus* loci tertii.

§. 41. I. SENSUS.

Quæſtio hæc Dei: Adame, ubi es? διττῶς conſideratur: 1. Ἀρνητικῶς, h. e. negativè, qualis non ſit. 2. θετικῶς, h. e. affirmativè, videlicet qualis ſit.

1. Ἀρνητικῶς.

Quæſtio hæc Dei non eſt Dei ignorantis, cujus enim oculi in omni loco bonos malosque contemplantur, *Prov. 15. v. 3.* quiq; ſcrutatur cor hominis, *Jer. 17. v. 10.* Et renes ejusdem, *Pſal. 7.* quomodo ille quicquam ignorare poſſet?

2. θετικῶς.

Θετικῶς autem hæc Dei quæſtio conſiderata quadruplicem reſpectum admittit:

I. Sunt verba *Judicis hominem peccatorem ad judicium citantis.* Deus enim Adamum turpiſſimum Apoſtatam factum hiſce verbis ad judicium peremptorie citare voluit, ne non auditus condemnaretur.

II. Sunt verba *Judicis increpantis.* Hiſce verbis Adamum Deus increpat, quod felicitatem amiſerit priſtinam, inque præſentem inciderit miſeriam. *Quadruplex* enim hominis ante lapſum erat *dignitas* & excellentia. *Prima* erat *animæ* rectitudo, quippe quæ ſapiens erat & ſancta. *Secunda* erat juſta *corporis* conſtitutio, quod pulchrum, impaſſibile & immortale erat. *Tertia* erat *Vitæ* conditio, quæ felix & beata. *Quarta* erat *Domicilii* habitudo & pulchritudo. Domicilium enim Protoplaſtorum erat amœniſſimum & longè pulcherrimum, nempe Hortus voluptatis, qui Paradiſus Dei dicebatur. Ex hiſce autem quatuor dignitatibus homo per lapſum excidit, id quod Deus hiſce verbis ei exprobravit; Quaſi diceret: Ubi nunc Adame eſt mentis tuæ tranquillitas & animi ſecuritas? Ubi eſt corporis tui nuditas? Ubi vitæ innocentia & beatitas? Ubi manſionis tuæ ſtabilitas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Elegans Dictum Ambroſii.

Ambroſius in lib. de Parad. c. 14. in hanc ſententiam ſcribit: Dicendo autem Ubi es? non locum quærit, qui aream novit; Neque enim Deus oculos clauſos habebat, qui latentem non videret? Et paulo poſt. Quid eſt igitur, Adam ubi es? id eſt, non in quo, ſed in quibus es? Non igitur interrogatio eſt, ſed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, & de qua gratia, in quam miſeriam incidiſti? Dereliquiſti vitam, & attumulatus es morti, conſepultus errori. Ubi eſt illa tua benè ſibi conſcia confidentia? Timor iſte culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi igitur es? h. e. non in quo Loco ſis, quæro, ſed in quo STATU. Quò deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum, quem antea quærebas? Hæc *Ambr.* Nec malè inquit *Chryſoſt.* In alio te loco reliqui, in alio te invenio: aliâ gloriâ te veſtitum reliqui: nunc in nuditate invenio. Et *Cæſarius Dialog. 1.* Jehovam riſiſſe quaſi & ſubſannâſſe clandeſtinam Adami ſubductionem, & temerarii conſilii ſtoliditatem, quæ mox poſt vetiti fructus deguſtationem ocultare ſe vellet.

III. *Sunt verba Medici confeſſionem morbi ab ægroto extorquere conantis*, ut *Gen. 4.* inquit Deus ad Cainum. Ubi eſt Frater tuus? Non autem directè quærit: quare illi peccarint, ſed vult ipſos hoc confiteri. Sumit igitur ex Adami fuga quærendi anſam: Ubi es? Quò abis? Quænam inſolita tua fuga? Sicut enim Medici ab ægroto quærunt locum vulneris, ut ei ſalutarem ac congruentem applicare poſſit medicinam: Ita etiam Deus animarum noſtrarum Medicus confeſſionem à nobis requirit, quod niſi fit, Medicina ſpiritualis nobis applicari nequit.

Chryſoſt. de pat. Jobi. DEus ſæpenumero interrogat, non ut diſcat, ſed quo interrogatorum mentem experientia intueatur, ſi verè ſcienterque confiteantur. Sic interrogat Cain: Ubi eſt Frater tuus? Voluit namque eum, qui malum fecerat, vel ſui ipſius accuſatorem ſtare, quò ſui accuſatione facinoris magnitudo leniretur: Omnis enim, qui ſeipſum accuſat, Judicis iram mitigat.

IV. *Sunt verba Patris Filium commiſerantis*, & ad pœnitentiam vocantis. *Chryſoſtomus* inquit: quod hæc vox DEI: Ubi es? plurimam habeat Miſericordiæ vim cum Comitate conjunctam, quod lapſum hominem DEus ipſe requirit & compellat.

REGULA.

Quæſtiones Dei in Scripturis ſacris factæ ἀνθρωποπαθῶς ſunt intel- "
ligendæ. Quia non propter Deum, ſed propter hominem ipſum ſunt "
inſti-

inſtitutæ, uti ex dictis patet. Et tales quæſtiones Dei in S. codice occurrunt frequentes, ut hoc loco de Adamo, *Gen. 4. v. 9.* de Caino, *Num. 22. v. 9.* de Bileamo, *2. Reg. 20. v. 14.* de Ezechia Rege. Hæ autem quæſtiones, quia non propter DEum, ſed propter hominem ipſum factæ ſunt, Dei omniſcientiam haud tollunt vel evertunt.

§. 41. *II. Usus.*

Uſus eſt triplex:

I. *Reſpectu DEI.* Sic diſcimus hinc 1. *Juſtitiam Dei æquiſſimam*, qui hominem inauditum non condemnet, ſed prius auditum & convictum adjudicet. Per hoc nos docens, inquit *Chryſoſtomus Homil 17. in Gen.* ne quem Fratrum noſtrorum, niſi cauſa prius diligenter cognita condemnemus.

2. *Immenſam Dei gratiam & miſericordiam*, quod hominem à ſe fugientem & ſeſe abſcondentem non negliget aut deſerat, ſed paternè quærat, blandè compellet, & ſtudioſè ad pœnitentiam invitet. Quod niſi factum fuiſſet, homo nunquam in conſpectum DEI prodiiſſet, ſed in latebris æternæ mortis contabuiſſet. Unde clarè videmus, quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri.

II. *Reſpectu Adami*, qui fruſtrà foliis ficuum ſe præcinxit, & latebras coram Deo quæſivit. Fruſtrà enim quis ante eos oculos ſe latitare poſſe putat, qui omnia colluſtrant. Videmus etiam hinc vim conſcientiæ, quæ ſtatim admiſſo facinore hominem intus flagellat & laniat, etiamſi facinus ipſum homines omnes lateat. Unde *Nazianzenus* conſcientiam vocat Tribunal internum. *Philo* domeſticum conſiſtorium.

III. *Reſpectu Noſtri.* Exemplum humanæ pervicaciæ evidentiſſimum hiſce verbis inſinuatur. Quando enim Deus nos in genere vocat, latebras quærimus. Quando autem in ſpecie nos vocat, & judicio ſuo tremendo ſiſtit: hiſce verbis: Ubi tu es? Tum ingemiſcimus, Dominumque anxiè quærimus. Sic *David* non convertitur, donec audiat: Tu es ille vir, h. e. Filius mortis, *2. Sam. 12. v. 7.* *Saulus* non convertitur, priusquam audit: Saul, Saul, qvid me perſeqveris, *Act. 9. v. 4.*

III. Abusus.

Fauſtus Manichæus ex hoc loco Moſen incuſandi anſam captavit, quod Dei providentiam negaverit, quaſi Deus hominem in angulo Paradiſi latitantem, poſt agnitam nuditatem, quaſi illum videre non poſſet, clamoribus inquireret. Vide *Auguſtin. contra Fauſt. lib. 22. c. 1.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 42. ANTILOGIA II.

M*Alach. 3. v. 6.* Ego ſum Deus & non mutor.

Rom. 1. v 23. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in imaginem mortalis hominis.

Matth. 6. v. 10. Sanctificetur Nomen tuum.

Hîc dubium ſeſe offert: Si Deus eſt ἀμετάβλητος, ſicut dicitur in loco priori: & ἄφθαρτος, ut dicitur *Rom. 1.* quomodo gloria Dei mutari: it. quomodo Dei Nomen ſanctificari poteſt.

℞. Gloria Dei duplex eſt: *Abſoluta* & *relativa.*

1. Gloria Dei *abſoluta* eſt, quâ Deus in ſeipſo glorioſus eſt, ſive eſt Majeſtas Dei Eſſentialis, per quam ipſe eſt ſummus & altiſſimus, & ſuper omnia excelſus, ſuperque omnia laudandus & colendus Deus in ſecula benedictus. Ita accipitur *Eſa. 42. v. 8.* Gloriam meam alteri non dabo, h. e. Deitatem meam, measque proprietates eſſentiales, *Joh. 2. v. 11.* Chriſtus manifeſtavit Gloriam ſuam, h.e. Deitatem ſuam & divinam potentiam per miraculum in nuptiis in Cana Galileæ editum.

2. Gloria Dei *relativa* eſt agnitio & celebratio Dei, ſive laus & cultus Deo debitus, qui non eſt in Deo, ſed in creaturis rationalibus. Sic accipitur *Luc. 2. v. 14.* Gloria in excelſis Deo, *Joh. 11. v. 4.* Morbus iſte non eſt ad mortem, ſed pro Dei gloria, ut per eum morbum glorificetur Filius Dei, *Phil. 1. v. 11.* Pleni fructibus juſtitiæ, qui ſunt per JEſum Chriſtum ad gloriam & laudem Dei.

Ex datâ diſtinctione jam reſpondemus, quod Gloria Dei *abſoluta*, quâ ipſe in ſeipſo glorioſus eſt, mutari non poſſit. Sed Gloria Dei *relativa* mutari poteſt, non Dei imminutione, ſed creaturarum errore & ſcelere. Mutant enim Idololatræ Gloriam DEI 1. non qvoad Deum, ſed qvoad ſe. 2. non ἀληθινῶς, ſed δοξαστικῶς, non in rei veritate, ſed in ſua opinione. 3. non faciendo in Deo mutationem, ſed in cerebro ſuo aberrationem.

Hûc pertinet *Regula Theologica:* Multa dicuntur de Objecto, quæ tamen intelligenda ſunt de principio.

Mutatio autem gloriæ divinæ duplex eſt:

I. Fit *per Idololatriam craſſam & directam*, h. e. quando Idololatræ, præterito Deo creatore, pro Diis colunt vel creaturas, vel manuum ſuarum opera & figmenta: idqve vel *intrinſecus* vel *extrinſecus.* Talis ordo Deorum apud Gentes triplex erat:

Primus cœleſtes Deos comprehendebat, ex quibus 12. primarii ac ſelecti Dii fuerunt appellati; quos *Ennius* hoc Diſticho comprehendit:

Juno,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Jovis, & Neptun: Vulcanus, Apollo.

Secundus Mediochimos continebat, h. e. Heroicos & præſtantes Viros, quorum animas partim in aëre, partim in terris vivere putabant: Sicut *Heſiod.* indigetat *lib. 2.* περὶ ἐργ. καὶ ἡμ.:

Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Tertius comprehendebat Plutonem cum Tartareo ſatellitio.

Ad hanc idololatriam referenda quoque eſt Ægyptiorum cœcitas, qui Crocodylo, Felibus, Serpentibus, Aſpidibus, Canibus, aliisqve animantibus, imò & cœpis aliisqve fruticibus hortenſibus divinitatem ineſſe fingebant. Vide plura in *Collegio noſtro Antiph. I. Exerc. 4. th. 24.*

II. Mutatur Gloria Dei per *Idololatriam indirectam & ſubtilem*, h.e. quando verus quidem Deus colitur, ſed non debito modo, h. e. ſicut ipſe in verbo ſuo præcepit, idqve rurſus fit tribus modis:

1. Quando homines Deum alligant ad certa loca, aut res, ad quas verbo ſuo ſeſe non alligavit, ſub hac opinione, quaſi ibi rectus colatur, aut illi faciliùs exaudiantur, ut qvando Deum in Statuis adorant, ſicut in Venetorum verſibus habetur:

   En Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
   Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

   Sic populus Iſraëliticus in deſerto Deum figurabat & colebat in vitulo: Iſraëlitæ in vaccis aureis *Dan* & *Bethel.*

2. Quando eliguntur cultus ſine Dei verbo, tanquam ad ſalutem neceſſarii, ut: Miſſa, Jejunia, Opera monaſtica, & omnes ἐθελοθρησκείας.

3. Quando verus quidem Deus colitur, ſed non ſolus, qualis cultus in V. T. inſtituebatur à Jerobeamo. Hûc etiam pertinet Samaritaniſmus.

Unde patet, quod DEUS IN SE & ratione sui manens immutabilis NOBIS vel IN NOBIS fiat mutabilis, vel qvando pro Deo colitur, qui Deus non eſt, vel quando quidem Deus verus colitur, ſed non eo modo, quo coli ſeſe vult & præcepit. Et hoc ipſum D. Paulus *Rom. 1. v. 23.* φανερῶς indigetat, qvando affirmat, quod gentes gloriam Dei INCORRUPTIBILIS, (h. e. exiſtentis & in ſe ita manentis) mutârint (intellige reſpectu sui, vel in CULTU ſuo) in imaginem hominis mortalis.

§. 43. *CONCILIATIO II.*

Similiter quando *Matth. 6.* dicitur: Sanctificetur Nomen tuum, eo

ipſo Deus immutabilis nullo modo redditur mutabilis. Nam Dei Nomen eſt Deus ipſe, ipſiusqve Majeſtas, ſanctitas, bonitas, juſtitia, veritas, adeoqve quicquid Deus eſt, dicit aut facit, illud omne tanqvam Nomen Dei ſanctum & venerabile nobis eſſe debet.

Sanctificatio autem hæc duobus modis intelligi poteſt:

I. *In ſenſu abſoluto*, quaſi DEUS Deive Nomen in ſe & ratione ſui ſanctificetur. Sic DEUS Deiqve Nomen nullo modo ſanctificari poteſt, DEUS enim Deive Nomen ita ἀμεταβλήτως, h.e. incommutabiliter ſanctum eſt, ut ſanctius nullo modo fieri poſſit.

II. *In ſenſu relativo*, h.e. ratione noſtri, quando Deus in ſe ſanctus exiſtens, à nobis quoque talis eſſe agnoſcitur. Et hæc *ſanctificatio* Nominis divini *triplex* eſt:

1. Δογματική, qvando Verbum Dei patefactum purè & incorruptè docetur, ipſeque ex eo agnoſcitur & celebratur ut Deus verus in ſua Miſericordia bonus, in vindicanda legis transgreſſione juſtus, in promiſſionibus verax & conſtans, in cunctis deniqve operibus ſuis ſapiens & omnipotens, *1. Pet. 4. v. 11.* Si quis loqvitur, loqvatur ut eloquia Dei: Si quis miniſtrat, miniſtret tanqvam ex virtute, qvam ſuppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur DEUS per JEſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

2. ἐνεργητική, quando Chriſtiani, qui ſeſe profitentur Dei ſervos, ipſius verbo dignè ambulant, ſuisqve factis Deum glorificant, tanquam populus in Dei gloriam electus, *Matth. 5. v. 16.*

3. παθητική, quando ſancti hominesqve pii ſuis, quas pro DEI nomine & gloria perferunt, afflictionibus & paſſionibus Dei nomen ſanctificant, *1. Pet. 4.*

Contra verò *Dei nomen profanatur* & polluitur tribus modis:

1. Δογματικῶς, h.e. doctrinâ perversâ: Cujus inſigne ſpecimen in Talmud Judaico, omnium blaſphemiarum & portentorum farragine videre licet. Nam (ut ex multis unum tantum exemplum afferam) Deo Opt. Max. hoſtes gloriæ divinæ ignorantiam & peccatum impingere non verecundantur: quippe quem affirmant tribus primis cujusque diei horis lectioni Talmud attendere, & ob lunæ lumen diminutum, templum deſtructum, populumqve ſuum captivitati mancipatum pœnitentiam propriè agere, & expiatione indigere, adeoqve ſepulto Moſis corpore immunditiam contraxiſſe.

2. ἐνεργητικῶς, h.e. Vitâ impiâ & ſceleratâ, Sic Judæi ſecundum

Legis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Legis præceptum impia petulantiâ pedibus terunt, quando eos, qui DEO maledicunt, blaſphemiæ haud arceſſunt, dummodo nomen illud τετραγράμματον (quod vocant Schemhamphoras) non uſurpaverint. Qualis etiam eſt vita Papiſtarum hypocritica. De qua conqveſtus jam olim eſt *Innocent. Serm. 2. in die Cinerum*, ubi ſcribit: Noctu filium Veneris agitant in cubili, manè filium Virginis ſacrificant in altari: Noctu Venerem amplexantur, manè Virginem venerantur.

3. παθητικῶς, h. e. vita dura & laborioſa. Sic afflictionibus & vita dura Phariſæorum, quam vitæ æternæ meritoriam finxerunt, Nomen Dei ſummè blaſphematur: quam enim duri rigidiqve in afflictionibus corporum illi fuerint, ex illorum ordinibus patet, quorum 7. vulgò numerant Rabbini:

1. *Sichimitæ* vel Phariſæi Magni, qui de operibus ſupererogationis gloriabantur. 2. *Impingentes*, qui pedes lapidibus impegerunt, ſeqve cruentârunt. 3. *Flagelliferi* vel ſangvinis effuſores. 4. *Cucullati* vel *Mortariarii*, qui cucullâ caput operuerunt, proſpicientes velut ex profundo mortario tantùm prorſum & deorſum. 5. *Glorioſi Thraſones* & Quæſtioniſtæ: Quid debeo facere & faciam. 6. *Phariſæi ex amore*, videlicet promerendæ ſalutis. Et 7. *Phariſæi ex timore* ſc. iræ Dei.

Sic quoque Papiſtarum χαμαιυνία eſt ſumma Nominis divini profanatio: quia perinde ac Phariſæi eam vitæ æternæ fingunt eſſe meritoriam.

§. 44. *DUBIUM.*

Quæritur hîc, an per Imagines gloria Dei immutetur?

Affirmant Calviniſtæ. Quia *Deut. 4. v. 15.* ſcriptum ſit: Cavete diligenter animabus veſtris: non enim vidiſtis ullam imaginem à die, quo locutus eſt JEHOVA ad vos in Horeb in medio ignis, ne fortè corrumpatis vias veſtras, & faciatis vobis ſculptile aut imaginem ullius ſimulachri. Unde concludunt non licere Chriſtianis in N. T. ullam imaginem, aut ſimilitudinem vel Dei vel Chriſti, vel pingere vel fingere.

℞. Uſus imaginum duplex eſts: *Illicitus* & *Licitus*.

I. Uſus imaginum *illicitus* aliàs dicitur *ſuperſtitioſus*, quando imagines cum impietate ſunt conjunctæ, idqve *dupliciter*:

1. *Formaliter*, quando in ipſa imagine vel pictura eſt aliquid impietatis, ut quæ exprimit Dei naturam vel eſſentiam &c.
2. *Finaliter*, quæ proſtat ad adorationem, ita ut vel adoretur ea, vel DEUS in ea.

Per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Per hunc imaginum uſum gloria Dei mutatur: 1. Quia nulla creatura aut pictura Eſſentiam vel naturam Dei exprimere poteſt. 2. Quia DEUS expreſsè prohibuit Deos aureos & argenteos, & omnes imagines aut ſimilitudines ad adorandas eas, *Exod. 20. v. 1. 2. 3. 23.* Et damnat eundem D. Paulus *Rom. 1.*

II. *Licitus* imaginum uſus duplex eſt: 1. *Politicus*. 2. *Eccleſiaſticus*.

1. Uſus imaginum *Politicus* (aliàs dicitur Symbolicus) eſt, qui commonefacit nos de re, quæ imagine illa repræſentatur, ob finem politicum, ut: Imago Cæſaris in moneta monet 1. hanc Cæſaris eſſe monetam. 2. Obedientiam Cæſari præſtandam eſſe politicam. Et hunc uſum imaginum Chriſtus ipſe non improbat, ſed approbat, quando *Matth. 22. v. 21.* ad Phariſæos inqvit: Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei. Ergò neqve per hunc uſum Imaginum gloria Dei mutatur.

2. Uſus imaginum *Eccleſiaſticus* rurſus eſt duplex:

I. *Typicus*, qualis fuit ſerpens æneus, *Num. 21. Joh. 3.* Hic ultra 700. annos in populo Dei ſervatus fuit, uſque ad tempora Ezechiæ, *2. Reg. 18.* Talis etiam fuerunt Cherubim in V. T. *Exod. 25. v. 18. 19. 20. 22.* Sed hic uſus in V. T. viguit, & jam deſiit. Neque per eum gloria Dei mutata fuit: quia juſſu Dei tum ſerpens æneus, tum Cherubim à Moſe formati fuerunt.

II. *Hiſtoricus*, quando vel propter monumentum rerum geſtarum, vel propter ornatum imagines adhibentur. Et ſic habere imagines vel picturas, quæ repræſentant aliquam viſionem, quâ DEUS apparuit ſanctis licitum eſt. Cur enim eam repræſentare formam non liceret, in qua DEUS ipſe ſe depingere voluit? Neqve ſic Gloria Dei mutatur, quin potius in rudibus & idiotis promovetur. *Gregor. lib. 7. Ep. 169.* inqvit: Idcircò pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Et *lib. 9. Ep. 9.* Aliud eſt picturam adorare: aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus Scriptura: hoc idiotis cernentibus præſtat pictura.

§. 45. Antilogia III.

Deus benedixit hominibus, *Gen. 1. v. 28.* Benedixit eis Deus & dixit: Creſcite & multiplicami.

Homines benedicunt Deo, *Pſal. 103. v. 1.* Benedic anima mea Domino.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Hîc aperta videtur eſſe ἀντιλογία. Qui enim alicui benedicit, ille eidem benedictionem confert: quod ſi autem hoc verum eſt, non tantùm Deus homini, ſed etiam homo ipſi Deo aliquid gratiæ dare & conferre videtur, id quod Dei Excellentiæ parùm congruere meritò dicetur.

§. 46. *CONCILIATIO.*

Verba ſecundum diverſitatem ſubjectorum diverſimodè accipiuntur. Sic etiam vox Benedicere aliter de DEO, aliter de CHRISTO, aliter denique de HOMINIBUS enunciatur.

PRIMÒ, quando DEO tribuitur, tum Benedictio divina intelligenda non tantùm γραμματικῶς, ſed etiam πραγματικῶς, h. e. cum verbis ſemper rem ipſam & efficaciam habet conjunctam: Quia Deus eſt actus puriſſimus & potentiſſimus, ideoque Dei benedicere eſt benefacere.

Benedictio autem Dei dirigitur ad objecta triplicia: 1. Ad Animantia in genere. 2. Ad hominem. 3. Ad res inanimatas.

1. *Animantibus* DEus benedixit, quando fœcunditatem corporibus eorum indidit, & ut ſpecies novo propagationis medio conſervarentur effecit, eaque omnibus bonis corporalibus replevit.

2. *Hominibus* Deus benedixit; tum quâ homines ſunt; tum quâ homines electi ſunt: illa eſt benedictio generalis: hæc vero ſpecialis.

GENERALIS benedictio conſideratur vel ante lapſum, vel poſt lapſum.

Ante lapſum Deus Protoplaſtis noſtris benedixit *Gen. 1.* triplici benedictionum genere: 1. pertinuit ad Speciei propagationem, & hiſce verbis continetur *v. 28.* Creſcite & multiplicamini, & replete terram. 2. pertinuit ad dominationem, omniumque animantium gubernationem, *v. 28.* Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & omni animanti, quod reptat ſuper terram. 3. pertinuit ad victum & corporis ſuſtentationem, *v. 29.* Ecce dedi vobis omnem herbam, & omnem arborem, in qua eſt fructus, & erit vobis in eſcam.

Poſt lapſum Deus rurſus benedixit Nohæ ex arca egreſſo, uti legere eſt *Gen. 8. v. 1.* &c. & illa benedictio, qua Deus poſt diluvium humano generi benedixit, ut creſcerent & multiplicarentur, adhuc efficax eſt, naturâ ad generationem cooperante.

SPECIALIS Dei benedictio eſt, qua benedixit Electis hominibus in dilecto, idque tum ἀχρόνως, *Eph. 1, 3.* tum ἐγχρόνως, quando

Eccleſiam conſervat & longe lateque propagat, in eaque pios omnibus bonis ſpiritualibus replet, *Matth. 16. Eph. 1.*

3. *Rebus inanimatis* benedixit Deus omnibus & ſingulis, præſertim autem

I. *Sabbatho*, vel diei ſeptimo, quem Deus præ reliquis diebus cultui divino conſecravit eumque ſanctificavit, *Gen. 2. v. 3.* Unde Moſes immediate ſubjungit: Deus benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit eum. Ubi obiter notandum, quod Deus diem ſeptimum benedixerit *non in abſtracto*, quaſi dies ille in ſe & ratione ſui ſanctificatus ſit, h. e. quaſi illa dies prout eſt tempus & numerus motuum & actionum in ſeſe reliquis ſit melior, aut peculiares Dei gratiæ huic diei peculiariter adſtrictæ ſint, quas hoc ipſo & non alio die Deus nobis conferre velit: Sed IN CONCRETO, h. e. ratione operis, quod juſſit Deus in eo fieri: Quia dies eſt menſura operum. *Bonaventura in 2. Sent. diſt. 15.*

II. *Cibis* & *Potibus*, ſicut manducaturi orare ſolemus: Oculi omnium in te ſperant, Domine &c. & imples omne animal benedictione.

§. 47.

SECUNDO etiam ſuo modo *Benedictio tribuitur* CHRISTO. In hiſtoriis enim Evangeliſtarum legimus, quod Chriſtus *quatuor* vicibus εὐλογία ſive benedictione uſus ſit:

1. *In vulgarium conviviorum celebratione*, *Luc. 24. v. 30.* Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ut ſuo exemplo doceret, ciborum ſumptionem cum gratiarum actione & inchoandam & terminandam eſſe, *1. Cor. 10. v. 31. 1. Tim. 4. v. 4.*
2. *In Sacræ Cœnæ inſtitutione & adminiſtratione.* Ubi notandum, quod ab Evangeliſtis duo uſurpentur vocabula συνώνυμα, videlicet εὐλογίας & εὐχαριστίας. Sic Paulus calicem benedictum vocat ποτήριον εὐλογίας, *1. Cor. 10. v. 16.*
3. *In bonorum cœleſtium elargitione & collatione.* Sic *Marc. 10. v. 16.* benedixit puerulis in ſtatu Exinanitionis: imponens manus ſuper infantes ηὐλόγει, benedixit illis, *Luc. 24. v. 50.* in ſtatu glorificationis aſcenſurus in cœlum, ſuis benedixit diſcipulis. Verba Evangeliſtæ hæc ſunt: Educit Diſcipulos ſuos in Bethaniam & ſublatis manibus, prius benedicit illis: εὐλόγησεν αὐτοὺς.
4. *In Miraculorum productione. Matth. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16.* cum quinque panibus 5, hominum millia ſatiare vellet.

§. 48.

TERTIO *Benedictio* etiam *tribuitur* HOMINIBUS. Et illa *duplex: Licita & illicita: Illa* juxta Dei verbum & mandatum: *hæc* verò contra Dei verbum & mandatum ab hominibus exercetur.

I. LICITA *hominum Benedictio* dirigitur vel ad PERSONAS, h. e. vel ad Deum, vel ad homines alios: vel ad RES, *easque* tum *ſacras* tum *profanas*.

1. Quando *homines* DEO benedicunt, tum nequaquam illi perfectionem aliquam tribuunt, ſed Majeſtatem & perfectionem ejus agnoſcunt, laudant ac prædicant: ut *Pſal. 103. v. 1.* Benedic anima mea Domino.

2. Quando *homines ſibi invicem* benedicunt, fauſta & felicia quæque à Deo ſibi invicem precantur. Quæ benedictio itidem divinâ gratiâ efficax eſt, ſi ab hominibus piis proficiſcitur, aut ſi DEI nutu & authoritate peragitur. Et hæc *duplex* eſt: *vulgaris* & *Ceremonialis*.

Benedictio vulgaris eſt quodlibet votum pro ſalute & incolumitate proximi conceptum, ut *Pſal. 129. v. 8.* Benedicemus vobis in nomine Domini. *Aliàs* dicitur

Benedictio Charitatis: quia omnes Chriſtiani mutuò alii aliis benè precari ex Chriſti mandato tenentur, *Luc. 6. v. 28.* Benedicite illis, qui devovent vos.

Benedictio Ceremonialis eſt, quæ fit ratione officii, certisque ceremoniis. Et hæc rectè ad benedictionem divinam refertur, quia Deus efficax eſt, & operatur per miniſterium eorum, qui talem benedictionem peragunt: Hæc autem benedictio eſt particularis, quia non omnibus piis & Chriſtianis, ſed tantùm perſonis publicis competit, quæ cum autoritate inferioribus benedicunt. Unde *aliàs* venuſtè & eleganter *Benedictio Auctoritatis* appellatur. Eſtque duplex: pertinet enim vel *ad V.* vel *ad N. T.*

In V. T. duplex erat *benedictio Ceremonialis: 1. Patriarchalis. 2. Sacerdotalis.* Illa erat extraordinaria, hæc vero ordinaria.

I. *Benedictio Patriarchalis* erat, qua Patriarchæ filiis ſuis ante mortem benedixerunt, habens vim prophetiæ de futuris eventibus. Ude aliàs prophetica benedictio: item perſonalis vel extraordinaria appellatur. Talis fuit benedictio Nohæ benedicentis filiis ſuis, *Gen. 9. 26.* Et Iſaaci transferentis jus primogenituræ ad Jacobum, *Gen. 27. v. 33.* Item Jacobi benedicentis Filiis Joſephi: Et Teſtamentum Jacobi, *Gen. 49.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Benedictio Sacerdotalis* erat, quâ Levitici Sacerdotes populo Iſraël publicè benè precabantur, *Num. c. 6. v. 23.* mandat DEUS Sacerdotibus; Sic benedicetis filiis Iſraël; Benedicat tibi Jehova &c. De qua benedictione ſcribit *Capnio* (aliàs *Reuchlinus* dictus) *lib. 3. Cabalæ fol. 879. è Salomone Tecenſe*, quod Sacerdotes V. T. hanc εὐλογίαν ſtantes tribus digitis utraqve in palmâ erectis, & reliquis duobus depreſſis antiquitus pronunciaverint, quo ritu myſterium venerandæ Trinitatis adumbrare voluerunt: Aliàs dicitur *Benedictio ordinaria* vel *officialis*; quia non erat periodica & perſonalis, aut benedictio Patriarchalis; ſed erat perpetua, cumq; officio Sacerdotum V. T. indiviſo nexu combinata.

In N. T. *Benedictio Ceremonialis* eſt, quando novi Paſtores & Conjuges benedictionem in publicis Eccleſiæ congreſſibus accipiunt. Item: quando Paſtores toti Eccleſiæ benedicunt; & benedictionem *Num. 6.* præſcriptam ex ore Dei repetunt: Benedicat tibi Jehova, &c.

3. Benedictio, quæ *ad Res* dirigitur, occupata eſt (ut ſuprà diximus) vel circa res ſacras, vel circa vulgares & profanas.

Circa *res ſacras*, ut ſunt ſymbola externa ſacramentalia, videlicet aqua in Baptiſmo: & panis & vinum in ſacra Synaxi. Quæ externa ſymbola Miniſter Eccleſiæ per εὐλογίαν Sacramentalem à vulgari uſu ſeparat, ſanctificat & conſecrat, ut fiant organa rerum cœleſtium.

Circa *res profanas*, quando nos cibo & potui in Cœnis vulgaribus benedicimus, eaque cum gratiarum actione ex manu Dei percipimus, *1. Cor. 10, 31. 1. Tim. 4. v. 4.*

II. ILLICITA hominum *Benedictio* eſt, quæ fit vel *præter* vel *contra* Dei verbum. Illa ἄγραφος: hæc ἀντίγραφος commodè dici poteſt.

Præter Dei Verbum fiunt ſuperſtitioſæ benedictiones Papiſticæ, videlicet aquæ, cereorum, panis, templorum, altarium, campanarum, aliarumqve rerum, quarum uſus in miniſteriis ſacris eſt neceſſarius. Hæc enim omni Dei mandato & promiſſione deſtituuntur.

Contra Dei Verbum fiunt benedictiones καθ' ἀντίφρασιν ſic dictæ, quæ dici poſſunt benedictiones Satanicæ, & nihil aliud ſunt, quàm Magorum & Incantatorum benedictiones, vel potiùs maledictiones & imprecationes, qui horrendâ nominis divini profanatione ſpretis mediis ordinariis, ægrotantibus, aliove malorum aut calamitatum genere afflictis ſuccur-

ſuccurrunt. Tales Jehova in Rep. Judaica pœnas impietatis ſupplicio capitis luere voluit, *Deut. cap. 18.*

APPLICATIO.

Ex dictis jam facilè patet, quodnam ſit diſcrimen inter *benedicere Dei & hominum.* Quando Scriptura dicit Deum benedicere, tum vox illa non de *ſolo voto* aut precatione eſt accipienda, more hominibus uſitato, ſed de *facto ipſo*, videlicet, quod DEUS benedicat, h. e. benefaciat, omnisqve generis bonis ſpiritualibus & corporalibus homines ditet, vitam, motum, ſenſum, vigorem largiatur, vel aliquid ad ſacros uſus deſtinet. DEUS enim eſt potens in exhilarando, *Eph.3.v.20.* Ipſe eſt DEUS dicens & faciens, loqvens non ῥήματι, ſed πράγματι, non verba, ſed res, ut pulchrè inqvit *Lutherus.* Cujus in Grammatica dicere idem eſt quod facere *Pſal.33.v.9. Jud.16.v.17.* Hoc autem de hominibus dici non poteſt. Quod enim votis tantùm exequimur, hoc DEUS dicendo efficit, & faciendo conſervat uſqve ad conſummationem ſeculi.

§.49. ANTILOGIA IV.

SAp. 12. v. 18. DEus omnia in tranquillitate judicat. *Lutherus* reddidit: Richtet in Lindigkeit.

Rom. 1. v. 18. Manifeſta eſt ira Dei de cœlo ſuper omnem iniquitatem.

Pſalm. 6. v. 1. Domine, ne tuo furore arguas me, neqve in ira tua corripias me.

Si DEus in ira & furore homines judicat, quomodo dici poteſt, quod in tranqvillitate omnia judicet. Quia ira & furor ſunt perturbatio mentis & cupiditas ultionis propter contemptum aut læſionem ſui vel alterius, *Ariſt. lib. 8. Top. cap. 1.* D. Paulus *Epheſ. 4. v. 31.* πικρίαν Amarulentiam: θυμὸν, tumorem; ὀργὴν, iram & κραυγὴν, vociferationem conjungit. Et *Gal. 5. v. 20.* Iram operibus carnis accenſet.

℞. I. *Stoici & Epicurei* ideò Deo, uti omnes affectus, ita quoque iram ademerunt, quia ſit perturbatio mentis.

II. *Theologi* vulgò reſpondere ſolent: Iram Deo tribui non affectivè, ſed effectivè, quando nempe pœnis demonſtrat, ſe ex corde odiſſe & abominari peccata.

III. *Nos* verò hanc reſponſionem nimis Stoicam eſſe dicimus, ac proinde ita reſpondemus.

Ira Deo tribuitur διττῶς: 1. *Affectivè.* 2. *Effectivè.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

1. *Affectivè*, qvando ſignificat juſtitiam Dei vindicatricem ἀνθρωποπαθῶς, h. e. juſtam Dei voluntatem, I. *Peccata averſantem.* II. *Peccata vindicandi decernentem.* Priori reſpectu pertinet ad Voluntatem DEI Antecedentem: Poſteriori verò reſpectu ad Voluntatem DEI Conſequentem.

2. *Effectivè* ira Deo tribuitur, quatenus eam actu manifeſtat, idqve fit duobus modis:

I. Λόγοις, h. e. *Verbis*, & ſic ira Dei ſignificat 1. *Pœnarum comminationem*, ut homines pœnitentiam agant, *Jon. 3. v. 9.* Quis ſcit an reverſurus ſit & pœniteat Deum, ut reverſo eo ab æſtu iræ non pereamus. 2. Significat *pœnarum denunciationem*, quando homines pœnitentiam agere nolunt, vide *Jerem. 18.*

II. Ἔργοις, h. e. *Factis* DEUS monſtrat iram, quando facto ipſo hominibus pœnas tum temporales, tum æternas immittit, *Matth. 3. v. 7.* Progenies viperarum, quis vobis monſtravit, ut fugeretis à ventura ira, h. e. pœnis venturis.

§. 50. *Dubium.* I.

At ſi ira DEI eſt affectus: E. Accidens in DEum cadit: quia affectus eſt accidens.

℞. Nos cum *Scalig. ex Exerc. 16. Sect. 4.* diſtingvimus inter *affectum paſſivum* & *activum*.

Omnis *affectus paſſivus* (uti vel vocabulum arguit) cum alteratione eſt conjunctus, quæ à Deo ἀμεταβλήτῳ καὶ ἀκινήτῳ ſimpliciter abeſt, ac proinde affectus Dei accidens non eſt. Quod autem ira ſit affectus, probo *dicto* tum *Biblico*, tum *Eccleſiaſtico*.

Biblico. *Oſcæ 11. v. 8. 9.* inquit DEus: Inverſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ, non convertar, ut diſperdam Ephraim. Quoniam ego DEus & non homo. Hîc Dominus *D. Chemnit. part. 1. Loc. Comm. p. 70.* inqvit: Hunc Locum non cum Stoicis tantùm ſecundum effectionem, ſed etiam ſecundum affectionem intelligendum eſſe: & addit hæc verba: Verum quidem eſt, quia in DEum non cadit Accidens, commiſerationem in ipſo non eſſe talem affectum, ſicut in nobis eſt: ſed quia Miſericordia ejus non diſtingvitur ab eſſentia ejus, eſt quiddam multò ardentiùs in DEO, quàm nos cogitare poſſumus. Unde dicit *Oſeas 11. v. 8.* Accenſa eſt in me Miſericordia. Hæc Dn. *Chemnitius.* Idem & nos ſuo modo de Ira Dei dicimus.

Eccle-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Eccleſiaſtico: Auguſt. lib. de Eſſent. divina ſcribit: Ideò DEus immutabilis dicitur, quia in natura ejus Ira, Furor, Potentia, Oblivio, Recordatio, & alia his ſimilia illi nullo modo accidunt. Simplex enim natura eſt & immutabilis atqve imperturbata, neqve aliud eſt ipſe, & aliud quod habet, & quod eſt.

§. 51. DUBIUM. II.

At ſi Ira Dei eſt affectus, erit perturbatio: quia affectus definitur per perturbationem.

℞. I. Alia eſt ratio *DEI* & *Hominum*. Ira in *hominibus* eſt animi quædam perturbatio: quia eſt affectus paſſivus: DEI verò ira non eſt perturbatio; quia eſt affectus *non paſſivus*, ſed *activus*. Etenim Ira Dei nihil eſt aliud, quàm juſta averſatio peccati, & Voluntas Majeſtatis ſuæ vindicandæ. Hinc ira de hominibus κυρίως, de Deo verò ἀνθρωποπαθῶς enunciatur. Vel Ira & Furor Deo tribuuntur non ἀνθρωπίνως, h.e. non humano more & modo, in quibus ira cum perturbatione eſt conjuncta: ſed ἀνθρωποπαθῶς, idqve ſecundum affectum & effectum, uti anteà diximus.
„ Hûc pertinet *Regula Theologorum*: Verba, quæ per ἀνθρωποπάθειαν Deo
„ tribuuntur, prius ab omni imperfectione ſunt repurganda, & tum demum
„ Deo applicanda.

II. Non omnis ira cum dolore & perturbatione eſt conjuncta. *Diſtingvendum* enim eſt *inter Iram* in Mentibus ſeparatis, & in Mentibus cum ſenſualitate conjunctis exiſtentem. In hiſce quidem cum perturbatione eſt conjuncta, ſed non in illis.

III. Notandum, quod etiam in hominibus, quorum mentes cum ſenſualitate ſunt conjunctæ, perturbatio abeſſe poſſit, ut patet in bono Judice, qui absqve ulla commutatione aut perturbatione de ſceleratis improbisqve hominibus pœnas ſumere poteſt. Quanto igitur magis ira in DEO absqve perturbatione ulla eſſe poteſt.

§. 52. DUBIUM III.

Atqui D. Paulus *Gal. 5.* Iram inter opera carnis recenſet.

℞. Diſtingvendum inter *iram inordinatam* & *ordinatam*.

Ira *Inordinata* eſt, quæ vel à perſona privata proficiſcitur: vel debito modo ſecundum legem DEI aut Regulam rectæ rationis haud exercetur. Et hæc eſt opus carnis, de quâ loqvitur Apoſtolus *Gal. 5.* Quia eſt perturbatio mentis contra dilectionem proximi tendens, & conſcientiam hominis in iram prorumpentis lædens, de quo etiam loqvitur *Jacob. cap. 1.* ubi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

inqvit: Ira viri τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ, h.e. juſtitiam Dei, h. e. regulas juris, in quibus effigies juſti delineata eſt, non operatur. Verùm ira Dei non eſt *inordinata* ſed *ordinata*, quia nulla ἀταξία, quippe quæ peccatum eſt, in DEum cadit, ſed ira Dei juſtum eſt judicium, quo pœnæ peccatis irrogantur. *Aug. lib. 15. de Civ. Dei cap. 25.*

§. 53. ANTILOGIA V.

G*En. 6. v. 6.* Pœnituit DEum, quod hominem feciſſet in terra, & doluit in corde ſuo.

1. Sam. 15. v. 24. Fortitudo Iſraëlis non mentietur, nec pœnitudine ducetur; Non enim homo eſt, ut pœniteat illum.

DUBIUM.

In *priori* Loco Deo pœnitentia tribuitur: In *poſteriori* eidem detrahitur. Quomodo igitur hæc ſunt concilianda?

℞. Pœnitentia duobus modis in Scriptura S. accipitur: 1. κυρίως & *propriè*. 2. μεταφορικῶς & *translatè*.

I. Pœnitentia, quando κυρίως & *propriè* accipitur, tum neutiquam Deo tribui poteſt, id quod triplici ratione probamus:

1. *Ex definitionis negatione:* Pœnitentia propriè ſic dicta & in genere conſiderata eſt dolor de factis propriis ex errore mentis vel infirmitate & inconſtantia voluntatis, vel ex affectuum mutabilitate editis proveniens: Atqui talis dolor in Deum non cadit: DEUS enim impaſſibilis eſt & immutabilis, *Mal. 3. v. 6.* At quem facti pœnitet & dolet: ille non eſt impaſſibilis & immutabilis. Ergò.
2. *Ex cauſarum omnium remotione:* Negatis omnibus cauſis, negatur Effectus: Atqui omnes pœnitentiæ cauſæ de Deo negantur. E. pœnitentia propriè ſic dicta in Deum non cadit.

Minor probatur.

Cauſæ omnis pœnitentiæ ſic dictæ *tres* ſunt. Sunt enim tria actionum humanarum principia generalia, videlicet mens dirigens, voluntas præcipiens, & potentia exſeqventis: Ita quoque in ſpecie omnis pœnitentiæ origo in tribus hiſce actionum principiis apud homines eſt quærenda.

1. *Mentis ignorantia.* Ideò enim, quia mens hominis eſt finita, non omnium eventuum humanorum eſt præſcia, & ſic ex errore ſæpe aliquid facit homo, cujus ipſum poſteà pœnitet.

2. *Volun-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. *Voluntatis inconſtantia.* Voluntas enim hominis eſt flexibilis & lubrica, vel (ut JCti loqvuntur) ambulatoria, quæ modò ad hoc, modò ad illud objectum eligendum inclinat. Deinde etiam propter errorem, qui etiam in intellectu eſt voluntas.

3. *Virium impotentia.* Sæpè enim homines conſilia ſua etiam optimè deliberata ob impotentiam in actum deducere non poſſunt. Et ſic ſæpè triſtis ſubſequi ſolet pœnitentia. At nulla harum cauſarum in Deum cadit. DEus enim eſt πάνσοφος, ἀμετάπτωτος, καὶ παντοκράτωρ. Ergò pœnitentia propriè ſic dicta in Deum non cadit.

II. Quando verò pœnitentia accipitur μεταφορικῶς, tum Deo rectè & verè tribuitur. Deus enim pœnitere dicitur, quando facit ſimilia iis, quos pœnitet: Unde diligenter notandum eſt, quod *1. Sam. 15.* anteà allegato *ſemel* de Deo dicitur, quod non pœniteat, & *bis* quod pœniteat, nempe *v. 11. & 35.* Quæ ita ſunt concilianda: Pœnitere DEus *negatur*, ſcil. κυρίως καὶ θεοπαθῶς; pœnitere autem *affirmatur* μεταφορικῶς ſeu ἀνθρωποπαθῶς: Quia autem ἀνθρωποπάθεια eſt Metaphora: Omnis autem Metaphora ſimilitudine eſt conjuncta: Igitur ſimilitudo & diſſimilitudo inter pœnitentiam Dei & hominum eſt monſtranda.

§. 54. Collatio pœnitentiæ divinæ & humanæ.

Pœnitentia DEI & Hominum dupliciter in ſe comparari poteſt. 1. Ratione Ἀνομοιότητος. 2. Ratione ὁμοιότητος.

I. Ratione ἀνομοιότητος ſive diſſimilitudinis *dupliciter* conſiderari poteſt:

1. In hominibus pœnitentibus eſt dolor ob rem vel non ſatis conſideratè concluſam, vel ob rem impeditam, quam effectam voluiſſent. Unde rectè *Theodoretus in Quæſt. in Gen.* inqvit: Pœnitentia convenit iis, qui periculo facto rerum conditionem didicerunt: Ignorantes enim quod futurum eſt anteà conſultant, tum periculo facto diſcentes, quod non rectè deliberaverint, pœnitentia ducuntur. Atqui dolor hic & paſſio nullo modo in Deum cadit.

2. In pœnitentibus eſt quædam conſilii & cœpti mutatio, vel interdum mutant factum, ſed præter omne conſilium. At DEus licet interdum mutet factum; nunquam tamen mutat conſilium, ſed ſemper ex rato conſilio mutat quicquid mutat.

II. Ratione ὁμοιότητ☉. Similitudo autem inter Dei & hominum pœnitentiam hæc eſt: Sicut homines pœnitentes mutant opera ſua, quorum inchoatum tenorem videbantur ſervaturi propter errata propria: Ita DEus ipſe pœnitere dicitur, quando œconomiam operum ſuorum, quam continuaturus videbatur, mutat propter peccata noſtra.

Teſtimonia Patrum.

Chryſoſt. hom. 22. in Gen. Pœnituit, inquit, Deum: non quod pœnitentia cadat in Deum; abſit: Sed juxta humanam conſuetudinem loquitur nobis Deus.

Hugo de S. Vict. in Annot. in Gen. Pœnituit Deum, ſcil. mutando, quod videbatur incepiſſe in Paradiſo, ubi dixerat hominibus; Creſcite & multiplicamini &c.

Theod. in quæſt. in Gen. Pœnitentia Dei nihil aliud eſt, quàm mutatio diſpoſitionis ejus: pœnitet me, inquit, quod conſtituerim Saul in Regem, pro eo, quod eſt, ſtatui eum deponere, & alium Regem creare. Sic & *Gen. 6.* Pœnitet me feciſſe hominem, h. e. decrevi perdere genus humanum.

Lyra: Pœnitentia, dolor & cæteræ paſſiones ſunt in Deo, non ſecundum rem, ſed ſecundum modum: Et ideò dicitur pœnituiſſe, quia ad modum pœnitentis ſe habuit, volens diſſipare, quod prius fecerat.

Unde patet, quod pœniteat Deum ſecundum peccata aut reſipiſcentiam hominum: Sic Deus benefactor eſſe deſinit, & punitorem ſe exhibere *incipit*, quando homines enormiter peccare incipiunt: punire verò *deſinit*, quando homines à peccando deſiſtunt. Huc inſignis pertinet locus ex *Jer. cap. 18. v. 7. 8. 9. 10.* Ubi Deus inquit: Repentè loquor adverſus gentem & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam & diſperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei: Et ſubitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, ut facerem ei.

§. 55. *DUBIUM.*

Si Deus opera ſua mutat. E. Deus eſt mutabilis.

℞. I. Si ſine omni cauſa mutaret.

II. Si mutaret ex cauſis mutationem inferentibus, videlicet errore mentis, flexibilitate, aut inconſtantia voluntatis & imbecillitate virium vel facultatis. Nam

Pœni-

Pœnitentia ratione termini *à quo* includit dolorem ſive cordis paſſionem de factis. Sic pœnitentia hominum oritur ex mentis ignorantia, voluntatis inconſtantia, & imbecillitate virium.

Pœnitentia verò *DEI* ratione cauſæ {
- προηγȣμένης, ex ſancta Dei natura & voluntate omnia peccata & mala ſeriò averſante.
- προκαταρτικῆς, ſunt hominum peccata.

Ratione termini *ad Quem* pœnitentia eſt factorum mutatio. Sic *homines* pœnitentiâ ducti opera ſua mutant, ita ut mutentur, & ipſi. Sive præter conſilium mutant, vel cum mutatione conſilii. Atque ita omnis pœnitentia humana cum mutabilitate ipſorum hominum eſt conjuncta.

DEI verò *mutatio* fit ex rato conſilio, non ex tempore capto, ſed ab æterno facto, & ſic ab omni mutabilitate vel Dei vel conſilii dicitur ſejuncta. Quia ſicut Deus in tempore opera ſua mutat: Ita ab æterno eadem mutare decrevit.

III. Pœnitentia Dei *affectivè* conſiderata, notat rerum mutandarum immutabilem rationem. *Eucherius in c. 6. Gen.* Videtur Deum pœnitere dum opus mutat, voluntate tamen & diſpoſitione immobili permanente. Et *Rupertus in Gen. lib. 4. c. 14.* Hujusmodi inquit, dictum de pœnitentia Dei, non impaſſibilis Dei mutabilem, ſed fixam ejus indicat ſententiam, ad prioris facti deſtrctuionem, vel valdè neceſſariam ejusdem meliorationem.

Quando verò pœnitentia Dei *effectivè* conſideratur, tum eſt mutatio operum Dei absque immutabilitate conſilii. Et ſic oſtendit Deus immutabilitatem ſuam tum erga Ninivitas eis ignoſcendo, tum erga Saulum ei non ignoſcendo.

In quam ſententiam præclarè ſcripſit *Juſtinus Martyr* reſpondens *ad 36. quæſtionem Orthod.* quæ erat de pœnitentia Dei ſuper unctione Saulis in
» Regem, & ſuper everſione civitatis Ninivæ: Deus inquit, & quia ſemper
» idem eſt, & quia ſemper placet, quod ipſum decet, omninò immutabilis
» eſt. Sed cum ii, quos curat, mutantur, mutat ipſe res, prout eis expedit,
» quos curat: ideoque & ad ignoſcendum & ad non ignoſcendum immu-
» tabilis eſt. Ignoſcit enim immutabiliter his qui delicta ſua corrigunt: his
» verò, qui à malo revocari non poſſunt, immutabiliter non ignoſcit.
» Quod ergò dixit de unctione Saulis: Pœnitet me: oſtendit ejus immuta-
» bilitatem non ignoſcendo. Eſt enim immutabilis Deus, ſemperque perſe-

„ verat in his, quæ ipſum facere decet, nec unquam admittit mutationem „ ad ea facienda, quæ ipſum dedecent. Hæc *Juſtin. in cap. 1. Gen.*

§. 56. ANTILOGIA VI.

ACtor. 10. v. 34. Petrus inquit: οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, h. e. non eſt perſonarum reſpectus apud Deum.

Rom. 2. v. 11. οὐκ ἔστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ: Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.

At contrarium probari poteſt ex Dei tum λόγῳ, tum ἔργῳ.

I. Ex λόγῳ. Nam Deus *1. Sam. 1. v. 30.* inquit: Qui honorificaverit me, eum ego honorificabo: Et qui non honorificaverit me, ille ignominiâ afficietur â me.

II. Ex ἔργῳ. 1. Deus Sodomitis propter 10. juſtos ſeſe parſurum Abrahamo promittit. *Gen. 18. v. 32.*

2. Cum Iſraelitæ per μοσχολατρείαν excidium meriti eſſent, Moſes propter Abrahamum veniam illis rogavit, & Deus propter Moſis interceſſionem propitius illis fuit, *Exod. 32.*

3. Deus ſempiternam miſericordiam Iſraëlitis propter Davidem ſervum ſuum promittit. *2. Sam. 7. & Pſal. 89. v. 5.*

4. DEus in gratiam Pauli, omnibus, qui in navigio cum ipſo vehebantur, vitam donavit. *Act. 27. v. 24. 34.*

℞. Reſpondemus diſtinguendo inter προσωποληψίαν *Dei & hominum.*

Προσωποληψία *Hominum* duplex eſt: *Judicialis & Extrajudicialis.*

1. προσωποληψία *Judicialis* eſt, quando judex in tribunali ſedens in ferendâ ſententiâ τὸ πρόσωπον attendit. Quia autem τὸ πρόσωπον ſive perſona tria ſignificata obtinet: Idcircò etiam προσωποληψία pro circumſtantiarum diverſitate *triplex* conſtitui poteſt.

Primo. τὸ πρόσωπον ſive perſona ſignificat conditiones certas vel promiſſiones boni vel comminationes mali, h. e. ſignificat tales conditiones, ſub quibus vel Deus vel Magiſtratus civilis bonum pollicetur; Si ordo præſcriptus ſervatur, & malum comminatur. Si ordo præſcriptus violatur. Ut: Fides, pœnitentia, probitas, obedientia &c. Sic Deus hominibus promiſit vitam, ſi in Chriſtum credant: mortem verò minatus eſt, ſi incredulitate illum rejiciant. Et hæc προσωποληψία eſt licita.

Secundò. τὸ πρόσωπον ſive Perſona ſignificat conditiones quaſdam perſonæ, quæ cum cauſa ita ſunt connexæ, ut eam vel aggravent vel elevent,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

vent. Sic qui peccat in Deum, gravius peccat, & graviorem pœnam promeretur, quàm qui peccat in hominem aliquem. Item, qui occidit Magiſtratum, gravius punitur, quàm qui occidit ſubditum. Sic gravius punitur, qui occidit parentem, quam qui occidit alium. Nam apud Majores pœna parricidii ſolennis hæc erat: Parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuebatur, cum ſimia, vipera, gallo & cane, & poſteà in profundum maris culeus jactabatur. *Juſtinian. l. 4. tit. 18. de publ. Judic.*

Tertiò. τὸ πρόσωπον ſive perſona ſignificat externas quasdam perſonæ qualitates, cauſam ipſam planè non attingentes, ut Nobilitas, Ignobilitas, Divitiæ, Paupertas, Conſanguinitas, Affinitas, Amor, Odium, Munera. Et hæc προσωποληψία prorſus eſt illegitima & illicita. Quia graviter à Deo eſt prohibita, *Lev. 19.* Non conſideres, inquit Deus, perſonam pauperis, nec honore vultum potentis, juſtè judica proximo tuo. Et *Deut. 1.* Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audies ut magnum.

Et hæc προσωποληψία judicum inferiorum à magiſtratu ſupremo graviter eſt vindicanda. Sicut ab *Annone* Archiepiſcopo Colonienſi factum eſt A. C. 1055. Hic enim cùm comperiſſet, Judices falſam ſententiam in cauſa fœminæ pauperis tuliſſe, his omnibus erui oculos juſſit, excepto uno, qui compater ipſius erat, hunc enim uno duntaxat privavit oculo, ut altero adjutus domum deducere excœcatos poſſet. Utque hujus rei memoria diuturnior eſſet, ſupra domos capita figulina cum effoſſis oculis collocanda curavit, ut terrori eſſent prætereuntibus. *Dreſſ. in Iſag. Hiſt. Mill. 6. part. 2. pag. 78. 79.*

Memorabilem quoque legimus hiſtoriam de *Carolo Audace* Burgundiæ Duce Præfecti cujusdam libidinem & crudelitatem ſeveriſſimè punientе. Dux Burgundiæ Carolus aulicorum cuidam ſuorum, primas partes apud ipſum tenenti præfecturam in Seelandia dederat gubernandam: qui ocioſam vitam vivens, perditè mulierem quandam bonâ formâ præditam, a tamen caſtam, amare occepit, quam phaleratis dictis aureisque montibus pollicendo vincere, ſibiqve indulgere putabat. Poſtquam verò ſuum laborem vidit eſſe inanem, ſcelus quoddam finxit, hujus mulieris maritum proditionis accuſavit, eumqve carceri mandavit, eo fine, ut uxorem minis adipiſci, aut virum, qui in amore ipſius ſolus ſcrupulus abigere poſſet, quemadmodum & fecit. Nam cum ſuam voluptatem (non autem mulieris) cum eadem expleviſſet, putans inpoſterum eam nullo modo fore ſuæ voluntati contrariam, quare reum peragere, remque

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

judicatam exequi, clàm tamen in carcere, voluit. Quo facto uxor rediens, conjugem juxta pactum petivit. Sed poſtqvam illum jam decollatum eſſe reſcivit, irâ valdè commota eſt, cognatosqve convocavit, nobilemqve ob infamiam ſibi illatam, deteſtandumqve factum accuſavit, obſecrans, ut bonum conſilium ſecum communicarent, quò infamia ſua & miſeria in hunc nebulonem derivaretur. Hanc igitur rem ad ſummum Magiſtratum perferendam, eumqve ut ſibi ſubveniret, precibus ſollicitandum eſſe decernunt. Dictum factum. Querela apud ſuprà nominatum Carolum Burgundiæ Ducem eſt inſtituta, res benè ponderata, & hæc ſententia tandem prolata, accuſatum accuſatricem læſam in matrimonium ducere debere, ſua bona, ſi ſine liberis decederet, ipſi ejusdemqve liberis relinqvere. At confectâ copulatione, eidem carceri, cui alterum incluſerat, mandatus & capite mulctatus eſt.

II. Προσωποληψία *Extrajudicialis* eſt, cum privato arbitrio perſonæ vel res aliis præferuntur ob qualitatem vel internam vel externam. Et hæc rurſus pro circumſtantiarum varietate varia eſt, & modò *licita*, modò *illicita*.

1. Eſt προσωποληψία *Dilectionis*, qvando una perſona præ alterâ diligitur. Et hæc προσωποληψία fit vel circa dilectionem generalem vel ſpecialem: *Illa* eſt *illicita:* hæc verò licita. Quia dilectio generalis, qvam erga proximum quemvis exercere jubemur, debet eſſe πτέρισως καὶ ἄνισως, æqualis non inæqualis. Vid. *Luc. 6. v. 27. 35.* & *Matth. 5. v. 44. 45.* Qui hoc non facit, ille peccatum committit. Unde *Jacob. 2. cap.* προσωποληψίαν illam damnat, qvando dives diligitur, pauper verò deſeritur. Hæc verò eſt *licita*, quia ex cauſis oritur ſpecialibus, quæ quando ſunt inæquales, inæqualis quoqve προσωποληψία inde exiſtit: idqve ſine vitio vel crimine ullo. Sic magis amamus parentes, quàm alios. Et magis diligimus pios & doctos, quàm impios & indoctos: illud ex debito, hoc verò ex libero proficiſcitur arbitrio.

2. Et προσωποληψία *Electionis*, quando perſona una præfertur alteri ob qualitatem internam & laudandam. Ut quando vir doctus & prudens in Conſulem: Vir eruditus, pius & probus eligitur in Epiſcopum, præteritis aliis.

3. Eſt προσωποληψία *Donationis* quando ex liberrimâ voluntate, nullâ obligatione præcedente, duorum uni aliquid dat, alteri nihil dat, vel uni plus dat, alteri minus dat. Et hæc προσωποληψία etiam eſt legitima, quia quilibet rerum & facultatum ſuarum eſt Dominus, & circa eas liberrimè diſponere poteſt, id quod in jure naturæ tum divinis tum humanis eſt fun-

da-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

damentum. Hinc cum operarii, qui in vinea per totum diem laboraverant, adverſus patremfamilias murmurarent, quod poſtremis, qui per unicam tantùm horam in vineâ laboraverant, tantundem dediſſet, atq; ſibi, factumqve illud injuſtitiæ accuſarent: Reſpondet illis paterfamilias; Anne mihi licitum eſt, in rebus meis facere, quod ego volo? *Matth. 20.*

Et hæc de προσωποληψία Hominum.

DEUM verò quod attinet, diverſæ hic occurrunt ſententiæ. Calviniani Deo προσωποληψίαν rectè tribui poſſe affirmant; ideoqve inter προσωποληψίαν *legitimam* & *illegitimam*, ſive ordinatam & inordinatam diſtinguunt, ſicut jam explicavimus: *illam* Deo tribuunt (exemplis anteà enumeratis inducti) *hanc* verò eidem detrahunt. Et hanc ſententiam proptereà defendunt, ut tueri poſſint abſolutum ſuum decretum, quod Deus ex mera ſua voluntate ſine reſpectu ad fidem vel incredulitatem quosdam homines ab æterno ad vitam æternam elegerit, quosdam verò ad æternam damnationem reprobârit.

§ 56. Ἐπίκρισις.

Verùm *nos* conſtanter dicimus, quod nullibi in univerſa Scriptura S. vel V. vel N. T. vox προσωποληψίας de Deo enuncietur, aut ullibi Deus προσωπολήπτης dicatur, idque probamus:

I. Ex *Scripturæ S. negatione.* Nam clara hæc ſunt Spiritus S. effata. *Sap. 6. v. 8.* Non ſubtrahet cujusquam perſonam Deus, qui eſt omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit & æqualiter eſt illi cura de omnibus.

Job. 34. v. 19. Non accepit perſonas principum, nec cognovit Tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem; opus enim manuum ejus.

Actor. 10. v. 34. Nunc re ipſa comperio, inquit Petrus, quod non ſit perſonarum reſpectus apud Deum.

Rom. 2. v. 11. Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Gal. 2. v. 6. πρόσωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει, perſonam hominis Deus non accipit.

Eph. 6. v. 9. προσωποληψία οὐκ ἔστι παρὰ τῷ θεῷ h. e. reſpectus perſonarum non eſt apud Deum. Idem dicitur *Coloſſ. 3. v. 25.*

II. *Ex vocis hujus origine & ſignificatione.* Vox προσώπου hôc locô non accipitur *propriè* pro ipſa hominis perſona, ſive ſubſtantia per ſe ſubſiſtenti (uti accipitur *1. Cor. 1. v. 11.*) ſed *Metaphorice* & ſignificat perſonalem & externam ex conditione & ſtatu hominis qualitatem, rationem & reſpectum provenientem. *Breviter*: Significat omne, quicquid foris patet, & in oculos hominum occurrit, ut nobilitas, ignobilitas, divitiæ,

pau-

paupertas, odium. Sic non eſt reſpectus perſonarum apud Deum, ſive quis nobilis, ſive ignobilis, dives vel pauper, ſenex vel juvenis, maſculus vel fœmina, Judæus ſive Gentilis, Dominus vel Servus: hæc enim omnia Deus in Eccleſia & Mundi œconominâ non attendit. E. προσωπολήπτης non eſt.

III. *Ex oppoſitione.* Ubicunque in S. Scriptura προσωποληψία reperitur, ibi τῇ ἀληθείᾳ rei ipſius veritati opponitur. Patet hoc ex *Matth. 22. v. 16.* & *Marc. 12. v. 14.* ubi Phariſæi (ut habetur *Marc. 12.*) vel diſcipuli eorum (ut dicitur *Matth. cap. 22.*) ad Chriſtum dicunt: Magiſter ſcimus, quod verax es, & non curas quenquam. Non enim reſpicis perſonam hominum, ſed viam Dei cum veritate doces. Hîc Chriſto in officio Prophetico detrahitur προσωποληψία, eaqve veritati è diametro opponitur. Similiter *Joh. 7. v. 24.* inquit ipſe Chriſtus ad Judæos: Ne judicetis ſecundum aſpectum κατ' ὄψιν ſed δικαίαν κρίσιν, *rectum Judicium* judicate. Quibus verbis Chriſtus reſpicit ad præceptum quod extat *Deut. 1. 6.* & ita ſonat: Non agnoſcetis perſonas in judicio, proinde magnum & parvum audietis, non timeatis â facie cujusque. Ubi idem ter repetitur. Præterea *Rom. 2.* dicitur, quod Deus mundi totius Judex in extremo judicio (quod *v. 2.* Κρίμα κατ' ἀλήθειαν judicium ſecundum veritatem: Et *v. 5.* δικαιοκρισία h. e. juſtum judicium appellatur) redditurus unicuique ſit ſecundum facta ſua & piis & impiis Judæis & Græcis, & *v. 11.* additur: Non enim eſt προσωποληψία h. e. perſonarum reſpectus apud Deum.

IV. *Ex* προσωποληψίας prohibitione. Deus in V. T. προσωποληψίαν prohibuit, uti patet ex *Lev. 19. Deut. 1.* & *10. 2. Paral. 19. v. 7.* Judices cum Dei judicium teneant, ut ſine προσωποληψίᾳ judicent, monentur. Similiter *Job. 32. v. 34. Prov. 18. v. 5.* & *cap. 24.*

Unde ita *concludimus*: Quæcunque vox 1. formaliter imperfectionem ſignificat, & carnale quid includit. 2. τῇ ἀληθείᾳ h. e. ipſi rei veritati opponitur. 3. ab ipſo Deo ſimpliciter prohibetur, & 4. nullibi in univerſo codice ſacro de Deo enunciatur, illud Deo tribui neque poteſt, neque debet.

Atqui προσωποληψία eſt talis, ut patet ex dictis. E.

V. Ex προσωποληψίας *definitione.* Προσωπολήπτης ſive Acceptator Perſonarum eſt ille Judex, qui neglecta cauſa, de qua ei propriè loquendum eſt, tantum perſonas reſpicit, & prout erga eas affectus eſt, ſic de controverſia pronunciat. Atqui Deus in extremo die non reſpiciet, ne-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

neq; etiamnum reſpicit externam terrenamve hominum perſonam, faciem & dignitatem, ſed incredulos propter incredulitatem, & fideles propter juſtitiam Chriſti fide ipſis imputatam ſalvabit.

VI. *In ſpecie* autem in *tribus* caſibus Deo Scriptura προσωποληψίαν detrahit:

1. *In Operibus Juſtitiæ*, h. e. in judiciis ſive pœnis Deus non eſt προσωπολήπτης. Nam æquali judicio Primogenitum Regis in ſolio ſedentis, & filium ancillæ mola molentis condemnat, *Exod. 11. v. 5.* Confer. *Job. 34. v. 19.* Et eandem ἰσότητα in pœnis æternis, ſalvis tamen pœnarum gradibus, ſervabit, ſicut D. *P*aulus hac regula docet *Rom. 2. v. 11.* Non eſt προσωποληψία apud Deum.
2. *In Operibus Clementiæ.* Deus enim æquè complectitur miſeros & beatos, infirmos & ſummos, peregrinos ſive advenas & indigenas, Dominum & ſervum, *Deut. 10. v. 17.* Et elegans locus exſtat *Eph. 6. v. 9.* ubi *P*aulus inquit: Vos Domini, remittite minas, ſcientes, quod & veſter ipſorum Dominus in cœlis ſit, nec perſonarum reſpectus eſt apud illum.
3. *In operibus Miſericordiæ.* Quia ex merâ gratiâ & miſericordia omnes homines ex æquo dilexit, illis omnibus Chriſtum Redemptorem offert, omnesqve per vocem Evangelii vocat, *Joh. 3. Marc. 16.* In ſpecie hûc pertinet inſignis locus ſuprà quoque citatus ex *Act. c. 10. v. 34.* ubi *P*etrus inquit: Apud *D*eum non eſſe perſonarum reſpectum, h. e. *D*eum ad certam gentem, ad certum locum aut ordinem nullo modo eſſe alligatum.

§. 57. *DUBIUM.*

Atqui contrarium aſſerit *D. P*aulus *Rom. 1. v. 16.* qui expreſſè ait, quod Evangelium ſit potentia ad ſalutem omni credenti, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι, Judæo *primum* ſimul & Græco.

℟. Judæum dicit *P*aulus πρῶτον, PRIMUM, non *propter* προσωποληψίαν, ſed οἰκονομίαν ſeu diſpenſationem. Judæis enim primò oportebat annunciari ſermo ad complendas promiſſiones Patrum, ſicut etiam ex Judæa Evangelium ſalutis prodiit, *Theophyl. in cap. 1. ad Rom. fol. 336.* Non ſimpliciter cunctis Evangelium cedit ad ſalutem, ſed accipientibus illud, JUDAEO PRIMUM & GRAECO. *Primum* hîc eſt ordinis honos, non gratiæ exuberantia. Non enim plus habet Judæus, aut præferendus eſt, eò quod majorem juſtitiam acceperit, verum quod primus eam acceperit, honoratus eſt, ſolius idcircò VERBI eſt honor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 58. Antilogia VII.

D*Eut.* 7. *v.* 10. Non tardat Deus perdere odio ipſum habentes.
2. *Petr.* 3. *v.* 9. Patiens eſt Deus erga nos, dum non vult ullos perire.

Dubium.

Si patiens eſt Dominus, ut inquit *Petrus* Apoſtolus, cur ergò Moſes dicit, quod non tardet perdere impios.

℞. Hîc duo veniunt notanda: 1. Diſtinguendum eſt inter τὴν Dei βραδυτῆτα & hominum. 2. Diſtinguenda ſunt τὰ θεοῦ κρίματα, h. e. judicia Dei diverſa.

I. Βραδύτης ſive *Tarditas* Dei *dupliciter* conſideratur:

1. Ἀνθρωπίνως, h. e. *humanitùs*. Sic Tarditas apud homines dicitur illa, quando quis vel ex oblivione, vel conſilii mutatione aut negligentiâ pigritiave aliqua occaſionem agendi negligit. Et talis tarditas in Deum non cadit.
2. Θεικῶς, h. e. *divinitùs*. Sic Tarditas eſt nihil aliud, quàm Dei *μακροθυμία καὶ ἀνοχὴ*, h. e. longanimitas & tolerantia, quâ, non ex negligentia aut oſcitantia, ut homines, ſed ex immenſa miſericordia & longanimitate homines peccantes diu ſuffert, & pœnas differt, ut omnes ad pœnitentiam invitet.

II. Τὸ κρίμα ſive Judicium Dei duplex eſt:

Primò: Particulare ſive *Intermedium* eſt, quod Deus exercet in hac vita, pios caſtigando: impios verò graviter affligendo. Illud dicitur δοκιμασία, h. e. pœna probationis ſive caſtigationis: Hoc verò τιμωρία, h. e. pœna ſupplicii vel ultionis.

Secundò: Universale ſive *ultimum*, quod Deus univerſi Mundi judex in die noviſſimo erga omnes homines exercebit: pios pariter & impios, illos ad ſe in æternam gloriam recipiendo; hoſce à ſe in flammæ gehennam rejiciendo.

Applicatio.

Idcircò notandum: 1. Quando Moſes dicit, quod Deus non tardet perdere odio ipſum habentes, quod loquatur de Judicio Intermedio, eoque vel caſtigationis vel ultionis. *Petrus* verò loquitur de Judicio ultimo ſive extremo, quod Deus differt. 2. Notandum, quod Petrus in loco allegato loquatur contra ἐμπαῖκτας, h. e. illuſores & Epicureos extremè vanos & profanos extremum judicium abnegantes, & planè contemptui habentes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tes. Quorum verba *v. 4.* μιμητικῶς recitat, quæ talia ſunt: Ubi eſt pollicitatio adventus ejus? Nam ex quo die Patres obdormierunt, ſic omnia permanent ab initio creationis. Contra hoſce inquit *v. 8. & 9.* Unum vos non lateat dilecti, quod unus dies apud Dominum perinde eſt ut mille anni, & mille anni ut dies unus. Haud tardat Dominus quod promiſit, ſicut nonnulli tarditatem exiſtimant. Verum patiens eſt erga nos, dum non vult ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. *Senſus Apoſtoli hic eſt*: Vult D. Petrus hanc temporis durationem aut longitudinem *non* reſpectu hujus vitæ fragilis & fugacis, vel ex ſenſu noſtræ carnis, cui tempus etiam breviſſimum videri ſolet longiſſimum, (Nos enim natura moræ impatientes ſumus, adeò, ut etiam celeritas nobis mora ſit) *ſed* reſpectu judicis totius Mundi, cui mille anni ſunt breve tempus, cum ipſe ſit æternus & immortalis: cumq; ipſe judiciorum ſuorum tarditatem aut dilationem ad ſuum arbitrium & quaſi menſuras temperet, non verò ad hanc vitam noſtram fugacem & fallacem, noſtraſq; cogitationes aut imaginationes vanas & profanas. Deus enim in decretis ſuis non ſequitur animorum noſtrorum prolubium, ſed æternum ac invariabile decretum ſuum & conſilium.

§. 59. *Dubium.*

At ſæpiſſime in Scriptura Deus dicitur *tardus ad iram* & longus irarum, inprimis *Exod. 34. v. 6.*

Quomodo igitur Moſes dicit, eum non tardare perdere ipſum odio habentes.

℞. Verum eſt, quod Deus ſit tardus ad iram & longus irarum. Unde etiam Hebræis אֶרֶךְ אַפַּיִם erech appaim dicitur longis naribus, ſive longas nares habens, non quidem propriè, ſed Metaphoricè. Propriè enim אַפַּיִם ſignificat nares, translatè verò iram. Qua ipſa voce Dei patientia, & longanimitas ὀφθαλμοφανερῶς exprimitur. Sed huic non contrariatur, quod Moſes dicit: Deum non tardare perdere ipſum odio habentes: Nam cauſæ impellentes & fines ſunt diſtinguendi. Deus tardat punire peccatores ex miſericordia & patientia ſua immenſa, idque eum in finem facit, ut eos ad pœnitentiam invitet. Non verò tardat punire peccatores ſcil. contumaces & pervicaces. Quia ipſe eſt juſtus judex, idque eum in finem facit, ut juſtitia ejus agnoſcatur in univerſa terra. Quam ob cauſam D. Ambroſius Dei patientiam ejusque juſtitiam eleganter & venuſtè conjungit, quando inquit: Magna eſt Domini patientia, ut non ſtatim peccatorem puniat, ſed diu differat, expectans correctionem, nec commovetur ad ulciſcendum, niſi peccator modum excedat. Si igitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

populus aliquis menſuram complevit peccatorum, Deus non tardat punire impœnitentiam illius, qua in pœna non Deo, ſed malitiæ hominum culpa imputanda eſt.

NOTA I.

אֶרֶךְ אַפַּיִם erech appaim, longus, id eſt, latus naribus, h. e. tardus ad iram ſive μακρόθυμος & longanimis dicitur: Nam quia anguſtis ſunt naribus, fumos ex corde aſcendentes & choleram citius concipiunt, ac tardiùs efflant ob meatuum anguſtias, ideoque in bilem ſunt procliviores: E contrario, qui latis ſunt naribus, meatus habent amplos, quibus choleram & fumos exſpirant, quibusque multum frigidi aëris admittunt, quo temperatur ille æſtus & bilis: Unde hi placidiores ſunt, magis patientes & longanimes.

NOTA II.

Lentius quidem Deus ad vindictam progreditur, ſed ſubitò tamen & inopinos aggreditur, quotquot patientiâ & tolerantiâ ſuâ abuſos videt: Non enim eſt mora apud Deum, inquit Petrus *2. Petr. 3. v. 9.* Sicut illuſores moram eſſe putant, & quod tibi videtur longum, breve eſt apud Deum, inquit *Auguſtinus* in *Pſal. 91.* Pœna etiam dilata eſt major quàm ſubita, inquit *Chryſoſt. in Matth.*

§. 60. ANTILOGIA VIII.

D*Eut. 7. v. 10.* DEus eſt fidelis reddens odientibus ſe ſtatim (hebr. in facies ſuas) ita ut diſperdat eos, & ultrà non differat, protinus eis reſtituens, quod merentur.

Rom. 9. v. 22. Tulit Deus multa animi lenitate vaſa iræ.

Hîc videtur eſſe ἀντιλογία: Moſes enim commendat Dei rigorem: Paulus verò Dei lenitatem.

Conciliatio.

I. *Diſtinguendum* inter Dei ἰδιώματα diverſa, nempe inter *juſtitiam Dei rigidam* ejusqve *tolerantiam.*

Juſtitiam Dei *rigidam* quod attinet, & Miſericordiæ divinæ contradiſtinctam: Sic Deus unicuique reddit ſecundum opera ſua, *Rom. 2. v. 6.* Et hæc Moſes *Deut. 7. v. 10.* ait, quia miſericordiam & juſtitiam Dei inter ſeſe confert, illius eſt miſereri; hujus eſt punire.

Quod verò attinet *DEI tolerantiam*: Sic Deus ex immenſa gratia & miſericordia tolerat peccatores, ut eos ad pœnitentiam invitet. Neq; hæc diſtinctio eſt abſurda, quia tale temperamentum omnium virtutum in Angelis & hominibus exiſtit, ut una virtus alteram non tollat aut perimat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

mat, multò minus in Deo una proprietas Eſſentialis alteram tollet aut deſtruet. Hoc autem loco Moſes juſtitiam Dei rigidam intelligit, quia eam à miſericordia diſtinguit. De *Miſericordia* dicit: quod Legem obſervantibus in mille generationes benefaciat: *De juſtitia* verò ſubjungit, quod μισοῦντας & contumaces puniat in faciem, h. e. apertè & intrepidè, ut ſentiant, & absque mora, ita ut tunc etiam cùm cunctari videtur, feſtinet, quantum opus turbinisque inſtar ſua acceleret judicia. Quæ verba Dei ad permovendum ἐνεργητικώτατα deteſtandæ hominum ingratitudini & ſecuritati Deus oppoſita voluit.

II. Diſtinguendum inter τὰ πρόσωπα, h. e. Perſonas:

Moses loquitur de populo Dei, ſive de civibus Eccleſiæ: Quia *v.6.* dicit, quod Deus elegerit Iſraëlitas, ut eſſet illi populus περιούσιος, h. e. peculiaris ex omnibus populis, qui ſunt in ſuperficie terræ, h. e. ut Salomon explicat *1. Reg. 8. v. 53.* quod ſeparaverit Deus Iſraëlitas ſibi in hæreditatem de univerſis populis terræ. Et de hiſce Moſes dicit, quod contumaces puniat, & à facie ſua abjiciat.

Paulus verò loquitur de improbis & reprobris extra Eccleſiam ſi non viſibilem, ſaltem inviſibilem, conſtitutis: Quia eos nominat Vasa iræ ad interitum κατηρτισμένα, h. e. præparata. Et de hiſce dicit, quod Deus illos multa animi lenitate toleraverit.

III. *Diſtinguendum* inter τὰ παθήματα, h. e. nocumenta ſive pœnas: Scrupulum enim movere poſſet cuipiam, cur Deus majori lenitate proſequatur impios quàm pios: ſervos abjectos quàm filios dilectos? Hunc autem ſcrupulum data diſtinctione facilè dubitantibus eximere poſſumus. Παθήματα enim Dei vel *pœnæ* ſunt *duplices: temporales & æternæ.*

Temporales pœnas infligit Deus *fidelibus*, & eas ferulâ ſuâ mox caſtigat tanquam filios: idque facit ad eorum correctionem, non ad condemnationem. Quod non ita intelligendum, quaſi Deus apud Moſen illis non comminetur, aut illi peccatis ſuis non mereantur æternam damnationem, (nam maledictus, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, *Deut. 27. v. 26. & Gal. 3. v. 10.*) ſed quia caſtigatione Dei à ſomno peccatorum excitati ſurgunt, *Rom. 13. v. 12.* pœnitentiam agunt, inque anguſtia ſua Dominum quærunt, *Eſa. 26. v. 16.* peccatorum ſuorum veniam petunt, ejusque per fidem participes fiunt: & ita in Chriſto à maledictione immunes exiſtunt, *Rom. 8. v. 1.* Inſignia hûc poſſunt referri loca duo: *Ebr. 12. v. 6. & 7.* Quem diligit Deus παιδεύει, h. e. corripit: μαστιγοῖ, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Si caſtigationem ſuſtinetis, velut Filiis vobis ſeſe offert Deus. Quis enim eſt Filius, quem non caſtigat Pater? Et *v. 11.* Omnis caſtigatio in præſens quidem

dem non videtur eſſe gaudii, ſed moleſtiæ: at poſteà fructum tranquillum juſtitiæ reddit iis, qui per illam fuerint exercitati. Et Paulus *1. Cor. 11. v.32.* inquit: Κρινόμενοι, cum judicamur à Domino, παιδευόμεθα, corripimur, ne cum Mundo κατακριθῶμεν, h. e. condemnemur. Sin autem ferulam hanc paternam, quâ Deus tanquam dilectus parens nos viſitat, agnoſcere nolunt; mox mox à Deo perdentur, ut inquit Moſes, iisque ingruet interitus, ut loquitur Salomon.

Quod vero *reprobos* attinet, quia caſtigatione Dei non reſipiſcunt, ſed deteriores evadunt & exiſtunt, *Pſal.55.v.19.* quia illis non eſt pietas, *Pſal.36.v.1.* ideò Deus eos aliquamdiu tolerat, ne in extremo judicio ullam excuſationem prætendere queant. Sic Deus Cainum diu pertulit; Et Dei lenitas in temporibus Noæ, cum appararetur arca, hominum pœnitentiam diutiſſimè, nempè 120. annis expectavit, *Gen.6.v.3.1.Petr.3.v.20.* Deus diu Amorrhæos toleravit, donec iniquitates illorum completæ eſſent, *Gen.15. v.18.* Achabo impio Regi pœnitentiam præ ſe ferenti pepercit, *1. Reg. 21. v. 29.*

IV. Etiam commodè hîc diſtingui poteſt inter *Dei clementiam* & *tolerantiam.*

*D*eus licèt pios & impios puniat, tamen pœna illa, uti ex dictis patet, non eſt πάτριος, ſed ἄνιος. Nam erga illos exercet *clementiam*: erga hos verò exercet ſuam *tolerantiam*: pios enim quando punit, tum in media ira ſuæ recordatur Miſericordiæ, id quod indubitatum ſignum eſt clementiæ. Sic lachrymis Ezechiæ Regis largitus eſt *D*eus ſpacium vitæ ad 15. annos, *2. Reg. 20. Eſa.38.* Populum Iſraëliticum toties reſtituit, quoties judicavit, toties refecit, quoties increpavit, vide *Judic. 2.&3.* Unde *Act.13.v.18.* dicitur, quod *D*eus Iſraëlitas ex Ægypto eductos per 40. annos in deſerto ἐτροποφόρησεν, h. e. leniter tulerit, licèt corruptiſſimis moribus eſſent. Similiter quando eosdem inter gentes per varias regiones diſperſit, clementiâ tamen erga illos uſus eſt, quod neq; univerſos deleverit, neque reliquos in exilio perpetuo reliquerit, *Ezech. 36.v. 21.* Unde elegantiſſimè Veteres dixerunt: Deus gladium vindictæ ungit oleo clementiæ & miſericordiæ, *Niceph. lib.17.c.3. Evagr. lib. 4.* Verum tolerantiam exercet erga reprobos *triplici* de cauſa, ſicut Paulus inquit *Rom. 9. v. 22.*

1. Ut oſtendat iram ſuam adverſus peccata & peccatores.
2. Ut notam faciat potentiam, *ibid.* nempe in everſione ſubitaneâ Tyrannorum & impiorum.
3. Ut manifeſtetur Dei gloria in univerſa terra, ſicut *v. 17.* exemplo Pharaonis D. Paulus oſtendit.

Dicta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Dicta Patrum.

Chryſoſt. Etiamſi, inquit, nos admonitionem Dei non accipimus, benignitatem tamen ſuam ipſe monſtrat: ſed ſi pergimus, inque majora mala nos præcipitamus, non jam ipſe eſt in cauſa, qui non ideò longanimis, ut pereamus, ſed ut ſalvemur, verùm nos, qui ineffabilem ejus bonitatem contemnimus.

Bernhard. Ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende: immenſus enim Deus eſt, & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia. Multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum, ſed miſericordia priora ſibi vendicat, ut ſi voluerimus, diſtrictio inveniri non poſſit, in quem ſæviat.

§. 61. ANTILOGIA IX.

1. TIm. 2. v. 19. Solidum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Novit Dominus, qui ſunt ſui.

Apoc. 13. v. 8. Nomina noſtra in libro vitæ ſcripta ſunt.

Apoc. 20. v. 12. Aperietur liber vitæ: & judicabuntur mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libro vitæ.

Hîc duo *dubia* occurrunt: 1. In primo loco dicitur, quod Dominus noverit, quinam ſint ſui. At in loco ſecundo dicitur, quod Nomina Electorum ſui ſcripta in libro vitæ. Omnis autem ſcriptio, quæ fit in libro, fit propter memoriam & recordationem. *Deinde* in loco tertio dicitur, quod in extremo judicio Liber vitæ ſit aperiendus, & mortui ex eo judicandi: At Apertio illa ἄγνοιαν & ignorantiam videtur præſupponere, quia Apertionem judicium ſubſequitur: Sicut aliàs κρίσις & γνῶσις ſubordinata eſſe ſolent, illaqve hanc præſupponit.

℞. *Locus primus* eſt *proprius: Reliqua* duo ſunt *tropica* & figurata, ideoqve non ſunt inter ſe diſſentanea, ſed maximè conſentanea, id quod ex ſingulorum dextra explicatione evidenter patet:

In loco primo dicitur Deus noviſſe, qui ſint ſui, idque *propriè*, non *figuratè*. Notitiam autem intelligit Apoſtolus *non theoreticam, ſed practicam*, h. e. notitiam cum benevolo affectu conjunctam, ita ut ſenſus ſit: Dominus novit, qui ſint ſui, h. e. Dominus ſuos & à ſe electos ſpecialiter diligit, dilectos ab omni malo lapſuqve finali cuſtodit, tandemqve glorificabit.

In loco ſecundo Nominum inſcriptio in libro vitæ accipitur non κυρίως, ſed μεταφορικῶς. Quæ Metaphora conſideratur ratione Termini à quo deſumta eſt à viris prudentibus, qui res & actus memorabiles, quo-

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

rum meminiſſe volunt, in libro quodam ſtudioſè conſcribere & annotare ſolent. *Ratione termini ad Quem* per hanc Metaphoricam loquutionem denotatur Dei Notitia cum ſingulari rerum cura conjuncta. Ut enim liber hominis eſt ſcripta rei annotatio: Sic Liber Dei viva Dei cognitio. Et ſicut Scriptio in Libro eſt ſcripta rei annotatio, ne memoriâ excidat: Ita etiam Inſcriptio *Dei*, quæ fit in Libro *Dei*, eſt præſens rerum inſpectio, diligens obſervatio, ſingularis dilectio, cura ac protectio. Hinc Liber vitæ ita definitur: Liber vitæ eſt Catalogus ſalvandorum, quos *Deus* ex merâ gratiâ & miſericordia popter meritum Chriſti perſeverante fide apprehenſum, & ab æterno prævíſum ante jacta mundi fundamenta elegit ad vitã æternam.

In Loco tertio Apertio Libri Vitæ ſignificat ἀποκάλυψιν, h. e. manifeſtationem Electorum ſoli Deo ab æterno notorum & vitæ æternæ adjudicationem. Hæc autem apertio non præſupponit in *Deo* ignorantiam: ſed potius ſignificat certiſſimam *Dei* notitiam. Non enim *Dei*, aut Chriſti, ſed noſtri cauſa fiet.

§. 62. ANTILOGIA X.

IOb. 11. v. 17. Ipſe novit homines vanos.

Matth. 7. v. 23. Chriſtus ad impios in extremo judicio dicturus eſt: Nunquam novi vos.

℟. *Diſtinguendum* eſt inter *Notitiam* Dei hominum opera *approbantem & improbantem*:

Novit quidem *Deus* hominum *impiorum* opera mala, ſed illa improbat. Et ita intelligenda ſunt verba Chriſti *Matth. 7. v. 23.* Nunquam novi vos. Unde extat in eam ſententiam querula *Dei* vox de hominibus impiis in mundi hujus naſcentis exordio viventibus, *Gen. 6. v. 7.* Pœnitet me feciſſe hominem: Et *Gen. 8. v. 21.* Figmentum cordis humani tantùm malum.

Piorum verò opera novit & approbat *Deus*, ita ut etiam illis delectetur. Quoniam verò impiorum opera ab ipſo improbantur, *Deus* ipſorum iniquitatem non noviſſe dicitur.

§. 63. ANTILOGIA. XI.

ROm. 1. v. 17. Juſtitia *Dei* per Evangelium patefit ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Juſtus ex ſua fide vivet.

Rom. 1. v. 32. τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ, h. e. juſtitiam *Dei* noverunt, (ſcil. gentes) quod, qui talia faciunt, digni ſint morte.

Pſal. 97. v. 6. Annunciant Cœli juſtitiam ejus.

DU-

DUBIA.

1. In *primo* Loco dicitur, quod homo juſtitiâ Dei per Fidem apprehenſâ vivat: In *ſecundo* Loco dicitur, quod juſtitia Dei mortem inferat.

2. In *primo loco* dicitur, quod juſtitia Dei manifeſtata ſit in Evangelio: *In tertio loco* dicitur, quod ſit manifeſtata in Cœli firmamento.

℞. *Juſtitia Dei* conſideratur *dupliciter*: καθ' ἔσω καὶ καθ' ἔξω, h. e. ad *intra* & ad *extra*.

Juſtitia Dei *ad intra* conſiderata ſignificat univerſalem in Deo rectitudinem, omni iniquitati & injuſtiæ oppoſitam, ut *Pſal. 48. v. 11.* Juſtitiâ plena eſt dextera tua.

Juſtitia Dei καθ' ἔξω ſive *ad extra* conſiderata eſt, quam Deus erga creaturas exercet, eaque *quadruplex* eſt: 1. *Architectonica.* 2. Νομικὴ. 3. *Evangelica*, & 4. *Mixta.*

I. *Juſtitia* Dei *Architectonica* eſt ipſa Dei omnipotentia, quam ipſe tanquam Mundi Architectus in Mundi fabricâ exercuit, *Pſal. 97. v. 6.* Annunciant cœli juſtitiam ejus: Et hæc Dei juſtitia cognoſcitur non ex Evangelio, ſed ex libro creaturæ.

II. *Juſtitia Dei νομικὴ* reſpectu triplicium ſubjectorum *tripliciter* conſideratur: 1. *In Deo.* 2. *In Decalogo.* 3. *In hominibus in Mundo.*

1. Cum conſideratur *de Deo*, tum dicitur juſtitia Archetypa, illaque eſt *duplex: Univerſalis & particularis.*

   Juſtitia Dei Univerſalis eſt, quæ pertinet ad voluntatem Dei Antecedentem, omneſque homines dirigit, ut piè & juſtè vivant: aliàs dicitur juſtitia Dei Diſpoſitiva, regulatrix aut directrix.

   Juſtitia Dei particularis ad voluntatem Dei conſequentem pertinet, illaque reſpicit vel pios, & dicitur *Remuneratrix*, quia piis ob pietatem præmia confert: vel reſpicit impios, & dicitur *vindicatrix*, quia impiis pœnas infligit. De utraq; conjunctim loqu tur D. Paulus *2. Theſ. 1. v. 6. 7.* Juſtum eſt apud Deum reddere iis, qui vos affligunt, afflictionem. & vobis, qui affligimini, relaxationem.

2. *Juſtitia Dei in Decalogo* comprehenſa dicitur ἔκτυπα, quæ eſt index voluntatis divinæ tum de Deo colendo & de proximo diligendo.

3. *Juſtitia νομικὴ*, quæ eſt in HOMINIBUS in Mundo, ſignificat beneficia ex gratia, benignitate aut Miſericordia Dei profecta. Et hæc opera Dei juſta ad Legem pertinent, *1. Sam. 12. v. 7.* Nunc ergò ſtate, ut diſceptem vobiſcum coram Domino de omnibus juſtitiis Jehovæ, quas fecit nobis.

III. *Juſtitia Dei Evangelica* eſt, quæ in Evangelio eſt revelata, illaque duplex eſt: *Activa & Paſſiva.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

1. *Juſtitia Dei Activa* eſt, qua ipſe Deus juſtus eſt, & ſignificat miſericordiam, beneficentiam, aut benignitatem Dei, qua ipſe miſeretur peccatorum, iisque peccata remittit, & eos in gratiam recipit. Ita accipitur *Pſal. 31. v. 2.* In juſtitia tua libera me. Et *Rom. 1. v. 7.* Juſtitia *Dei* (h. e. bonitas & Miſericordia *Dei*) revelatur in Evangelio: Nam non ira, ſed bonitas & Miſericordia *Dei* in Evangelio Legi oppoſito revelatur, uti patet ex *Rom. 3. v. 20. 21. 22.* Nunc abſque lege juſtitia *Dei* eſt manifeſtata, h. e. Miſericordia & bonitas *Dei*.

2. *Juſtitia Dei Paſſiva* eſt juſtitia à Chriſto parta, qua *Deus* nos juſtificat, non juſtitiæ per habitum impreſſione, uti fingunt Papiſtæ & Jeſuitæ, ſed juſtitiæ per fidem imputatione. Ubi diligenter notandum eſt, quod hæc juſtitia *Dei* paſſiva dicatur:

Primò: *Juſtitia Dei à cauſa Efficiente*: quia à *Deo* nobis imputatur, unde etiam juſtitia ex *Deo* appellatur *Phil. 3. v. 9.*

Secundò: *A cauſa Meritoriâ* dicitur juſtitia διὰ ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριςῷ Ἰησȣ, *Rom. 3. v. 34.* Juſtitia in ſanguine Chriſti, *Rom. 5. v. 9.* Juſtitia per obedientiam JEſu Chriſti, *Rom. 5. v. 19.*

Tertio: *A cauſa Inſtrumentali* apprehendente dicitur Juſtitia ἐκ πίςεως, ex fide, *Rom. 5. v. 1. c. 9 v. 30. c. 10. v. 6.* Juſtitia ἐπὶ τῇ πίςει, in fide, *Phil. 3. v. 9.* διὰ πίςεως, per fidem. *ibid.* Juſtitia per fidem JEſu Chriſti, intellige non activè, quam ipſe JEſus Chriſtus habet & poſſidet, ſed quâ ipſe JEſus Chriſtus habetur & poſſidetur.

IV. *Juſtitia Dei Mixta* eſt veritas & conſtantia promiſſionum divinarum. Et hæc pertinet tum ad Legem, tum ad Evangelium.

Juſtitia Dei legalis effulget ex illa comminatione *Gen. 2. v. 18.* factâ; Quacunq; die comederis de arbore vetitâ, morte morieris. Confer *Exod. 20.*

Juſtitia Dei Evangelica patet ex *Luc. 1. v. 72. 73.* Ut memor eſſet teſtamenti ſui ſancti, præſtaretque jusjurandum, quod juravit ad Abraham *Patrem* noſtrum, ac daret nobis.

§ 64. Applicatio I.

Ex dictis patet, quod utrumque verum ſit, nempe juſtitiam Dei eſſe cauſam & *vitæ & mortis*. Sed hîc accuratè eſt diſtinguendum inter *Juſtitiam Dei Evangelicam & Legalem*.

I. *Juſtitia Dei Evangelica* eſt cauſa vitæ hominibus poſt lapſum ad grati-

gratiam Dei confugientibus, meritumque Chriſti verâ fide appehendentibus, ſicut dicitur *Pſalm 31. v. 2.* In juſtitiâ tuâ libera me Domine.

2. *Juſtitia Legalis* aliter *ante lapſum*, aliter *poſt lapſum* conſideratur:

Ante lapſum erat cauſa vitæ. Si enim homo lapſus non fuiſſet, ex Lege, quæ eſt regula juſtitiæ divinæ, non ex Evangelio ſalvatus fuiſſet. Unde *Lev. 18. v. 5.* dicitur: qui fecerit ea, vivet in eis.

Poſt lapſum verò juſtitia legalis eſt cauſa mortis, non quidem in *ſenſu abſoluto*, & ratione ſui vel per ſe, ſed in ſenſu *relativo*, & ratione noſtri, vel per Accidens, quatenus incidit in homines peccatores.

§. 65. APPLICATIO II.

Diſtinguendum eſt inter *juſtitiam Dei Architectonicam & Evangelicam.* Juſtitia Dei *Architectonica* (aliàs vocari poteſt Juſtitia παντοκρατορική) eſt revelata in libro Creaturæ: Juſtitia verò *Evangelica* in libro Scripturæ, h. e. in Evangelio.

DUBIUM.

At dicat aliquis: Quomodo Cœli juſtitiam *Dei* annunciare poſſunt, cum voce & Lingua careant?

℞. Cœli juſtitiam Dei annunciant, non quidem emiſſâ voce, ſed oculari demonſtratione, non auribus, ſed oculis eam exhibendo, ita ut omnes homines mirabilem cœlorum ſtructuram intuentes artificem agnoſcere & celebrare cogantur. Quo ſenſu hoc quoque explicat *Chryſoſt. homil. 9. ad populum Antiochenum:* Quomdo, inquit, Cœli enarrant? dic mihi? Vocem non habent, os non poſſident, ipſis non eſt lingua. Quomodo igitur narrant? Per ipſum aſpectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam, per tantum temporis permanere, tanquam Vocem audiens & adſpectum diſcens, adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit. Tacet cœlum, ſed ipſius aſpectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures docens. Nec minus doctè eundem locum explicat *D. Baſilius in homil. ſuper principium Proverb. Salomonis*, ubi primum verſum hujus Pſalmi allegans ait: Sapientiam *Dei* tanquam per proſopopœiam in rebus naturalibus loquentem introduci. Tantùm non vocem emittunt, inquit, opera Dei viſibilia, quod à Deo facta ſunt, quodq; non fortuito caſu tanta in rebus naturalibus inſint ſapientisſimi artificis monumenta. Natura enim rerum etſi vocem non emittit, σιωπῶσα βοᾷ τὴν ἑαυτῆς κτίσιν καὶ κύριον ἵνα δὶ αὐτῆς ἀναδράμης ἐπὶ τὴν ἔννοιαν τοῦ μόνου σοφοῦ: Tacens clamat creatorem ſuum,

& Dominum ſuum, ut per ipſam recurras ad cognitionem ejus, qui ſolus eſt ſapiens.

§. 66. ANTILOGIA XII.

PSal. 70. v. 19. Deus, quis *ſimilis* Tibi?

Gen. 1. v. 26. Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

1. Joh. 3. v. 2. Scimus, quod cùm manifeſtatus fuerit (apparuerit nempe Filius *Dei* in ultimo adventu ſuo, uti ex *c. 2. v. 8.* hæc ellipſis ſuppleri poteſt) ſimiles ei erimus.

RESPONSIO.

I. ὁμοιότης vel ſimilitudo accipitur h. l. pro æqualitate jam nulla creatura æqualis eſt ſuo creatori. Quia creator *Deus* eſt infinitus, omnis autem creatura finita; finitum autem infinito æquale eſſe non poteſt. Confer locum *Luc. 20. v. 36.*

II. *Diſtinguendum inter ſimilitudinem univocam & analogicam*, vel adæquatum & inadæquatum. Elegans locus extat *Pſalm 89. v. 6. 7.* Quis in nubibus æquabitur Domino? Quis ſimilis erit Domino inter filios Deorum? Hîc æquari & ſimilem eſſe, tanquam Synonyma conjunguntur.

Locus III. DE TRINITATE.

§. 67. ANTILOGIA I.

MAtth. 28. v. 19. Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

2. Cor. 13. v. 13. Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio Spiritus S. ſit cum vobis omnibus.

DUBIUM.

Hinc colligunt *Antitrinitarii* inter tres Perſonas Deitatis non eſſe veram & realem diſtinctionem: aut ſi vera & realis inter eas ſit diſtinctio, tolli, inquiunt earundem æqualitatem: jam verò omne primum eſt excellentius ſecundo, & ſecundum tertio: Siquidem *Pater* eſt prima, *Filius* ſecunda, & Spiritus S. tertia Perſona Trinitatis: Quæ enim præcedunt ordine, illa quoque præcedunt dignitate, niſi dicere velimus, ordinem illum eſſe fictitium, inque rebus ipſis nullum habere fundamentum.

CON-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Conciliatio.

I. Rectè à Theologis Orthodoxis ordo certus inter tres perſona Deitatis eſſe creditur, ita ut Pater ſit perſona in ordine prima, Filius ſecunda, & Spiritus S. tertia: Siquidem ordo hic ab ipſo Chriſto in Baptiſmi inſtitutione nobis oſtenditur: ideò religio nobis ſit vel latum unguem ab eodem diſcedere, aut eundem invertere. Si enim ordo hic inverteretur, Baptiſmi ſubſtantia immutaretur.

II. Addi poteſt *hæc ratio.* Ideò Pater eſt perſona Trinitatis prima, quia eſt à nullo: Filius eſt à *ſolo Patre*, & Spiritus S. ab utroque. Pater eſt enim perſona producens tantùm, ideoqve prima: Filius eſt productus à Patre, ideoque poſterior eſt Patre, ſed Spiritu S. non eſt poſterior; quia Spiritum S. unà cum Patre ſpirando produxit. Quia igitur Pater eſt Perſona in Trinitate prima; Filius ſecunda, ob rationem allatam, neceſſariò ſequitur, quod Spiritus S. tertia perſona ſit in ordine, quia tantùm tres perſonæ ſunt in veneranda Trinitate.

III. Neque tamen ex hac ordinis diverſitate ſequitur perſonarum *inæqualitas* in Trinitate. Nam quando Pater dicitur prima Perſona, tum *Prioritas* non intelligenda

1. Φυσικὴ, h. e. *reſpectu naturæ* vel Eſſentiæ, quia tres Perſonæ Trinitatis ſunt ὁμοούσιοι *1. Joh. 5. v. 7. Joh. 10. v. 30.* Ego & Pater unum ſumus.
2. *Neque* eſt χρονικὴ, h. e. *temporalis*: quia Perſonæ Deitatis ſunt ὁμαιώνιοι. Siquidem ante creationem Mundi Filius exſtitit apud Patrem, & Spiritus S. apud utrumque, *Prov. 8. Joh. 1. Gen. 1.*
3. Ideoque neque eſt ἀξιωματικὴ, h. e. *dignitatis*, quæ à priori utraque dependet: Quia ſunt ἰσότιμοι, *Num. 6. Eſ. 6. Rom. 11. Apoc. 1.*
4. *Sed* prioritas eſt ὑπαρκτικὴ καὶ ταχματικὴ, h. e. *perſonalis* ſive originalis & *ordinalis*: quia pater eſt ἀγέννητος: Filius eſt γεννητὸς: Et Spiritus S. eſt ἐκπόρευτος: Ideoque Pater eſt prima, Filius ſecunda, & Spiritus S. in Trinitate tertia perſona. Etenim ordo perſonarum non fundatur in aliqua dignitate, ſed in characteriſtica perſonarum Trinitate.

IV. Unde rectè dixit *Gregorius Naz. de Theol. lib. 3.* A Patre exiſtunt Filius & Spiritus S. ſed non POST illum. Et *Gabriel Biel lib. 1. Sent. diſt. 31. quæſt. unica*: Filius & Spiritus S. habent principium originale, ſed non initiale. Et eleganter inquit *Athan.* in Symbolo ſuo: In hac Trinitate nihil eſt prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed omnes tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

V. Neque *axioma* illud univerſaliter verum eſt: Quod ordine eſt primum, illud quoque dignitate eſt primum: Et quod ordine eſt ultimum, illud quoque dignitate eſt poſtremum. Fallit enim etiam in rebus creatis: Homo enim in ordine creaturarum eſt ultimus, quia ultimò à Deo conditus: Et tamen omnium creaturarum eſt præſtantiſſimus, quia propter hominem ſunt condita. Quam ob cauſam homo rectè à Veteribus μικρόκοσμος & Mundi Epitome eſt appellatus. Et eleganter *Greg. Nyſs. de opificio hominis cap. 2.* inquit: Præparato ante omnia imperio, tum proximum erat Regem deſignari, non autem putandum eſt, idcircò ad extrema rejectum eſſe hominem, quod vilis eſſet, ſed quod cùm ſtatim ab ortu ſuo reliquorum omnium tanquam ſubditorum Regem eſſe oportebat. Similiter rectè obſervavit *Gregor. lib. 9. Mor. c. 27* quod nusquam alibi in Scripturis manum ſuam adhibuiſſe legatur SS. Trinitas, quàm in hominis creatione. Unde dignitas & præcellentia hominis æſtimari poteſt, quod inter Dei opera ultimum occupat locum, ſed tantùm auguſtiſſimum & longe nobiliſſimum. Conf. *Lact. div. Inſt. c. 9.* Hinc jam quilibet videt, quod ex ordinis diverſitate nôn ſtatim dignitatis inæqualitas concludi poteſt: Et ne quidem in rebus humanis vel creatis; multo minus in Articulo S. Trinitatis.

VI. Notandum, quod *ordo* inter Perſonas Trinitatis in S. Scriptura *aliquando obſervetur, aliquando* verò *immutetur*. Obſervatur tum in *V.* tum in *N. V.*

Loca V. T. in quibus obſervatur, præcipua hæc ſunt, *Eſa. 63. v. 7.* Benignitates Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ plenè pro omnibus, quæ contulit nobis Jehova &c. Et *v. 9.* Angelus faciei ejus (h. e. Filius Dei) ſervavit eos dilectione ſua & clementia ſua, ipſe vindicavit eos &c. & *v. 11.* Nam ipſis revelantibus & exacerbantibus Spiritum Sanctitatis, h. e. (Spiritum S.) mutabatur quidem ipſis in inimicum, *Hag. 2. v. 5.* Sum vobiscum, dicit Jehova exercituum (h. e. Deus Pater) cum verbo (h. e. Filio meo) quo pepigeram vobiſcum exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo [h. e. Spiritu S.] ſtante in vobis, ne timeatis.

Similiter *in N. T.* ordo perſonarum Deitatis obſervatur, potiſſimum autem in loco anteà allegato, *Matth. 28.* Baptizate &c. & *1. Joh. 5. v. 17.* Tres ſunt, qui in cœlo teſtimonium perhibent, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

Immutatur verò ſimiliter in V. & in N. T.

In V. T. ut *Pſal. 33.* Verbo [h. e. Filio] Jehovæ [h. e. Dei Patris] cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus [h. e. Spiritu S.]

In N. T. Joh. 15. v. 26. Cùm autem venerit Paracletus ille [h. e. Spiritus

tus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tus S.] quem ego [ſc. Chriſtus Dei Filius] mittam vobis à Patre, Spiritus, inquam, ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me, *2. Cor. 13. verſ. 13.* vide ſuprà *Gal. 1. v. 1.* Paulus Apoſtolus non ab homine neqve per hominem, ſed per JEſum Chriſtum, ac Deum Patrem, qui ſuſcitavit illum à mortuis.

Epheſ. 5. v. 5. Nullus ſcortator, aut immundus, aut avarus, qui eſt ſimulachrorum cultor, habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.

2. Theſſ. 2. v. 16. Ipſe Dominus noſter JEſus Chriſtus, & Deus ac Pater noſter, conſoletur corda veſtra.

Apoc. 1. v. 4 5. Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt (h. e. à Deo Patre) & à ſeptem Spiritibus, qui ſunt in conſpectu throni ejus, (h. e. à Spiritu S.) & à JEſu Chriſto.

VII. Cauſa autem hujus Ordinis inter Perſonas Trinitatis in Scriptura & obſervati & immutati hæc eſt: Obſervatur ordo ille propter diverſitatem tum originis tum ordinis, quæ eſt inter Perſonas Trinitatis. Immutatur autem, h. e. non ſemper illo ordine ponuntur hæ perſonæ ſicut in Formula Baptiſmi ponuntur, ut inſinuetur diverſitatem illam Originis & Ordinis non inferre inæqualitatem perſonarum Deitatis, ſed omnes tres perſonas eſſe coæquales, ejusdemqve dignitatis, gloriæ & Majeſtatis. Quâ de cauſa etiam particula ***Ex***, ***Per*** & ***In*** interdum diſtinctè ſingulis Perſonis aſſignantur: illa Patri, iſta Filio, hæc Spiritui S. modò verò permutantur, uti *in Diſp. in 1. cap. Joh.* à nobis monſtratum fuit.

§. 68. ANTILOGIA II.

J*Oh. 10. v. 30.* inquit Chriſtus: Ego & Pater unum ſumus.

Hebr. 1. v. 3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, h. e. qui (ſc. Filius) eſt ſplendor gloriæ, & character Subſtantiæ illius.

Hîc manifeſta videtur eſſe ἀντιλογία: Si enim Filius unam cum Patre obtinet Eſſentiam, quomodo ipſe Character Eſſentiæ Patris eſſe poteſt? Sequeretur enim hac ratione, non unam. ſed genuinam in Patre & Filio eſſe eſſentiam. Nam imago ſemper eſt diſtinctum quid ab eo, cujus eſt imago: quia imago eſt in prædicamento Relationis. Omnis autem Relatio eſt inter plura. Jam verò Filius eſt imago ſubſtantiæ Patris. Ergò non una eademqve in Patre & Filio eſt ſubſtantia. Quomodo igitur Chriſtus dicere potuit: Ego & Pater unum ſumus?

℞. Nulla inter hæc duo Loca eſt ἀντιλογία. Nam *prior* Locus intelligendus eſt de Patris & Filii ὁμοουσίᾳ. Notanter enim Chriſtus dicit, quod ipſe & Pater ſint UNUM. Ubi notandum, quod Maſculinum UNUS abſolutè poſitum de-

tum deſignet unitatem Perſonæ: Vox verò UNUM ſignificet unitatem naturæ vel ſubſtantiæ. Quia autem Chriſtus utitur voce UNUM, unitatem intelligit non Perſonæ (ſic enim tres ſunt, *1. Joh. 5.*) ſed naturæ vel ſubſtantiæ. Quare unam eandemqve ſubſtantiam obtinent: ac proinde ὁμοούσιοι ſive conſubſtantiales ſunt.

II. Neqve huic aſſertioni *alter* Locus contrariatur: Ubi Apoſtolus inqvit, qvod Filius ſit Character ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς. Nam eſt ambiguitas in voce ὑποστάσεως, qvam quidam Theologi exponunt de ſubſtantia, quidam verò de perſona.

Qui intelligunt eam de ſubſtantia, hâc ratione utuntur: Filius eſt imago Patris reſpectu ejus, cujus Patri eſt ſimilimus: Etenim imago denotat convenientiam cum eo, cujus eſt imago: At Filius eſt Patri ſimilimus non ratione perſonæ (ſic enim diſtingvitur à Patre) ſed reſpectu Eſſentiæ vel Subſtantiæ. Unde tota Eccleſia orthodoxa Filium Dei imaginem Patris eſſentialem ſive ſubſtantialem vocat: Ergò Filius eſt imago Patris reſpectu Eſſentiæ. Qui verò vocem ὑποστάσεως accipiunt *pro Perſona*, illi ita argumentantur: Imago ſemper diſtinctum quid eſſe debet ab eo, cujus eſt imago: Quia imago eſt in Prædicamento Relationis. Relatio autem eſt inter plura: Atqui Filius Dei non eſt diſtinctus à Patre, non ratione Eſſentiæ (quia ſic ſunt *unum*) ſed ratione Perſonæ, ergò ratione ὑποστάσεως ſive Perſonæ imago Patris erit.

Ἐπίκρισις.

Nos verò haſce Theologorum diverſas ſententias conciliaturi ita diſtingvimus. Quæſtio illa: (Filius Dei eſt imago Patris: Anne ratione Eſſentiæ: an verò ratione perſonæ:) διττῶς intelligi poteſt; vel *de Fundamento* vel *de Termino* imaginis. Quando intelligitur *de Fundamento* imaginis, tùm rectè reſpondetur; quod Filius ſit imago Patris reſpectu Eſſentiæ vel Subſtantiæ, & non reſpectu perſonæ. Quia fundamentum ſive formalis ratio hujus imaginis eſt ipſa ſubſtantia ſive Eſſentia divina. Quando enim quæro, quare, vel quam ob cauſam Filius eſt imago Patris: tum reſpondeo. Quia eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre: Unde etiam imago Patris ſubſtantialis appellatur. Quando verò *de Termino* imaginis hæc quæſtio intelligitur, h. e. CUJUS imago ſit Filius? Tum per correlatum oportet me reſpondere hoc modo: Filius eſt imago Patris ſive perſonæ Patris. Quia imago dicit relationem. Relatio autem eſt inter plura: pluralitas autem eſt in Deo, non reſpectu ſubſtantiæ, ſed reſpectu perſonarum. Unde patet, utrumqve verum eſſe: Filius eſt imago

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Patris reſp. ſubſtantiæ. Quia unà cum Patre verus Deus eſt in ſubſtantiæ unitate. Et: Filius eſt Imago Perſonæ Patris. Quia à Patre ratione Perſonæ eſt diſtinctus propter τρόπον ὑπάρξεως diſtinctum: Et tamen in Perſona ſua Patrem ad vivum repræſentat propter ſubſtantiam, quam poſſidet in Perſona ſua eandem: Non ſecus atqve Imago diſtincta eſt ab archetypo ſuo, cujus eſt imago: & tamen cum archetypo ſuo exactè congruit.

§. 69. ANTILOGIA III.

JOh. 1. verſ. 2. ὁ λόγος eſt DEUS.
Col. 1. v. 15. ὁ λόγος eſt Imago Dei inconſpicui.

DUBIA.

Loca hæc diligenter ſunt explicanda tum propter Oſiandrum, tum propter Photinianos.

Andreas Oſiander Locum *Col. 1. v. 15.* de Chriſto tantùm ſecundum humanam naturam interpretabatur. Contendebat enim ille, Filium Dei dici imaginem Dei inconſpicui, ſicut homo dicitur conditus ad imaginem Dei, h. e. talibus donis ornatus, qualibus fuit ornata humanitas Chriſti.

℞. Licèt ſuo modo verum ſit, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam ad imaginem Dei ſit conditus; attamen locus præſens Apoſtolicus nullo modo de Chriſto ſecundum humanam naturam exponi poteſt, id quod ex textu hoc ſyllogiſmo evidenter demonſtrabimus:

Secundum illam naturam Chriſtus eſt imago Dei inconſpicui ex mente Apoſtoli, ſecundum quam eſt primogenitus omnis Creaturæ *verſ. 15.* Et ſecundum quam naturam ipſe eſt πρὸ πάντων, h. e. ante omnia *v. 17.* Et per ipſum creata ſunt omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra, *v. 16.*

Atqui Chriſtus non ſecundum humanam, ſed ſecundum divinam naturam eſt primogenitus omnis creaturæ, eſt ante omnia, & per ipſum creata ſunt omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra.

Ergò non ſecundum humanam, ſed ſecundum divinam naturam Chriſtus eſt imago Dei inconſpicui.

DUBIUM Photinianum.

Photiniani autem hinc colligere volunt: Chriſtum non eſſe verum Deum: quia dicitur imago Dei.

Argumentum ipſorum tale eſt: Imago Dei non eſt ipſe Deus. Atqui ὁ λόγος eſt imago Dei. E. non eſt ipſemet Deus.

℞. Propoſitio eſt ambigua tum ratione *Subjecti*, tum ratione *prædicati*

§. 70. I. DE SUBJECTO.

Subjectum eſt imago Dei. *Imago* autem *Dei duplex eſt: γεννητὴ καὶ ποιητὴ*, h. e. genita & facta.

Imago γεννητὴ ſive *genita* eſt, quæ à genitore generando eſt producta, quæque genitorem ad vivum exprimit ratione ſubſtantiæ & proprietatum eſſentialium, h. e. plena ſimilitudine & æqualitate.

Imago ποιητὴ ſive *facta* eſt, quæ ab artifice ad imaginem prototypi formando eſt producta, quæque prototypum refert non quoad ſubſtantiam, ſed quoad externam figuram, ac proinde ei non eſt æqualis, ſed reſpectu externæ figuræ ſimilis.

Imago γεννητὴ, ſive *genita*, aliàs dicitur *ſubſtantialis* & univoca: propterea quia prototypum ſuum *ſubſtantialiter* repræſentat, eandemque definitionem eſſentialem cum eodem obtinet.

Imago ποιητὴ, ſive *facta*, aliàs imago dicitur *accidentalis*: quia prototypum ſuum repræſentat non quoad ſubſtantiam, ſive quoad naturam, ſed ſecundum figuram externam. Similiter *Analogica* dicitur, non *Univoca*, quia non eſt ejusdem ſpeciei cum ſuo prototypo; neque eandem cum eo obtinet definitionem eſſentialem.

Exempli gratiâ.

Imago Regis duplex eſt: 1. γεννητὴ, quæ eſt *in Regis Filio*, & hæc eſt imago οὐσιώδης ſive *ſubſtantialis*.

2. Ποιητὴ, ſive facta, quæ eſt *in Regio nummo*, & eſt imago ἐπουσιώδης vel *accidentalis*.

Ita etiam *Dei imago duplex* eſt: I. In *Dei Filio*. 2. *In Angelis & hominibus: Illa eſt Subſtantialis: hæc* verò *Accidentalis*. Ubi tamen *duo* ſunt *notanda: I. Convenientia. II. Differentia.*

I. *Convenientia* hæc eſt: Filius Regis eſt imago Patris ſui ſubſtantialis: Et Filius Dei eſt imago Patris ſui cœleſtis ſubſtantialis.

II. *Differentia* hæc eſt: Filius Regis eſt imago Patris ſui ſubſtantialis, ita tamen, ut non numero, ſed tantùm ſpecie eandem cum patre ſuo obtineat Eſſentiam: Filius Dei eſt imago Patris ſui cœleſtis ſubſtantialis, ita ut eandem non ſpecie, ſed numero obtineat Eſſentiam cum Patre, ſicut ipſemet inquit *Joh. 10. v. 30.* Ego & Pater unum ſumus. Ratio diverſitatis hæc eſt: Quia Eſſentia divina eſt infinita: Eſſentia verò humana eſt finita: *illa* eſt ἀμέριστος, *hæc* verò μερισμὸν admittit.

APPLICATIO.

Jam verò Propoſitio in Argumento *Photinianorum* loquitur de imagine *accidentali*, ac proinde de eadem conceditur eſſe vera: Sin verò intelliga-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

telligatur de imagine *ſubſtantiali*, eſt falſa. Nam utrumque Scriptura dicit: 1. Quod Chriſtus ſit imago Dei Patris, *Col. 1. v. 15. Hebr. 1. v. 3.* 2. Quod ſit verus Deus, *Joh. 1. v. 1. 1. Joh. 5. v. 20. Rom. 9. v. 15. Tit. 2. v. 5.* Quare velle argumentari ab imagine *accidentali* ad *ſubſtantialem*, non valet conſequentia: Quia toto genere differunt. *Illa* enim eſt imago *imperfecta* & imitativa: *hæc* verò ſubſtantialis & *perfecta*. Præterea Chriſtus non dicitur nudè Dei imago, ſed valdè graphicis & emphaticis verbis imago dicitur, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, *2. Cor. 4. v. 4.* Imago Dei inviſibilis, & additur primogenitus omnis Creaturæ, per quem omnia facta ſunt, & qui ante omnia fuit: Dicitur Filius Dei χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός, h. e. expreſſa & permanens effigies perſonæ Patris, *Sap. 7. v. 26.* Sapientia Dei eſt ſpeculum ſine macula divinæ majeſtatis, & imago bonitatis illius. Unde eleganter inquit *Epiphanius hæreſ. 69.* contra Ariomanitas: Qualis pater erat naturâ: talem quoq; genuit Filium: Genuit autem ipſum ſemper exiſtentem, nullius Patrem: Sed Filium genuit ex ſe ipſo, ſibi ipſi ſecundum naturam ſimilem. *Bernhard. Serm. 1. de advent. col. 1.* Non fas eſt Dei Filium degenerem ſuſpicari, ſed æqualis fateri neceſſe eſt altitudinis, ac ejusdem penitus dignitatis cum Patre: Nam & Filios principum Principes, & Filios Regum Reges eſſe quis neſciat?

§. 71. 2. DE PRÆDICATO.

Prædicatum eſt *Vox Dei*: Quæ accipitur vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς. *Vox Dei* οὐσιωδῶς ſignificat totam SS. Trinitatem. ὑποστατικῶς ſignificat perſonam aliquam Trinitatis, eamq; vel Patrem, ut *1. Cor. 8. v. 6.* vel Filium, ut *Joh. 1. v. 1.* vel Spiritum S. *Actor. 5. v. 4.* Hoc autem loco quando Filius dicitur imago Dei, vox Dei de Patre eſt intelligenda, hoc ſenſu: Filius eſt imago Dei ingeniti, h. e. Patris, & tamen ipſe eſt Deus, ſc. genitus. *Non* autem valet hæc collectio *abſolutè*: Filius Dei eſt imago Dei. Ergò non eſt Deus. *Sed limitate* tantùm valet: Filius Dei eſt imago Dei: E. non eſt Deus, ſc. ingenitus, vel Deus Pater ſive Perſona Patris, licet ſit verus Deus, intellige genitus. Ex Subſtantia enim Patris ante ſecula eſt genitus Deus verus de Deo vero, ac proinde veram obtinet eſſentiam divinam vereque Deus eſt.

§. 72. ANTILOGIA IV.

JOh. 17. v. 10. inquit Chriſtus ad Patrem: Omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Hebr. 1. v. 3. dicitur de Chriſto, quod ſit ſplendor gloriæ, & character (figura) Subſtantiæ Patris.

DUBIUM.

In loco priori gloria Patri & Filio tribuitur eadem:

In loco poſteriori gloria utrique tribui videtur diverſa: quia ſplendor gloriæ non eſt ipſa gloria, & character vel figura Subſtantiæ non eſt ipſa Subſtantia. Nam gloria & ſubſtantia ſunt vocabula abſoluta: Splendor autem gloriæ, & characteres Subſtantiæ ſunt vocabula relativa, quæ utique non ſunt *πάρισα* & *æqualia*, ſed ἄνισα & *inæqualia*.

CONCILIATIO.

Perſonæ Trinitatis διττῶς conſiderantur: 1. *Ratione communionis*. 2. *Ratione Diſtinctionis*.

I. Ad *communionem* Perſonarum SS. Trinitatis requiruntur *tria*: 1. ὁμουσία vel conſubſtantialitas. 2. ἰσότης vel æqualitas, & 3. περιχώρησις, h. e. permeatio & circumciſio.

II. *Ad diſtinctionem* ſimiliter *tria* pertinent: 1. *Origo*. 2. *Ordo*. 3. *Operatio*. Hæc duo in Articulo Trinitatis *non* ſunt ἐναντία vel adverſa, ſed ὑπάλληλα, h. e. ſubordinata: Ideoqne utrumque religioſe eſt credendum, neutrum verò abnegandum. Quamobrem etiam omnia Scripturæ dicta de SS. Trinitate in volumine Biblico loquentia ad geminam hanc claſſem ſunt redigenda, vel de communione, vel de diſtinctione perſonarum, vel de utraque ſimul explicanda. Et ſic optimè loca illa φαινομένως pugnantia inter ſe conciliari poſſunt, nullo verò modo inter ſe opponi debent.

APPLICATIO.

Ita etiam Locus *Joh. 17.* loquitur de Communione ſive *Conſubſtantialitate*, quæ eſt inter Patrem & Filium. Et hoc reſpectu quæ ſunt Patris, ſunt etiam Filii, & quæ ſunt Filii, ſunt etiam Patris: Excepto charactere hypoſtatico.

Alter verò *Locus Hebr. 1.* conjunctim loquitur de Patris & Filii tum communione, tum eorundem diſtinctione, quod ex vocabulorum dextra explicatione evidenter patebit.

§. 73. Splendor gloriæ divinæ

Filius Dei *Splendor gloriæ divinæ* appellatur quadruplici de cauſa:

I. *Reſpectu Originis*: δόξα enim eſt Lux copioſa, & quaſi fons luminis in Subſtantiâ lucidâ, ut *Luc. 2.* dicitur; Δόξα Domini circumfulſit Paſtores. Ἀπαύγασμα eſt reſplendeſcentia ſive fulgor à luce editus: Ita etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

iam Dominus Pater eſt fons Deitatis: Filius verò Deitatem à Patre in æterna generatione accipit. Sicut enim lumen generatur à Sole; ita quoque Filius gignitur à Deo Patre.

II. *Ratione Ordinis*, ſive Relationis. Sicut enim ſplendor non eſt à Sole vel luce ratione temporis, ſed tantùm ratione ordinis poſterior: Aliàs enim ſimul ſunt, nec unquam lux ſine ſplendore, neqve ſplendor ſine luce: Ita etiam Filius Dei eſt à Patre, non temporis ſucceſſu, (quia in Trinitate non eſt prius & poſterius) ſed ordinis reſpectu. Filius enim accepit eſſe à Patre non in tempore, ſed ab æternitate: ac proinde ſicut Pater eſt ἀΐδιος, æternus: ita etiam Filius eſt Patri συναΐδιος ſive coæternus.

III. *Reſpectu Qualitatis.* Sicut enim Splendor à luce ſuum habet eſſe non contingenter, ſed neceſſariò: non indeſinenter, ſed ſemper: Ita etiam Filius eſt genitus à Patre non per temporalem, ſed per æternam generationem. 2. Sicut ſplendor à luce absqve defluxu & deciſione producitur: Ita etiam Filius à Patre gignitur tanquam lumen de lumine, ſicut Symbol. Nycenum loqvitur, absqve defluxu & deciſione.

IV. *Reſpectu formalitatis.* Filius Dei eſt ſplendor gloriæ paternæ *non accidentalis* (quia nullum accidens in Deum cadit) *ſed ſubſtantialis:* quia in perſona Filii gloria, majeſtas, ſapientia & potentia Patris reſplendet. Unde Filius Sapientia genita *Prov. 8. v. 24. 26.* & potentia Patris *1. Cor. 1. v. 30.* appellatur. Et *Sap. 7. v. 25. 26.* pulcherrima horum vocabulorum extat explicatio: Ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου ἐστὶν ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, h. e. Splendor æternæ Lucis eſt ſincera emanatio gloriæ omnipotentis, & immaculatum ſpeculum operationis DEI, & imago bonitatis ejus.

Nazianz. Orat. 1. de Filio Dei pulcherrimè inquit: Splendor Solis à Sole naſcitur, ſimul cum ſole emergit, & lucem Solis ad amuſſim exprimit: Sic Filius Dei à Patre genitus, ipſi eſt συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος.

§. 74. De Charactere ὑποστάσεως τοῦ πατρός.

Quando Filius Dei dicitur χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, notandum, quod *Character* non ſit idem quod Figura, ſicut verſio vulgata habet. Quia Figura eſt accidens. Filius autem Dei non eſt imago accidentalis ſapientiæ, bonitatis, aliarumque virtutum in Deo, qualis imago eſt homo. Sed eſt ipſa ſapientia, bonitas, potentia, adeoqve integra & expreſſa Patris imago.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Eſt igitur vitium in verſione. Χαρακτὴρ enim non ſimpliciter ſignificat figuram. Omnis enim character eſt quidem figura, ſed non omnis figura eſt character. Quia character hoc loco notat imaginem non evaneſcentem (qualis eſt imago hominis reſplendens in ſpeculo, *Jac. 1. v. 21.22.*) ſed expreſſam, eſſentialem, permanentem & ſubſiſtentem: eam verò *non accidentalem* (qualis χαρακτὴρ ſive imago eſt nummus reſpectu ſuæ matricis. Nummus enim eſt χαρακτὴρ formæ matricis tantùm, non ſubſtantiæ) *ſed ſubſtantialem:* Sicut Filius eſt eſſentialis imago ſui patris. Unde in textu additur: Χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως, h. e. imago non qualitatum in Deo, ſed eſſentialis, ſubſiſtens, & expreſſa imago, cui tota Eſſentia divina eſt communicata. Hinc eleganti voce *D. Athan. Dialog. 1. de SS. Trinit. Tom. 11. p. 240.* Filium Dei characterem ἐνυπόςατον appellat. Et hoc etiam Etymologia hujus vocis arguit. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ χαράσσειν, ab imprimendo vel exprimendo, quod ſit imago impreſſa, inſculpta vel expreſſa, ut diſtinguatur ab omni umbratili & evaneſcente imagine.

Senſus igitur *eſt:* Filius Dei eſt character perſonæ Patris, non quaſi perſonam Patris communicatam ſibi habeat, (nam aliud eſt perſona: aliud verò character perſonæ) ſed quia Filius eandem eſſentiam habet in ſua perſona, quam Pater habet in ſua perſona, atque ſic perſonam Patris quoad eſſentiam perfectè repræſentat. Sicut ipſe Chriſtus inquit *Joh. 5. v. 26.* Sicut Pater habet vitam in ſemet ipſo: Ita quoque dedit Filio habere vitam in ſemetipſo. Et *Joh. 16. v. 15.* rurſus inquit: Omnia, quæcunque Pater habet, mea ſunt.

Hinc ita argumentamur.

Quicunque 1. eſt ſplendor gloriæ paternæ, h. e. eſſentiam divinam accepit in generatione facta ab æternitate, ſine ullo tempore, ſine ulla deciſione gignentis, aut paſſione aut mutatione geniti. 2. Qui eſt χαρακτὴρ ſive expreſſa & *ſubſtantialis* imago æterni Patris, h. e. in cujus perſona tota eſſentia divina, ejusque idiomata eſſentialia reſplendent, ille eſt Deo Patri ὁμοούσιος & conſubſtantialis: ac proinde verus & æternus Deus. Quia aliàs ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ ὑποςάσεως τοῦ πατρὸς dici nullo modo poſſet. Quia imago Eſſentialis eſt, quæ ex omni parte reſpondet ei, cujus eſt imago, dicente *Chryſoſt. hom. 2. in cap. 1. Coloſſ.* At verum eſt prius, uti ex dictis patet. Ergò & poſterius.

Teſtimonia Patrum.

Theodoret. in Epit. divin. dog. pag. 114. Verbum Deus & ſplendor gloriæ non eſt actio aliqua Patris evaneſcens, ſed perſona vivens, & per ſe ſub-

ſubſiſtens. Ac ſplendor quidem gloriæ docet Filium eſſe coæternum Patri. Expreſſa verò imago ſubſtantiæ, & perfectionem ſimilitudinis oſtendit, & docet de Perſonarum diſcrimine.

Athan in Dialog. 1. de SS. Trin. Tom. II. pag. 240. eleganter explicat differentiam inter imaginem & characterem ὑποστάσεως ſive Perſonæ. Opus quodpiam, inqvit, habet quidem imaginem artis, cujus peritus eſt artifex, à quo effectum eſt, hypoſtaſeos verò minimè. Et mox: Scamnum habet imaginem artis fabri: Nam ſi ſcamnum videro, agnoſco à fabro factum eſſe: & ſi navigium conſpexero, agnoſco eſſe opus à fabricatore navium confectum, quod ſit imago & gloria illius, qui id fabricatus eſt: at non hypoſtaſeos character. Nec enim aut ſcamnum aut navigium habet characterem ejus, qui id effecit, cùm hic quidem ſit homo hypoſtaſi, ſcamnum autem vel navigium non item. Sic etiam homo eſt imago & gloria Dei, qui ipſum condidit. Etenim, ut ait *S. Salomon:* Convenienter & proportione quadam effector illarum rerum conſpicitur & gloriâ afficitur ex eo, quod effectum eſt: non tamen eſt Character hypoſtaſeos opificis, ſed duntaxat virtutis ejus effectricis. At Filius eſt Character ἐνυπόστατος. Inquit enim: qui vidit me, vidit Patrem meum: nemo verò qui vidit hominem, idcircò vidit Patrem.

§. 75. ANTILOGIA V.

Joh. 1. v. 1. ὁ λόγος erat apud Deum.
Joh. 14. v. 10. Ego ſum, inquit Chriſtus, in Patre, & Pater in me eſt.

DUBIUM.

Hæc duo Loca pugnare videntur. Nam in priori dicitur, quod ὁ λόγος fuerit APUD DEUM. Ubi particula APUD inſinuat Patrem & Filium eſſe perſonas realiter non tantùm diſtinctas, ſed etiam ſeparatas: id quod propoſitio πρὸς oſtendit. Alter verò Locus probat Patrem & Filium ratione perſonarum non eſſe diſtinctos. Si enim Filius eſt in Patre, & Pater in Filio, utiqve Pater & Filius non diſtinctæ, ſed una eademqve perſona erunt.

℞. I. Quando Filius dicitur in principio fuiſſe apud Deum Patrem, tum particula πρὸς vel APUD non accipienda eſt φυσικῶς καὶ τοπικῶς, quaſi Filius localiter Patri adfuerit, ſicut filius in humanis apud Patrem ſuum eſt, ei adſtando vel adſidendo. Abſit. Sed accipienda eſt ὑπερφυσικῶς καὶ θεικῶς. Verba enim humana ad Deum translata ab omni imperfe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

perfectione priùs ſunt purganda, & poſteà ad Deum applicanda. Sicut pulchrè *Nazianz.* ait: Πολλὰ ἀνθρωποπαθῶς λέγονται, ἀλλὰ θεοπρεπῶς νοοῦνται. Quare dicimus, quod Filius ab æterno apud Patrem fuerit duplici reſpectu, 1. *Reſp. Communionis.* 2. *Diſtinctionis.*

Primo: *Reſpectu Communionis:* Quia unum eſt cum Patre. Et eſt in ſinu Patris, ut ibidem dicitur *verſ. 6.* non tantùm, quia Patri in ſummo gradu eſt dilectus, (unde dicitur ἀγαπητὸς) ſed etiam, quia in ſummo gradu cum Patre unum eſt, *Joh. 10. 1. Joh. 5.* Unde *Zach. 13. v. 7.* Chriſtus ἀρχιποιμὴν ab ipſo Deo Patre vocatur גֶּבֶר עֲמִיתִי Geber Amithi, h. e. Vir ſibi cohærens ſive proximus. *Vatablus* reddidit: coæqualis. *Eſa. 63. v. 9.* appellatur מַלְאַךְ פָּנִים Malach panim, h. e. Angelus facierum. פָּנִים à ſingulari פָּנֶה inuſitato, facies. Panim enim ſignificat & faciem & perſonam. *Luth.* reddidit: der Engel/ der für ihm iſt. Unde Johannes Evangeliſta non utitur Præpoſitione παρὰ, ſed πρὸς, ſicut Græcis dicuntur; πρὸς γένος ὑπάρχοντες, quæ ejuſdem generis & familiæ ſunt.

Secundò: *Reſpectu Diſtinctionis:* Quia Filius eſt apud Patrem, ita ut ſit à Patre per æternam generationem productus, & ſic ratione perſonæ ab eo diſtinctus. Nam vocula πρὸς non tantùm Eſſentiæ unitatem notat, ſed diſtinctionem perſonæ Patris & Filii connotat: πρὸς enim ſignificat relationem vel ad aliud, vel ad alium, ut hoc loco.

II. Locus poſterior ita eſt intelligendus: Pater in Filio, & Filius in Patre eſſe dicitur duplici ratione: 1. κατ' ἔσω. 2. κατ' ἔξω.

I. Κατ' ἔσω una perſona eſt in altera, tum ratione Communionis, tum ratione Diſtinctionis.

Ratione Communionis duplici reſpectu:

1. *Ratione* ὁμοουσίας, h. e. Eſſentiæ Unitate.

2. *Ratione* περιχωρήσεως, h. e. ratione Circuminceſſionis: quia ſibi invicem arctiſſimè præſentes ſunt. Unde *Epiph.* Patrem ἐνυπόστατον: Filium ἐνυπόστατον, & Spiritum S. ἀνυπόστατον graphico & emphatico vocabulo appellat.

Ratione Diſtinctionis Pater eſt in Filio tanquam in imagine & charactere ſuo: Et rurſus Filius eſt in Patre tanquam in principio & archetypo.

II. Κατὰ τὸ ἔξω Pater eſt in Filio rurſus gemino reſpectu:

1. *Ratione* τῶν λόγων, h. e. Verborum: Quia doctrina Filii eſt doctrina Patris, & communi utriusqve voluntate promulgatur. Hinc Chriſtus ſæpius in hiſtoria Johannis Evangeliſtæ hoc Emblema uſurpat: Doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris, *Joh. 7. v. 16, c. 14. v. 24.*

2. *Ratione*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. *Ratione* τῶν ἔργων, h. e. operum: Quia facta Filii ſunt facta Patris, & una potentia Patris & Filii fiunt. Unde ipſe Chriſtus *Joh. 14.* mox ſubjicit hæc verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor, ſed Pater in me manens, ipſe facit opera.

Quare ex hoc loco nullo evinci poteſt modo Patris & Filii eandem eſſe Perſonam, quin potius contrarium inde probatur. Omnis enim περιχώρησις realem rerum ſibi invicem præſentium diſtinctionem importat.

§. 76. *DUBIUM.*

At ſi Filius eſt *apud* Patrem, quomodo poteſt eſſe in Patre, & rurſus Pater in Filio?

℞. Dictum anteà fuit, particulam *apud* non ἀνθρωπίνως καὶ τοπικῶς, ſed θείκως καὶ μυστικῶς eſſe accipiendam. Accuratè enim diſtinguendum eſt inter *coexiſtentiam perſonarum extra* Trinitatem & *in* Trinitate.

Coexiſtentia Perſonarum extra Trinitatem eſt περίγραπτος, h. e. circumſcriptiva; quomodo unus homo apud alium exiſtit: hæc ita eſt comparata, ut non tantùm perſonarum coexiſtentium diſtinctionem, ſed etiam diviſionem & realem ſeparationem præſupponat. Et hoc ſenſu quicunque apud alium eſt, ita apud illum eſt, ut etiam EXTRA ILLUM ſit. Ratio hæc eſt; Quia omnis Eſſentia humana eſt finita, ac proinde diviſa.

Coexiſtentia verò Perſonarum IN Trinitate eſt ἀπερίγραπτος, h. e. incircumſcriptiva. Sic una Perſona Trinitatis eſt apud aliam, ut tantùm non ſit extra aliam: Pater enim eſt in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus S. in utroque; idque propter Eſſentiam infinitam, quam omnes tres Perſonæ Deitatis ὁλικῶς καὶ ἀμερίστως, h. e. totaliter & impartibiliter poſſident. In quam ſententiam *Juſtinus Martyr* eleganter inquit: Deus eſt Trinus perſonis non συνθέσει, h. e. compoſitione, ſed æterna συνυπάρξει, h. e. coexiſtentiâ æternâ.

§. 77. ANTILOGIA VI.

Joh. 1. v. 18. Deum nemo unquam vidit.

Joh. 14. v. 9. Contrario modo Chriſtus videtur dicere, quando inquit: Qui videt me, ille videt Patrem.

DUBIA.

I. Si Deum nemo unquam vidit, ſicut Chriſtus *Joh.1.* inquit; quomodo ipſe dicere poteſt: Qui videt me, ille videt Patrem? Anne inviſibilem & actu nunquam viſum quis vidiſſe ſe dici poterit?

II. Si videns Filium, videt Patrem. Ergò eadem eſt perſona Patris & Filii [inquiunt *Sabelliani*] Et hoc ipſa Chriſti verba arguunt, quæ talia ſunt: Philippe, qui videt me, ille videt Patrem, quomodo igitur tu dicis: Oſtende nobis Patrem? *Contra* autem: Si Filius eſt character perſonæ Patris, *Hebr.1.v.3.* quomodo erit ipſa perſona Patris? Quia aliud eſt χαρακτὴρ perſonæ, aliud ipſa perſona: aliud eſt imago, aliud verò eſt ἀρχέτυπος, quæ duo ſemper ſunt realiter diſtincta: quæcunque autem ſunt realiter diſtincta, illa diſtinctè quoque videntur. Aut ſi hoc non, diſtincta non ſunt, ſed unum ſunt; Et per conſeq. etiam Pater & Filius in Trinitate aut una ſunt Perſona [quia qui videt Filium, videt Patrem] aut ſi una perſona non ſunt, quæritur, quomodo viſo Filio videatur ipſe Pater?

Conciliatio
DE LOCO PRIORI.

I. Circa *locum priorem* inter *Viſionem corporalem & intellectualem* eſt diſtinguendum. Oculis corporis Deum nemo unquam vidit, ſcil. ἀμέσως & *immediatè*, h.e. absque velamento. Quia Deus eſt Spiritus, *Joh.4.v.24.* Ergò ſub ſenſum oculorum per ſe & immediatè non cadit Sed quando Patriarchæ & Prophetæ in V.T. & Diſcipuli Chriſti in N.T. Deum viderunt, non ἀμέσως, ſed ἐμμέσως eum viderunt: *Illi* in ſpecie ad tempus aſſumpta: hi verò in carne ὑποστατικῶς καὶ ἀχωρίστως ipſi unita. Sicut dicitur *1. Joh.1.v.1.* Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod proſpeximus, ac manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ.

Oculos verò *mentis*, ſive *Viſionem Intellectualem* quod attinet, diſtinguendum eſt inter *lumen Naturæ* & *Gratiæ*. Ex *lumine Naturæ* nemo unquam ad veram & ſalvificam Dei notitiam penetrare potuit: Sed ex *lumine Gratiæ* omnis naturæ cognitio de Deo unicè dependet. Unde cum dixiſſet Evangeliſta: Deum nemo unquam vidit, ſtatim ſubjungit: Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille ἐξηγήσατο, h.e. à nobis enarravit.

Hinc eleganter inquit *Hilarius lib.5.* de Trin. A Deo diſcendum eſt, quid de Deo intelligendum ſit.

Deſine cur videat nemo ſine Numine Numen
Mirari, Solem, quis ſine Sole videt?

II. *Lo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Locus Johannis* 1. cap. intelligendus eſt partim de *Dei eſſentia*, partim *de voluntate Dei ſalvifica*. Sic Deum nemo unquam vidit in Eſſentia ſua, quippe ſolum quam habitat Lucem inacceſſam, *1. Tim.6.v.16.* Sicut & Deus ad Moſen inquit *Exod.33.v.20.* Nemo hominum me videre poteſt & vivere.

Deinde *voluntatem Dei ſpecialem* ſive ſalvificam nemo hominum humani ingenii acumine inveſtigare unquam potuit. Quia Evangelium, quod eſt concio de gratioſa Dei erga nos voluntate eſt, myſterium ab omnibus ſeculis tacitum. Et hoc modo Deum nemo unquam vidit, ſed ſolus Dei Filius ex ſinu Patris prodiens eum nobis manifeſtavit.

§. 78. DE LOCO POSTERIORI Joh. 14.

Locus *Joh.14.v.9.* Qui vidit me, videt Patrem, πρώτως intelligendus eſt de voluntatis divinæ manifeſtatione; δευτέρως autem de manifeſtatione Eſſentiæ divinæ unius & indiviſæ, q. d. Chriſtus: Ego manifeſto & revelo vobis voluntatem non meam, ſed Patris, uti ex *Joh. 7. v. 16.* & *cap. 14. v. 24.* videre eſt, ubi Chriſtus inquit: Doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris; ac proinde ſicut una eademqve eſt Patris & mea voluntas & doctrina: Ita quoque una eademqve eſt Eſſentia; quia unitas voluntatis & doctrinæ unitatem Eſſentiæ divinæ præſupponit. Non igitur ex hoc loco inferri poteſt, Chriſtum eſſe ipſum Patrem, ſed hoc vult Chriſtus, ſe Patris perſonam, ejusqve ſapientiam, voluntatem & potentiam doctrinâ & factis repræſentare. Ideoqve quicunqve velit Deum Patrem cognoſcere, non debeat eum extra Chriſtum, ſed in Chriſto cognoſcere: Quippe per quem tanquam Mundi Redemptorem Mundo ſe patefecit, & doctrinâ & factis, ut omnes eum audiant tanquam Filium ſuum dilectum, in quo ipſi eneplacitum eſt, *Matth.3.v. 27.* & *17.v.5.* utq; omnes eum honorent ſicut & Patrem *Joh.5.v.23.*

Et hæc explicatio optimè cum textu congruit. Nam Chriſtus *v. 7.* inquit ad Diſcipulos: Si cognoviſſetis me & Patrem meum, utiqve cognoviſſetis. In hiſce verbis Chriſtus aut de cognitione humanæ naturæ & officii ſui tantùm, aut etiam de cognitione divinæ naturæ loqvitur. Non prius. Nam Diſcipuli Chriſti cognoverant ipſum eſſe verum hominem, & Mundi Redemptorem. Ergò poſterius verum eſt, h. e. reſtabat, ut cognoſcerent, ipſum eſſe cum Deo Patre verum & æternum DEum. Cætera enim jam cognoverant; Et ſanè niſi una eademqve Patri & Filii eſſet natura, quomodo Chriſtus dicere potuiſſet? Si cognoviſſetis me, etiam Patrem meum cognoviſſetis, uti rectè ex hoc loco evincit *Cyrillus lib. 9. cap. 37. in Joh.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Præterea Philippus dicit *verſ. 8.* Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Q. D. Ad veram beatitudinem nobis nil deerit, ſi Patrem cognoverimus, quem verum Deum eſſe novimus, in cujus cognitione vitam æternam conſiſtere credimus. Ad hæc Chriſtus reſpondet Philippo *v. 9.* Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me: Philippe, qui videt me, videt Patrem. Q. D. Qui me cognoſcit eſſe verum Deum, ille & Patrem cognoſcit, ac proinde vitam æternam habebit. Niſi enim hiſce verbis Chriſtus inſinuare voluiſſet, ſe verum eſſe Deum, & cum Patre ratione Eſſentiæ unum, atque in ſui non minus quàm DEI Patris cognitione veram beatitudinem conſiſtere, tum utiqve qvæſtioni Philippi non ſatisfeciſſet, quod religio nobis ſit dicere: Et hanc ſententiam & verba ſeqventia evidenter confirmat *verſ. 10.* Non credis, inqvit Chriſtus, quod ego ſum in Patre & Pater in me eſt: Verba, quæ loqvor vobis, à me ipſo non loquor; Pater enim in me manens ipſe facit opera.

§. 79. *EXCEPTIO.*

At dicit *Fr. Davidis in Diſp. 2.* Chriſtum hominem fuiſſe imaginem Dei, & ideò qui Chriſtum videbat in ſua imagine, Deum videbat.

℞. Verba hæc *Fr. Davidis* licèt prima fronte videantur ſana, attamen ὑπολόγῳ fovent. Nam imago duplex eſt: *Subſtantialis* & *Accidentalis.*

Fr. David accidentalem, h. e. viſibilem & creatam imaginem intelligendam eſſe dicit, ſed in eo graviſſimè errat & hallucinatur. Nam nulla creata & finita imago ἀρχέτυπον increatam & infinitam ad vivum repræſentare poteſt, ſicut ipſe Jehova inquit *Eſa. 40. v. 18.* Quam imaginem ponetis mihi, & *1. Reg. 8. v. 23.* Non eſt ſimilis tibi Deus: Imò qui videt talem imaginem, vel ἀρχετύπῳ quam ſimilimam, ille verè dicere haud poteſt, vidiſſe ſe rem ipſam, quin potiùs ſummo rei ipſius videndæ deſiderio incenditur. Atqui Chriſtus eſt talis imago, quam qui videt, ipſum Patrem videt, ſicut ipſe Chriſtus conceptis verbis inquit. Propterea enim Philippo reſpondit, qui Patrem ab eo non ſatis videri putabat, qui Chriſtum Dei Filium viderat: Ergò finita & creata imago hoc loco intelligi non poteſt. Relinquitur ergò, quod Filius Dei ſit naturalis & ſubſtantialis imago Patris, & unius ejuſdem eſſentiæ cum Deo patre.

2. Chriſtus eſt imago Dei *dupliciter*: καθ' ἔσω & κατ' ἔξω.

I. Κατ' ἔσω, quatenus in ſua Perſona Patris ſapientiam, potentiam & gloriam repræſentat, ſicut dicitur *Col. 1. v. 15.* Imago Dei inviſibilis ἀοράτου, ita ut etiam ipſe ſit imago ἀόρατος, h. e. inviſibilis in Nominat. caſu, quia eſt Character & imago archetypo, & exemplari ſuo non tantùm

ὅμοιος, ſed etiam παράλληλος, ac proinde talis imago eſt, quale ipſum archetypum exemplare eſt.

II. Καθ' ἑξῶ: Quia in Chriſto, qui eſt DEUS in carne manifeſtatus, ipſe Deus Pater in ſua natura inconſpicuus conſpiciendum ſeſe hominibus præbuit, ſicut hoc loco Chriſtus inqvit, & D. Paulus *2. Cor. 4. v. 6.* ſcribit: In quibus Deus hujus ſeculi excœcavit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

§. 80. ANTILOGIA VII.

1. JOh.4.v.10. In hoc eſt charitas Dei, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris. Et *v. 19.* nos diligimus Deum: quia ipſe prior dilexit nos. *Joh. 16. v. 27.* Pater amat vos, quia vos me amâſtis.

DUBIUM.

Ex loco poſteriori *Bellarm. lib. 1. de Grat. & lib. arbitr. cap. 6.* infert, quod noſtra dilectio faciat nos Deo dilectos, & *cap. 7.* ait, quod DEUS duobus modis nos diligat: Uno modo ut ſimus juſti & ſancti: Alio modo, quia ſumus juſti & ſancti.

℟. Loca Scripturæ de dilectione Dei erga nos in *duplici* ſunt *differentia:*

I. Quædam Loca de dilectione Dei erga nos loqvuntur αἰτιολογικῶς ſive in ſenſu cauſali, h. e. docent, quod Dilectio Dei ſit fons omnis noſtræ dilectionis. In quam ſententiam rectè loquitur *Bernhardus lib. de amore cap. 4.* Cùm nos amas, non niſi propter te nos amas. Et mox: Nec te, niſi propter te, nec Angelum, nec hominem amare potes, niſi propter te.

II. Quædam Loca Scripturæ de dilectione Dei erga nos loqvuntur σημαντικῶς, h. e. *ſymbolicè & ſignificativè.* Et ita locus poſterior eſt intelligendus, cujus hic eſt ſenſus: Amor noſter erga Deum non eſt cauſa meritoria divini erga nos amoris: ſed amor noſter erga Chriſtum eſt argumentum certiſſimumqve ſymbolum amoris Patris cœleſtis erga nos. Nemo enim diligit Chriſtum, niſi quem Pater prius dilexerit. Quare Apoſtolus à dilectione tanquam effectu & ſigno vult nos ratiocinari ad cauſam antegreſſam, ſi nempe charitatem erga Chriſtum tanquam opus Spiritus S. vivum & fidei non ſimulatæ fructum in nobis deprehendamus, certiſſimè inde concludamus, Deum Patrem nos diligere. Quia Chriſtus eſt fundamentum divini erga nos amoris. Sicut Apoſtolus inquit, *Epheſ. 1. v. 6.* ὁ θεὸς ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, h. e. Deus dilexit nos in dilecto.

§. 81. ANTILOGIA VIII.

MAtth. 5. v. 2. inquit Chriſtus: Beati pauperes Spiritu.
Apoc. 3. v. 16. 17. contrarium dicit ad Paſtorem Eccleſiæ Laodicenſis, verba hæc ſunt: Quoniam dicis: Ego opulentus ſum, & dives factus, & nullâ re egeo, & neſcis te eſſe ærumnoſum & miſerabilem, & pauperem, & cœcum, & nudum: Svadeo tibi à me emere aureum ignitum probatum, ut locuples fias, &c.

DUBIUM.

Filius Dei *Matth. 5.* pauperem vocat beatum, at *Apoc. 3.* eundem dicit eſſe ærumnoſum & miſerabilem, quæ ſunt oppoſita. Nam utrobiqve Chriſtus de ſpirituali paupertate loqvitur, & tamen contraria de illa eloquitur. E. Chriſtus ſibi contrarius eſſe videtur: Quo ipſo *Veritas* ejus, ſicut *Joh. cap. 14.* vocatur, abnegatur.

CONCILIATIO.

Homines in mundo *pauperes* in genere ſunt *duplices*: Vel enim ſunt pauperes σωματικῶς, vel πνευματικῶς, h. e. *ſpiritualiter*. Non de illis, ſed de hiſce pauperibus in utroqve loco allegato loqvitur.

Pauperes autem πνευματικῶς ſive ſpiritualiter ſic dicti in triplici ordine ſunt conſtituti:

I. Quidam ſunt pauperes ἀληθινῶς, & divites φαινομένως, h. e. paupertatem ſuam non agnoſcentes, neqve divitias veras quærentes, ſed divitias falſas ſibi pollicentur. Talis erat Paſtor Eccleſiæ Laodicenſis, de quo loquitur Chriſtus *Apoc. 3.*

II. Alii ſunt pauperes, paupertatem ſuam quidem agnoſcentes & divitias ſpirituales quærentes, ſed non veras, neque verè, h. e. qui quidem fame ſpirituali ſtimulantur, & paupertate ſuâ graviter cruciantur, ſed pœnitentiam non agunt, neque Chriſtum panem vitæ quærunt, aut ad ipſum tanquam fontem vivum accedunt, ſed ciſternas ſibi fodiunt humanarum traditionum & carnalis ſapientiæ, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, *Jer. 2. v. 13.* Quemadmodum Meſſias *Pſalm. 59. v. 15. 16.* ingratis Judæis minatur, quod fame ſpirituali eos punire velit: eò quod ſe panem vitæ ſpreverint, quando inqvit: Et converſi ad veſperam tumultuabuntur ut canes, & circumibunt civitatem. Ipſi vagabuntur, ut comedant, & cum non fuerint ſaturati, ululabunt. Quorum verborum hic eſt ſenſus: *Primò* Judæi circumibunt civitatem, h. e. malitiâ ſuâ excluſi erunt à ſocietate Eccleſiæ, quæ Civitas eſt Dei magni & cœleſtis Hieroſolyma,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

roſolyma, *Ebr. cap. 12. v. 22.* Deinde ſpirituali fame agnitionis Dei & fidei in Chriſtum torqvebuntur, ideoqve ut canes ululabunt, h. e. ex impatientia Deum ore blaſphemo allatrabunt, h. e. blaſphemabunt.

III. Sunt alii ſpiritualiter pauperes, paupertatem ſuam agnoſcentes, & divitias veras legitimè quærentes. Tales ſunt illi, qui peccata ſua agnoſcunt, pœnitentiam agunt, Evangelium audiunt & in Chriſtum credunt. Hiſce parata eſt Cœna magna, de qua Chriſtus loquitur *Luc. 14. v. 16.* & cœleſtes nuptiæ, *Matth. 22. v. 2.* & convivum grande, pingvedinis & medullæ, quod Dominus omnibus parat gentibus, *Eſa. 25. v. 6.* Ac de hiſce loquitur Chriſtus *Matth. 5.*

APPLICATIO.

Unde patet, quod inter loca allegata nulla ſit ἀντιλογία: quia Chriſtus non de iisdem pauperibus, ſed de diverſis in diverſis hiſce locis loquitur. Ubi autem eſt diverſus reſpectus, ibi omnis exſpirat ἀντίφασις & contradictio. *Pauperes primi ordinis* ſunt *Superbi*, ideoqve paupertatem ſuam non agnoſcunt, & veras divitias quærunt. Ideoqve Chriſtus ad Paſtorem illum Eccleſiæ Laodicenſis inqvit: Dicis, quod dives ſis & locuples, h. e. jactitas ſpirituales tuas divitias, cùm nihil minus ſis, quàm dives, &c. *Pauperes* verò *ultimi ordinis*, de quibus Chriſtus loquitur *Matth. cap. 5.* ſunt *humiles* & *manſueti*, quo titulo Chriſtus eos *ibid. v. 5.* exornat.

Hûc elegans referri poteſt obſervatio ex *Pſal. 9. v. 13.* de hominibus πνευματικῶς pauperibus: Miſerere mei, inquit David, Domine, vide afflictionem meam ab iis, qui oderunt me, qui exaltas me de portis mortis. In textu Ebræo *Ketib* eſt עֲנָיִים anajim, *Keri* verò עֲנָוִים anavim. Hoc non ſine cauſa factum eſt, ſed ut doceatur Deum quidem non obliviſci clamoris pauperum & afflictorum, ſed non quorumvis, verùm *manſuetorum* & eorum, qui ſunt *humiles* & *mites*. Nam עֲנָיִים ſignificat afflictos & pauperes, עֲנָוִים autem ſignificat *manſuetos*, *humiles* & *modeſtos*, h. e. qui καϑ' ἔξω ſive reſp. fortunæ ſunt pauperes; tamen καϑ' ἔσω, h. e. Spiritu ſunt humiles, ſive ſpiritualiter pauperes, & hoſce Chriſtus beatos pronunciat, *Matth. 5. v. 2.*

§. 82. ANTILOGIA IX.

1. T*Im. 6. v. 16.* DEUS inhabitat locum inacceſſum.

Ebr. 10. v. 9. Habemus libertatem ingrediendi ſacrarium (h. e. cœlum) *v. 22.* Accedamus cum corde vero.

℞. *Prius*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

℞. *Prius* dictum exponit geminum ſtatum *Dei & Noſtrum*.

Primò Statum DEI glorioſum, h. e. Dei deſcribit: 1. Inviſibilitatem. 2. Incomprehenſibilitatem. 3. Immortalitatem: Eaq; Dei idiomata deſignantur per *Lucem Dei inacceſſam*. Deus enim per ſe eſt inviſibilis & incomprehenſibilis, ita ut nemo hominum ipſum vel videat, vel videre queat, niſi ipſemet ex inviſibili & inacceſſâ luce procedat, ſeq; nobis patefaciat. Nam præcedit in textu: Ipſe ſolus habet immortalitatem. Sicut autem immortalitas eſt attributum Dei Eſſentiale: Ita etiam inviſibilitas & incomprehenſibilitas. Hinc colligit *Chryſoſt. hom. 3. de incomprehenſ. Dei Natura*: Non dicit Apoſtolus, quod Deus ſit lux inacceſſibilis, ſed quod lucem inacceſſibilem inhabitet: ſcil. ut intelligas, quod ipſe inhabitans Deus inacceſſibilis ſit, quando domicilium, quod ipſe inhabitat, inacceſſibile eſt. Et *paulo poſt*: Dicit Apoſtolus, quod Deus inhabitet lucem inacceſſibilem, quod longe plus eſt, quàm incomprehenſibilem. Quod enim inquiſitum inveſtigatumq; comprehendi non poteſt, id eſſe incomprehenſibile dicimus: quod autem ne inveſtigando quidem ullo pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere poteſt, id inacceſſibile eſt.

Deinde exprimit ſtatum NOSTRUM AERUMNOSUM. Quia in ſtatu noſtro *extra* Chriſtum via ad thronum majeſtatis divinæ erat invia & inacceſſa. Ignorabatis enim Deum, inquit Paulus ad *Gal. cap. 4. v. 8.* Eratis in tempore illo *ſine* Chriſto abalienati à Repub. Iſraëlis, & extranei à Teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, Deoque carentes in mundo, *Epheſ. 2. v. 12.*

Poſterius verò *Dictum* exponit Statum à Chriſto nobis recuperatum, ſive privilegium ſanguine Chriſti acquiſitum: Videlicet quod per fiduciam ſanguinis ejus liber acceſſus ad thronum Majeſtatis nobis pateat, qui ſine hâc clave aliàs occluſus & velut abſconditus latebat. Atque hoc eſt, quod Paulus inquit *Rom. 5. v. 2.* Nos fide juſtificatos per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum habere προσαγωγὴν, h. e. aditum ad gratiam. Utrumque ſtatum noſtrum, tum extra Chriſtum, tum in Chriſto ſimul complectitur D. Paulus *Gal. 4. v. 8. & 9.* Tunc quidem cum ignoraretis Deum, ſerviebatis iis, qui natura non ſunt Dii: At nunc poſtquam cognoviſtis Deum, quin potius cogniti eſtis à Deo (intellige à Chriſto & in Chriſto) quomodo convertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum inſervire vultis? Et *Eph. 2. v. 12. 13.* Eratis in tempore illo ſine Chriſto, &c. Nunc autem per Chriſtum JEſum vos, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 83. ANTILOGIA X.

JOh. 8. v. 15. & 50. Ego, inquit Chriſtus, non judico: Pater meus quærit & judicat.

Joh. 5. v. 22. Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio.

(Vid. etiam Locus 28. de Adventu Chriſti ad judicium.)

DUBIA.

In hiſce Locis *duo* ſeſe offerunt *dubia:* 1. In loco *priori* Patri judicium tribuitur, in *poſteriori* verò eidem expreſſè à Chriſto detrahitur.

2. In loco priori dicitur, quod Pater omne Judicium dederit Filio: At contrarium aſſerit Chriſtus in loco *poſteriori*, inquiens, ſe non judicare. Idem quoque affirmat, *cap. 3. Johannis v. 17. & cap. 12. v. 47.*

§. 84. ℞. *AD DUBIUM* I.

Verba illa Chriſti *Joh. 5.* (Pater non judicat quenquam) non ſunt intelligenda *in ſenſu abſoluto:* quaſi Deus Pater à judicio planè ſit excluſus. Abſit. Nam contrarium [inprimis quando de judicio extremo agitur) patet ex *cap. 7. Daniel. v. 9.* Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & ANTIQVUS DIERUM [h. e. Deus Pater] SEDIT [ſc. ad judicandum] *v. 10.* JUDICIUM & libri aperti ſunt. Et *Act. 17. v. 31.* Deus ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem terrarum in juſtitia per virum, in quo decrevit. *Verùm in ſenſu limitato*, nempe pater non judicat quenquam. I. *κεχωρισμένως*, h. e. *diviſim* vel *ſejunctim;* ita ut Solus absque Filio judicet, ſiquidem abſolute juxta Legem non vult judicare credentes, judicat autem *in Filio* Mediatore juxta Evangelii ſententiam. Et ita loquitur Chriſtus ex hypotheſi Judæorum, qui Filium à Patre in Mundi gubernatione & judicii adminiſtratione ſeparabant, cum contra Pater non niſi per Filium in carne manifeſtatum mundum regat atque judicet, *Act. 17. verſ. 31.*

II. ὁρατῶς, h. e. *viſibiliter.* Siquidem Pater in viſibili Judicis Perſona atque viſibili forma neminem judicat. Quia non Pater ſed Filius ſolus eſt Deus in carne manifeſtatus, *1. Tim. 3. v. 16.* Unde *Joh. 5. v. 27.* additur ratio, quare Pater neminem judicet, ſed omne Judicium dederit Filio: *Quia* (ὅτι) ipſe FILIUS HOMINIS eſt, qui aſſumptâ humanâ naturâ judicium adminiſtrabit.

§. 85. ℞. *AD DUBIUM* II.

Chriſtus *non judicat*, *Joh. 8. v. 15.* ſcil. ſolus & absque Patre. Quia ipſe & Pater unum ſunt, *Joh. 10. v. 30.* Et ipſe eſt in Patre, & Pater in ipſo, *Joh. 14. v. 10.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Judicat autem Chriſtus, quia Pater *omne* judicium dedit Filio, *Joh.5. v. 22.* Quem locum alii intelligunt de Judicio extremo ſive univerſali, quo mundus in extremo die eſt judicandus: Alii verò intelligunt de adminiſtratione Regni Meſſiæ in Eccleſia. Sed utraque ſententia dextrè conciliari poteſt, ſi dicamus *regnum* Chriſti eſſe *triplex:* Potentiæ, gratiæ & gloriæ. Jam verò cuicunque datum eſt regnum, ei quoque licitum eſſe in eodem exercere judicium. Ergo quoque Chriſto *judicium* datum eſt *triplex:* 1. In Regno potentiæ. 2. gratiæ. 3. gloriæ.

I. IN REGNO POTENTIÆ.

Sic Judicium ei datum eſt à Patre, ut Mundum judicet, ſive omnes impios & feroces peccatores, qui volunt θεομαχεῖν. Hinc Chriſtus inquit *Matth. 28. v.18.* Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & terrâ. Et Abrahamus Filium Dei Sodomam & Gomorrham vaſtaturum judicem totius Mundi appellavit, *Gen. 18. v. 25.*

II. IN REGNO GRATIÆ.

Hoc Judicium adminiſtratur in Eccleſiâ militante eſtque *duplex:* 1. *Redemtionis.* 2. *Sanctificationis.*

1. *Judicium Redemtionis* eſt, quo Chriſtus omnes humani generis hoſtes, nempe Diabolum, mortem, peccatum, Mundum atqve infernum judicavit. De hoc inquit Chriſtus ipſe *Joh. 12. v.31.* & *Joh.16. v. 11.* Conf. *Apoc. 12. v. 9.*

2. *Judicium Sanctificationis* eſt, quo Chriſtus Rex Eccleſiæ atqve Judex vel Legifer noſter, *Eſa. 33. v. 22.* per ſceptrum Regni ſui, quod emittit ex Sion, dominatur in medio inimicorum, *Pſal. 110. v. 2.* & judicat inter gentes, h. e. paſſim inter gentes conſtituet regnum ſuum, & continebit omnes hujus Regni cives ſuo imperio. Ubi verbum judicandi complectitur omnia juſti Judicis officia. Judicabit autem arguendo peccata, dando remiſſionem peccatorum, converſos ſalvando, & defendendo adverſus hoſtes. *Eſa. 42. v. 1.* inquit Deus Pater de Chriſto: Ecce Servus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo beneplacuit ſibi anima mea: ponam Spiritum meum ſuper illum, & judicium Gentibus annunciabit.

Hoc judicium Sanctificationis *triplicem Gradum* complectitur:

I. *Ratione* ORTUS *vocationem.* Nam Chriſtus Rex & Judex Eccleſiæ omnes homines ad communionem Regni ſui vocat, & judicium, quod contra hoſtes ſpirituales inſtituit, *Joh. 12. v.31.* | *Apoc. 12. v. 9.* hominibus annunciat, ſicut ipſe ex ore Dei Patris Locum illum *Eſa. 42. v. 1.* repetit, & de ſe explicat, *Matth. 12. v. 18.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Ratione Progreſſus* continet *duplicem Actum*:

1. *Legalem.* Sic omnes homines coram tribunali Dei voce Legis 1. accuſantur, *Rom.3.v.19.* 2. Examinantur. 3. Rei arguuntur, *Rom. 3. v. 9.* & ſub peccatum concluduntur, *Rom. 11. v.32.*

2. *Evangelicum.* Sic Chriſtus omnibus peccatoribus reſipiſcentibus & peccata ſua agnoſcentibus gratiam ſuam offert, juxta illud ſuaviſſimum Chriſti effatum, *Matth. 11. v.28.* Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis: Ego refocillabo vos.

III. *Ratione Egreſſus* continet Judicium *abſolutionis* & *Condemnationis.*

1. *Judicium abſolutionis* eſt, quo credentes remiſſis peccatis in gratiam recipit, & gratis Dei gratiâ per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JEſu, juſtificat, *Rom. 3.v. 24.* Huc referri poteſt elegans locus, *Oſeæ 2. v. 19. 20.*

2. *Judicium condemnationis* eſt, quo Chriſtus incredulos propter incredulitatem judicat & condemnat, *Joh.3.v.18.* Unde impii dicuntur venire in judicium, *Joh.5.v.29.* ſed non conſiſtere in judicio, *Pſal. 1. v.5.*

III. IN REGNO GLORIÆ.

Hoc judicium adminiſtrabit Chriſtus Judex à Deo conſtitutus in extremo judicio: Illud autem reſpicit *Judicandorum* I. *Quantitatem.* Sic omnes homines concernit. Quia Chriſtus & Judex vivorum & mortuorum, *Act. 10.v.42.* Sicut etiam in Symbolo Apoſtolico confitemur. Chriſtus orbem terrarum judicabit, *Act. 17.v.31.* Confer. *Eſa. 45.v.24. Rom. 14.v.7.9. 2. Cor. 5.v.10.*

II. *Qualitatem* & ſic Judex eſt 1. *Electorum*, *Matth. 25.v.34. 2. Tim. 4.v.7.* inquit Paulus: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: quod ſupereſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui eſt juſtus Judex.

2. *Reproborum*, *Matth. 25.v. 41.*

Hîc autem notandum, *quod* adminiſtratio extremi Judicii *dupliciter* conſideretur:

I. Κοινῶς, h.e. *communiter*, & ſic tribuitur toti SS. Trinitati, eidemque æqualiter competit. 1. *Deo Patri*, *Dan. 7. v. 9. Act. 17. v. 31.* 2. *Deo Filio* ſecundum Deitatem conſiderato, *Gen. 18. v. 25. Eſa. 45. v. 23.* 3. *Spiritui S.* qui *Eſa. 4. v. 4.* SPIRITUS JUDICII appellatur, *Luth.* der Geiſt/ der richten wird.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. Adminiſtratio extremi Judicii conſideratur ἰδίως, h. e. *ſingulariter*, nempè quatenus eſt externum, viſibile, omnibusq; hominibus conſpicuum, & ſic ſoli Chriſto θεανθρώπῳ tribuitur. Ipſe namque 1. ἀμέσως ſive in propria perſonâ. 2. αὐτοκρατορικῶς, h. e. omnipotenter, & 3. ὁρατῶς, h. e. viſibiliter judicium extremum patet, id quod ex ſequentibus Scripturæ dictis patet. *Act. 10. v. 42. cap. 17. v. 31. Dan. 7. v. 13. Matth. 24. v. 30. cap. 25. Joh. 5. v. 27. Phil. 2. v. 9. 1. Tim. 3. 16. 2. Tim. 4. v. 1. &c.*

§. 86. APPLICATIO.

Hinc jam patet, quod inter loca allegata nulla ſit ἀντιλογία. Nam quando Chriſtus *Joh. 8. v. 15.* inquit, ſe non judicare quenquam; hoc non intelligendum eſt *in ſenſu abſoluto*, quia ex dictis contrarium patet. Verùm *in ſenſu comparativo*. Quod ut melius intelligatur, diſtinguendum eſt inter Judicium *carnale* & *ſpirituale*. In *v. 15.* loci prioris loquitur Chriſtus *de Judicio carnali*, quando inquit: Ego non judico quenquam. Nam immediatè præcedunt hæc verba: Vos ſecundum carnem judicatis, nempe de me & meo officio, h. e. temerè & ſecundum rationis veſtræ judicium, & juxta oculorum aſpectum. At quando Chriſtus *v. 16.* inquit: Quod ſi etiam JUDICEM EGO, JUDICIUM MEUM VERUM EST. (Item *Joh. 9. v. 39.* In Judicium ego in hunc mundum veni, & *Joh. cap. 5. v. 22.* Pater OMNE Judicium dedit Filio.) loquitur de *judicio ſpirituali*, quod de ſeipſo, ſuoque officio & doctrina fert in regno gratiæ: deinde de judicio ſuo in Regno gloriæ, quod aliàs univerſale & noviſſimum appellatur.

§. 87. ANTILOGIA XI.

Job. 11. v. 8. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno & unde cognoſces? Longior terra eſt menſura ejus & latior mari.

3. Reg. 8. v. 27. Cœlum & cœli cœlorum Deum non capiunt.

Matth. 6. v. 9. Pater noſter, qui es in cœlis.

DUBIUM.

In *locis prioribus* Deus in cœlo eſſe negatur, in *loco poſtremo* affirmatur. Unde cùm *Conrad Vorſtius* Calviniano-Phot. infert, Deum infinitum non eſſe: Argumentum ipſius hoc eſt: Quodcunque eſt in cœlo, & in cœlo tanquam in habitaculo habitat, illud non eſt infinitum.

Atqui Deus in cœlo tanquam in habitaculo habitat: Siquidem in oratione Dominica oramus: Pater noſter, qui es in cœlis: Unde tacito

naturæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

naturæ, & omnium populorum conſenſu in precibus noſtris mentem ad cœlum elevamus.

Ergò Deus non eſt infinitus.

CONCILIATIO.

Cœlum, in quo Deus habitare dicitur, *dupliciter* in Sacris accipitur: I. *Pro throno creato.* II. *Pro throno increato.*

Primò: In throno creato Deus non habitat *ſimpliciter* & abſolutè, quaſi eidem includatur, ſicuti intelligit Vorſtius: quia ſic Deus loco incluſus eſſet, & non ubique præſens adeſſet, quod falſiſſimum: Contrarium enim locus primus & ſecundus allegatus teſtantur. Et hac ratione ſequeretur, quod aves melioris eſſent conditionis, quam nos Chriſtiani, quippe quarum vita Deo vicinior eſſet, uti rectè monet *D. Auguſt. lib. 2. Serm. in Domini Monte.*

Sed dicitur Deus *in Throno creato habitare* συγκριτικῶς, h. e. *comparatè*, idqve *duobus* modis.

I. *Ratione* φανερώσεως, h. e. *manifeſtationis divinæ* ſuæ operationis, quia Deus in cœlo creato potentiam & majeſtatem ſuam excellentiùs exſerit, & per cœleſtium corporum motum, lucem & virtutem influentem ſublunaria manifeſtiùs regit: Ibi enim res maximè eſſe dicitur, ubi manifeſtiùs operari conſpicitur: non ſecus atqui *anima hominis* eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte ratione Eſſentiæ ſuæ, nihilominus tamen ratione virtutis & operationis in capite maximè eſſe dicitur, quia in eodem ſenſibilius operatur, vid. *Aug. epiſt. 56. ad Dardanum.*

II. *Ratione* συγκαταβάσεως, h. e. *ratione informationis.* Propterea enim in cœlis creatis eſſe dicitur, ut manifeſtiſſimum inter Regum mundanorum & Regis cœleſtis ſolium diſcrimen monſtraretur. Sicut enim illi inter ſubditos ſuos altiorem & eminentiorem occupant locum, ut omnibus ſint conſpicui & venerabiles: Ita quoque Deus in cœlo creato tanquam in loco maximè omnium inter corpora creata conſpicuo ac *Throno* habitare dicitur, ut omnes creaturæ ad illum oculos ſuos dirigere, illumque tanquam omnibus Regibus terrenis & mundanis ſuperiorem & eminentiorem colere & venerari queant.

Secundò: Quando Deus dicitur habitare *in cœlo* tanquam *in Throno increato*, tum cœlum Dei nihil aliud eſt, quàm divina poteſtas, infinita majeſtas, & ſempiterna gloria: Et hoc modo Deus in cœlis dicitur habitare, h. e. ubiqve præſens eſſe, ſicut hanc phraſin *Phil. Melancht. in Locis communibus* interpretatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Locus IV.
De
DEO PATRE ET FILIO.
§. 88. Antilogia I.

JOh. 17. v. 3. Pater Solus vocatur verus Deus à Chriſto, quando inquit: Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Filium ejus.

1. Joh. 5. 20. Filius etiam vocatur verus Deus.

Conciliatio 1. Generalis.

I. Notandum, quod Deus verus ita dicatur duobus modis: 1. καθ' ἔσω, h. e. ad intra. 2. καθ' ἔξω, h. e. ad extra.

Primò: καθ' ἔσω verus Deus dicitur *triplici reſpectu:*

1. οὐσιωδῶς, h. e. *ratione Eſſentiæ* ſuæ, quâ verè eſt, & verè talis eſt, qualis eſſe dicitur. Sicut enim falſum eſt, quod videtur eſſe & non eſt: Ita verum eſt, quod verè eſt. Quia autem Eſſentia Dei verè eſt, ideò propriiſſimè veritas, *1. Joh. 5. v. 6.* & Deus, quia verè eſt, verus appellatur.
2. ὑποστατικῶς, h. e. *ratione Perſonarum:* Sicut enim Deus reſpectu eſſentiæ eſt verè unus; ita quoque reſpectu Perſonarum verè eſt trinus. Unde Pater, Filius & Spiritus S. unum & tres dicuntur. Unum reſp. Eſſentiæ, tres verò ratione Perſonarum.
3. ἐνεργητικῶς, h. e. *ratione operum* internorum tum *Perſonalium*, tum *Eſſentialium.*

Ratione operum Perſonalium Deus eſt verus Deus, quia Deus Pater verè genuit Filium: Filius verè genitus eſt à Patre: & uterque verè ſpiravit Spiritum ſanctum ab omni æternitate: Et Spiritus S. verè procedit ab utroque.

Ratione operum Eſſentialium Deus eſt verus Deus. Quia omnia decreta ejus ab æterno facta, ſunt vera, omniſq; falſitatis experta.

Secundò: καθ' ἔξω, h. e. ad extra Deus verus eſt Deus duobus modis:

1. ῥηματικῶς, h. e. *ratione dictorum.* Quia omnes promiſſiones Dei & comminationes ſunt veriſſimæ, *Pſal. 12. v. 7. Pſal. 19. v. 9. Pſal. 100. v. ult. Deut. 22. v. 4.*
2. πραγματικῶς, h. e. *ratione factorum*, quorum reſp. Deus verus & verax dicitur, quia ab omni ſimulatione & figmento alienus eſt, *Apoc. 15. v. 3. & cap. 17. v. 7.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. Ex fidei *ἀναλογίᾳ* conſtat, quod particulæ excluſivæ (videlicet unus & ſolus) quando de Deo Patre uſurpantur, non perſonis reliquis in Trinitate, ſed idolis & creaturis, quæ ſunt extra Trinitatem, ſint opponendæ, uti etiam *Cyrillus*, aliiqve Theologi enunciant.

§. 89. SPECIALIS de Loco Joh. 17.

In Loco *Joh. 17.* Phot. Elenchum συνθέσεως καὶ διαιρέσεως committunt. Nam particula excluſiva *Solus* non ad ſubjectum, ſicut illi volunt, ſed *ad prædicatum* referenda eſt. Ordo igitur συντάξεως hic eſt: Ἄυτη δὲ ἐστὶ ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, h. e. Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te, & qvem miſiſti, JEſum Chriſtum eſſe ſolum illum verum DEum.

Probatio.

Probatio hujus Explicationis gemina eſt: 1. *Gmmmatica.* 2. *Theologica.*

I. *Grammatica Probatio* deſumitur ex emphatica particularum Syncategerematicarum Significatione. Etenim Artic. τὸν, & particula excluſiva μόνον, non *ſubjecto* (σε, te) ſed *prædicato* (ἀληθινὸν θεὸν, h. e. verum DEum) præfiguntur. Imprimis autem de Articulis, quando prædicato præponuntur (quod apud Græcos raro fit, ſicut etiam apud Germanos, Italos & Gallos) notandum eſt, quod non tantùm ἐνύπαρξιν prædicati in ſubjecto, ſed ἔμφασιν καὶ διάκρισιν, imò etiam reciprocationem terminorum ſignificent.

II. *Theologica probatio* deſumitur PRIMO: *Ex Agnitionis Patris & Filii identitate.* Quorum eſt una πνευματικὴ καὶ θεϊκὴ γνῶσις: illorum eſt una θεϊκὴ φύσις: quia cognitionis identitas Eſſentiæ identitatem præſupponit. At Patris & Filii eſt una πνευματικὴ καὶ θεϊκὴ γνῶσις. ἔυδηλον ex textu.

Ergò illorum eſt una θεϊκὴ φύσις.

SECUNDO: *Ex effectorum hujus cognitionis unitate & qualitate.* Quorum cognitio & notitia ad vitam æternam neceſſaria eſt, vel in quorum notitia vita æterna conſiſtit, illorum una eſſentia, unaqve potentia divina ſit neceſſe eſt: Quia nemo niſi *ſolus* verus DEus vitam æternam largiri poteſt, *1. Reg. 8. v. 23.* Jam verò non tantùm Patris, ſed etiam Filii cognitio ad vitam æternam requiritur. E. non tantùm Pater, ſed etiam Filius verus DEus erit.

TERTIO reſpondeo *per Conceſſionem.* Si maximè Photinianis concederemus, particulas haſce Syncategorematicas ad Subjectum eſſe referendas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

rendas, tamen ne ſic quidem quicquam obtinere poſſent: Sic enim talis συντάξεως ordo foret: Hæc eſt vita æterna, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, h. e. ut te ſolum verum Deum eſſe agnoſcant, & quem miſiſti, JEſum Chriſtum. Nam ſic excluderentur perſonæ reliquæ, quæ Patri ſunt ὁμοούσιοι, & per quas Pater agit & operatur (hoc ipſum enim cum aliis Scripturæ Locis & manifeſtis è diametro pugnaret) ſed creaturæ duntaxat, & commentitia numina excluderentur.

Exempli gratiâ.

1. Tim. 6. v. 15. Pater ſolus dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium; neque tamen Filius à communione tituli illius excluditur, quippe qui diſertè & exertè Rex Regum & Dominus Dominantium appellatur, *Apoc. 19. v. 16.* Item *1. Cor. 8. v. 6.* Filius Dei expreſsè dicitur Dominus, & quidem ſolus dicitur Dominus: quâ excluſivâ Pater non excluditur, quia ipſe alio in loco Dominus Dominorum dicitur. Ita ſi vel maximè ſolus Pater diceretur verus DEus, non tamen excluderetur Filius; quia *1. Joh. 5. v. 20.* diſertè ἀληθινὸς Θεὸς, h. e. verus DEus appellatur.

Malè igitur Adverſarii ea, quæ ſunt ὑπάλληλα & ſubordinata, opponunt, quaſi eſſent contraria; & fidei regulam accipiunt in ſenſu ſemipleno vel particulari, quam accipere debebant in ſenſu pleno & totali.

§. 90. ANTILOGIA II.

JOh. 10. v. 30. Ego & Pater unum ſumus.

Joh. 17. v. 22. Ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.

DUBIUM.

Ex Loco *Joh. 17. Photiniani* in *Catech. Rak. pag. 121.* ita argumentantur: Quomodo fideles ſunt unum inter ſe: Ita Pater & Filius ſunt unum. Propoſitio hæc eſt Chriſti. Atqui fideles inter ſe unum ſunt conſenſu, corde & affectu, *Act. 4. v. 32. Rom. 12. v. 16.* Ergò & talis eſt Patris & Filii unitas, non verò eſſentialis, uti Trinitarii volunt.

℞. I. Nos diſtingvimus inter Loca Scripturæ *primaria* & *ſecundaria.* Locus *Joh. 10.* de Unitate Eſſentiali inter Patrem & Filium primariò agit, uti patet:

1. Ex operationis identitate. 2. Ex Judæorum reſponſione, eaqve tum reali, tum verbali. 3. Ex Chriſti approbatione. 4. Ex Chriſti explicatione. Quare Locus *Joh. 17.* qui ſecundarius eſt, ex loco *Joh. 10.* explicandus eſt.

II. *Locus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Locus prior:* Ego & Pater unum ſumus, ἕν ἐσμὲν; breviter explicatur hac voce, quod Pater & Filius ſint ὁμοούσιοι. Non enim ſunt 1. ἑτεροούσιοι alterius ſeu diverſæ eſſentiæ: ſiqvidem voluntas & eſſentia in Deo unum ſunt, & per eſſentiæ unitatem unum volunt, & unum poſſunt, quod non habet locum in humanis. Nec 2. Pater & Filius ſunt συνούσιοι (ſicut homines, qui habent unam communem eſſentiam) Nec 3. tantùm ὁμοιούσιοι, ſed 4. ſunt ὁμοούσιοι, ſicuti Concilium Nicænum adverſus Arium definivit. Vox ὁμοούσιος, autem eſſentiæ unitatem denotat, h. e. unam eſſentiam, unam voluntatem, unam æternitatem, communem operationem, potentiam & gloriam tribus perſonis Trinitatis communem.

Athanaſ. in lib. de decret. Synod. Nic. dicit: Arianos omnes alias voces toleráſſe, præter iſtam, quia omnes alias poterant trahere ad ſuum ſenſum.

Ambroſ. 3. de fide cap. 7. inquit: hoc verbo perſonarum diſtinctionem & eſſentiæ unitatem ſignificari.

III. Ad Locum *Joh. 17.* dicimus, quod verba Chriſti ſint συγκριτικὰ, h. e. *comparativa*, quæ dupliciter ſunt explicanda: ὁλικῶς καὶ μερικῶς, h. e. totaliter & partialiter.

Quod *Comparationem* ὁλικῶς & totaliter conſideratam attinet, dicimus, quod Comparatio illa non ſit ἰσότητος, h. e. paritatis vel æqualitatis: Sed ὁμοιότητος, h. e. ſimilitudinis. Jam verò notum eſt *Axioma Logicum:* Simile non eſt idem. *Item:* Omnis ſimilitudo claudicat. Neqve particula καθῶς, h. e. SICUT, nobis contrariatur: Hæc enim non ſemper ἰσότητα, ſed ſæpe ὁμοιότητα notat. Nam *Lev. 11. v. 44.* DEus mandat, ut ſimus ſancti, *ſicut* ipſe ſanctus eſt, *Matth. 5. v. 48.* ut ſimus perfecti, *ſicut* ipſe perfectus eſt, *Luc. 6. v. 36.* ut ſimus miſericordes, *ſicut* ipſe miſericors eſt. Neqve tamen hinc inferri poteſt, quod eadem ſit ratio ſanctitatis, perfectionis & miſericordiæ in nobis & in Deo. Nam ſanctitas, perfectio & miſericordia in nobis eſt *accidentalis;* in Deo autem non eſt *accidentalis* ſed *eſſentialis*. Quare hujusmodi comparationes ſecundum Scripturæ declarationem & fidei analogiam ſunt explicandæ. Ideò enim Dei miſericordia nobis imitanda proponitur, ut moneamur, dilectionem noſtram non debere eſſe fucatam, ſed veram & ſinceram, neque verbis ſolùm, ſed etiam factis erga proximum exercendam, neque in operibus miſericordiæ & charitatis debere nos defatigari, ſed conſtantes eſſe &c. Eodem modo quoque præſens Locus ſecundum fidei analogiam eſt explicandus.

Deinde quod præſentem comparationem μερικῶς & ſecundum membra conſideratam attinet, dicimus, quod Photiniani *Terminum à quo*, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Terminum ad quem hujus comparationis confundunt. Nam in verbis Chriſti terminus *à quo* eſt Unitas Patris & Filii: Terminus *ad quem* eſt credentium inter ſe. At Photiniani membra hæc comparationis invertunt & pervertunt, dum ex termino *ad quem* faciunt terminum *à quo:* Quæ corruptela ex textus litera eſt clara & manifeſta.

IV. Sed ſi retineamus argumentum Photinianorum, illud ad abſurdum ita redigimus: Si valet hoc argumentum Photinianorum: Quo modo fideles inter ſe ſunt unum: Ita etiam Pater & Filius ſunt unum inter ſe. Jam verò Fideles ſunt unum inter ſe conſenſu, corde & affectu: Ergò etiam Pater & Filius in divinitate eodem modo unum ſunt. Nos pariter ita argumentamus: Quo modo nos ſumus electi, perfecti, miſericordes, eo quoq; modo DEus eſt ſanctus, perfectus & miſericors. Ratio hæc eſt: Quia jubemur eſſe ſancti, perfecti, miſericordes, ſicut DEus noſter ſanctus, perfectus & miſericors eſt. Atqui nos ſumus ſancti, perfecti, miſericordes accidentaliter, finitè, variabiliter & mutabiliter: Ergò etiam DEus eſt ſanctus, perfectus, miſericors, accidentaliter, finitè, variabiliter & mutabiliter. At Concluſio eſt abſurda: Ergò ex præmiſſis una: Non minor, quippe quæ fidei analogiæ ad amuſſim eſt conſona: Ergò major, quæ eſt Photinianorum.

V. Reſpondemus argumentum propoſitum ita corrigendo: Propoſitio, *quo modo* fideles unum ſint inter ſe, *eo modo* Pater & Filius unum ſunt inter ſe, vera eſt, non in ſenſu totali, ſed partiali. Licèt enim Chriſtus Patrem ſuum roget, ut credentes unum ſint inter ſe unitate cordis, conſenſus & affectus (quæ unitas πνευματικὴ dici poteſt, quâ ipſi fide in Chriſtum unum ſunt cum Chriſto & inter ſe) non tamen hinc inferri poteſt, quod Chriſtus reliquos unitatis & conjunctionis, qui inter ipſos ſunt, modos, prorſus voluerit excluſos, quales ſunt:

1. *Unitas* φυσικὴ ſive *naturalis*, quâ omnes homines propter ejuſdem naturæ humanæ κοινωνίαν homines ſunt, & dicuntur, eademqve hominis definitione gaudent.

2. *Unitas* ἠθικὴ, h. e. *moralis*, quâ omnes propter conjunctionem moralem, officiorumqve communicationem & amicitiam unum fiunt moraliter.

3. *Unitas* πολιτικὴ, h. e. *civilis*, quâ omnes homines in ſocietate viventes humanâ: & eodem jure naturæ, aëre & igni utentes fruentes, membra humanæ ſocietatis fiunt, quia homo naturâ animal politicum eſt.

4 *Unitas* συζυγητικὴ, h. e. *conjugativa*, quâ fiunt unum conjugio vel matrimonio. Eandem planè fallaciam *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* committunt Adverſarii, quando ita argutantur: Chriſtus orat, ut cre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ut credentes ſint unum: Sicut ipſe & Pater unum ſunt. Ergò Pater & Filius tantùm unum ſunt voluntatis conſenſione & non eſſentia. Licèt enim Chriſtus oret, ut credentes ſint unum ratione conſenſus & voluntatis; ſicut ipſe & Pater unum ſunt: hinc tamen concludi non poteſt, non eſſe aliam eamqve eminentiorem & arctiorem Unitatem & conjunctionem inter Patrem & Filium: quâm credentium inter ſe: vel credentium cum Deo. Siquidem unitas voluntatis in Patre & Filio tantùm abeſt, ut eſſentiæ unitatem excludat; ut eam potius præſupponat, quia ab ea dependet. Siquidem voluntas & eſſentia in DEO τὸ ἕν, h. e. unum ſunt. Confer *Cyrill. Alexand. lib. 11. Comment. in Evang. Joh. cap. 26.*

Locus V.
De
SPIRITU SANCTO.

§. 91. Antilogia I.

G*En. 1. v. 2.* Spiritus Elohim vehebatur ſuper aquas.
Joh. 7. v. 39. Spiritus S. nondum erat.

Dubium.

Inter hæc Loca aperta videtur eſſe pugna. Nam *Gen. 1.* dicitur, quod Spiritus S. in primæva hominum creatione incubaverit aquis: In poſteriori verò dicitur, quod ante Chriſti glorificationem Spiritus S. nondum fuerit.

Conciliatio
DE LOCO PRIORI.

Loci *Gen. 1.* variæ ſunt explicationes: 1. Judæi, Theodoretus & Enjedinus intelligunt eum de vento. Sed hæc ſententia manifeſtè falſa eſt, quia ventus nondum erat. 2. Alii explicant de aëre: ſed & hæc opinio falſa, quia neqve aër tum erat. 3. *Fr. Valleſius in S. Philoſophia* accipit de Elemento ignis. 4. *Cajetanus* Cardinalis exponit de Angelis. Sed uterqve ἄτερ τῶν γραφῶν. 5. *Chryſoſt. Auguſt.* & *Calvinus* accipiunt de vivifica Dei virtute: ſed nec hæc ſententia ſtare poteſt, uti ex dicendis patebit. 6. Nos igitur cum orthodoxis Theologis dicimus locum hunc præſentem de ipſâ Spiritus S. Perſona intelligendum eſſe: Quia

1. dicitur Spiritus *Elohim*, h. e. Patris & Filii Spiritus.

2. Dicitur *incubuiſſe aquis.* In Heb. eſt vox מְרַחֶפֶת *Merachepheth*, LXX. ἐπεφέρετο ἐπάνω τῆς ὕδατος. Latini ferè omnes reddiderunt: Superferebatur aquis. *Luth.* Schwebet auff dem Waſſer. Quo vocabulo admodum emphatico efficax Spiritus S. virtus & operatio deſcribitur. Unde *Syrus* quidam inquit: Vocem hîc poſitam ſignificare idem quod fovere vitali calore, ſicut avis incubans fovet ova. Nam vox מְרַחֶפֶת teſte *Baſilio*, *Diodoro* & *Hieronymo in quæſt. hebraic. in Geneſin*, eſt volucrum, dum ſuper ova & pullos quaſi pendulæ leniter agitatione alarum ſe librant, motitant & volitant, iisque deinde incubant, calorem aſpirant, fovent & animant. Pari modo Spiritus S. ſuperferebatur aquis, non loco aut motu, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentia, ſicut ſuperfertur rebus fabricandis voluntas & idea artificis, inquit *Auguſt. lib. 1. de Geneſi ad lit. cap. 7.* Hâc ergò voluntate & potentia ſua, cum aura calida, quam à ſe ſpargebat, aquis quaſi incubabat Spiritus S. eisq; vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, piſces & germina, imò cœli omnes ex aquis producerentur. Hæc autem operatio neqve vento, neque Aëri, Igni, vel Angelis tribui poteſt, ſed ſoli Spiritui S. tanquam omnium rerum Creatori & Conſervatori competit. Ergò per vocem Spiritus *Elohim* hoc loco Spiritus S. tertia SS. Trinitatis Perſona eſt intelligenda. Hinc rectè *Targ.* Jonathæ & Hieroſolymitanum reddiderunt: Spiritus Miſericordiarum à facie Jehovæ requieſcebat ſuper aquis, id quod de Spiritu creato vel vento intelligi nequit. *Rabbi Salomon* ita explicat: Spiritus oris Domini incubabat ſuper faciem aquarum ſicut columba incubat ſuper nidum.

N O T A.

Vocabulum (Superſerebatur) quod in vulgata verſione habetur, non accipiendum παθητικῶς, ſed ἐνεργητικῶς, h. e. non paſſivè, ſed activè. Id quod *Aug. de Gen. ad Lit.* verbis emphaticis exprimit, quando inquit: Non ita ſuperferebatur ſicut *Oleum* aquæ, vel aqua terræ, quaſi contineretur, nec quaſi locorum ſpatiis Dei Spiritum ſuperferri materiæ putemus: ſed vi quâdam effectoriâ & fabricatoria, ut illud, cui ſuperfertur, efficiatur & fabricetur.

DE LOCO POSTERIORI.

In explicatione loci poſterioris tria ſunt notanda: 1. *Diſtinctio.* 2. *Applicatio*, & 3. *Approbatio.*

I. *Diſtinctio:* Vox Spiritus quando θεικῶς uſurpatur, tunc accipitur dupliciter: 1. Κυρίως. 2. Μετωνυμικῶς.

1. Κυρίως, idque rurſus duobus modis: *Primò:* οὐσιωδῶς & ſic ſignificat Deum Eſſentialiter ſic dictum, ut *Joh.4.v.24.* Deus eſt Spiritus. *Secundò* ὑποστατικῶς, h. e. ſignificat tertiam Perſonam Trinitatis, quæ Spiritus S. appellatur, *Act.5. v.4. 1. Cor.12.v.6.*
2. Μετωνυμικῶς ſignificat dona & χαρίσματα Spiritus Sancti, eaque tum inviſibilia, ut *1. Cor. 12.v.7.* tum viſibilia, ut *Joh.7.v.38.*

II. *Applicatio*: Hæc diſtinctio ad præſentem locum accomodatur vel κατ' ἄρσιν, vel κατὰ θέσιν.

Κατ' ἄρσιν: Et ſic non accipitur vox Spiritus h. l. ὑποστατικῶς, pro Perſona Spiritus S. uti patet tum *ex hiſtoria Mundi creati:* Cum enim Deus Mundum crearet, Spiritus S. jam exiſtebat, & aquis incumbebat, uti in explicatione loci præcedentis demonſtravimus: tum ex *hiſtoria Chriſti baptizati*, ubi Spiritus S. in viſibili ſpecie columbæ ſuper Chriſtum deſcendiſſe, ſuperqve eum manſiſſe legitur *Matth.3.v.16.* & teſtatur hoc ipſe Johannes Baptiſta, *Joh.1.v.32.* qui Spiritum S. in viſibili ſpecie columbæ à ſe viſum eſſe dicit. Conf. *2. Sam.23.v.2. 1. Petr.1 v.11. & 2. Petr.1.v.21.* Ergò Locus ille *Joh.17.* de perſonâ Spiritus S. nullo modo accipi poteſt. Hûc commodiſſimè referri poteſt *regula Theologorum*, quæ talis eſt: Ubicunqve talia de Spiritu S. prædicantur attributa, quæ perſonæ ejus non conveniunt, & in naturam divinam minimè cadunt, illa de Perſona Spiritus S. intelligi non poſſunt. Sic cum *Joh.7.v.39.* dicitur: Spiritus S. nondum erat (τὸ nondum erat) æternitati Spiritus S. è diametro repugnat, uti patet ex dictis.

Κατὰ θέσιν: Sed vox Spiritus μετωνυμικῶς accipitur hoc loco de mirandâ illâ miſſione Spiritus S. in feſto Pentecoſtes facta, deque viſibilibus & miraculoſis Spiritus S. donis, quæ ſuper Apoſtolos & fideles poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem ſunt effuſa, *Act.1.v.2. cap.7. v.4.*

III. *Probatio:* Probatio hujus explicationis dari poteſt *duplex*: 1. deſumitur *ex loco præſenti.* 2. deſumitur *ex complemento.*

1. *Probatio ex loco præſenti* eſt *gemina*:

Prima deſumitur *ex Articuli omiſſione.* Quia vox πνεύματος in Græco textu ponitur ſine Articulo hoc modo: οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Hûc pertinet elegans regula *Didymi Alexandrini*: Apoſtoli quando intelligi volunt perſonam Spiritus S. plerumque vel addunt Epitheton ἅγιον, vel Art. τὸ πνεῦμα. Sed quando abſque Art. ponunt, non ipſam perſonam, ſed dona Spiritus S. ſignificant. Fundamentum hujus regulæ extat in eleganti loco *Joh.3.v.6.* γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν. Hîc in *priori* membro additus eſt Art. in *poſteriori* verò omiſſus; Ergo ibi per-

ſona Spiritus S. intelligitur, hîc non item. Idem etiam de loco præſenti judicium eſto. Notandum tamen, quod Regula illa Didymi non abſolutè ſit generalis, quia exempla contraria in Scriptura inveniuntur.

Secunda deſumitur *ex Circumſtantiarum textus conſideratione.* Hanc explicationem verba textus præcedentia manifeſtè inſinuant, *v.36.37.* Stabat JEſus & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me &c. Unde Spiritus S. aquæ ſæpiſſimè tum in V. tum in N. T. comparatur. Vide inſignem locum *Apoc. 22. v. 1.* Et oſtendit mihi purum fluvium aquæ vivæ, ſplendidum, tanquam Chryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. Quem Locum de Spiritu S. accipiendum eſſe ex collatione cum loco præſente patet.

2. *Ex complemento:* quod exſtat *Actor. 2. v. 4.* ubi legitur, quod repleti ſint omnes Spiritu S. cœperintqve novis linguis loqui, prout Spiritus ille dabat eloqui illis.

Notandum autem hîc diligenter eſt, quod per vocem Spiritus S. *Joh. 7.* non inviſibilia tantùm, ſed viſibilia Spiritus S. dona intelligantur, uti ex hiſtoria *Act. 2. cap.* ſcripta patet.

§ 92. ANTILOGIA II.

1. *Cor. 12. v. 4.* Diviſiones donorum ſunt, ſed idem eſt Spiritus. *v. 11.* Omnia hoc efficit unus & idem Spiritus dividens peculiariter unicuique, ſicut vult.

Apoc. 1. v. 4. Johannes Apoſtolus ſeptem Eccleſiis pacem precatur à ſeptem Spiritibus.

CONCILIATIO.

Nulla hîc eſt pugna. Nam *Locus prior* accipitur κυρίως, h. e. propriis verbis: *poſterior* verò μετωνυμικῶς, h. e. figuratè.

In priori enim *Loco* Unitas tum Eſſentiæ tum Subſtantiæ Spiritus S. pulchrè inſinuatur κυρίως ſive propriis verbis. Quia Spiritus S. unus & idem χαρίσμασι, h. e. donis diverſis & numero diſtinctis opponitur. Quando enim *v. 4.* dicitur διαιρέσεις χαρισμάτων, h. e. diviſiones donorum ſunt, notandum eſt, quod dona Spiritus S. dicantur diviſiones non tàm à diſtribuendo quàm differendo. Quia dona ſunt diverſiſſima. Ponuntur igitur diviſiones donorum pro diverſis donis. Hiſce autem diverſis donis Spiritus ratione Eſſentiæ & ſubſtantiæ unus & idem opponitur. Unde hæ formulæ emphaticæ in textu leguntur: τὸ αὐτὸ πνεῦμα, h. e.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

h. e. idem Spiritus, *v. 4.* ὁ αὐτὸς κύριος, idem Dominus, *v. 5.* ὁ αὐτὸς Θεὸς, idem Deus, *v. 6.* κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, h. e. ſecundum eundem Spiritum, *v. 9.* ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, h. e. per eundem Spiritum. Et denique *v. 11.* ſubjungitur: πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, h. e. Omnia verò hæc efficit unus ille & idem Spiritus, dividens peculiariter unicuique, ſicult vult.

In poſteriori verò *Loco* Spiritus S. deſcribitur non κυρίως, reſp. Eſſentiæ aut Perſonæ, ſed μετονυμικῶς, ratione ἐνεργημάτων καὶ χαρισμάτων. Quia in communicatione χαρισμάτων & donorum in ſeptem illas Eccleſias Spiritus S. tam perfectè dona conferebat non ſecus, ac ſi totidem fuiſſent Spiritus, perfectè in ſua quisqve Eccleſiâ operantes. Numerus enim ſeptenarius eſt ſignum perfectionis, h. e. multitudinem & copiam deſignat. Unde tum in V. tum in N. Teſtam. eſt freqventiſſimus: imprimis autem Johannes in Apocalypſi multum celebrat numerum ſeptenarium, nominans ſeptem Eccleſias, *Apoc. 1. v. 4. & 11.* ſeptem Candelabra, *cap. 1. v. 12.* ſeptem Spiritus, *cap. 1. v. 4.* ſeptem Stellas, *c. 1. v. 16.* ſeptem Lampades, *c. 4. v. 5.* ſeptem ſignacula, *c. 5. v. 5.* ſeptem cornua, *c. 5. v. 7.* ſeptem oculos, *c. 5. v. 6.* ſeptem Angelos, *c. 8. v. 2.* ſeptem tubas, *ibid.* ſeptem tonitrua, *c. 10. v. 3.* ſeptem millia, *c. 11. v. 13.* ſeptem diademata, *c. 12. v. 3* ſeptem capita, *c. 13. v. 1.* & *c. 17. v. 3.* ſeptem plagas, *c. 15. v. 7.* ſeptem phialas, *c. 16. v. 1.* & *c. 17. v. 1.* ſeptem Reges, *c. 17. v. 9.*

Unde *D. Auguſtinus* de numero ſeptenario rectè inquit: Septenarius numerus ad Unitatem Eccleſiarum refertur, & ad quandam perfectionem myſticus videtur apparere.. Solet enim pro univerſo poni, ſicut in Evangelio dictum eſt. Accipiet in ſeculo hoc ſepties tantùm, ac ſi diceret: Quaſi nihil habentes & omnia poſſidentes. Hinc etiam Johannes Theologus ad VII. Eccleſias loqvitur, quæ utiqve univerſalis Eccleſiæ perſonam gerunt.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Errant igitur *Beza*, *Pontificii* & alii, qui per 7. Spiritus Spiritus creatos, eosqve vel Angelos, vel Eccleſiæ Miniſtros intelligunt. Tales enim ſeptem Spiritus hîc intelliguntur, à qvibus pax & gratia humili cum ſupplicatione 7. Eccleſiis Johannes precatur. Atqui non ab angelis creatis, Eccleſiæve Miniſtris pax & gratia ſupplici mente & voce eſt petenda, ut conſtat ex S. Scriptura. Ergò non Spiritus creati, ſed Spiritus increatus, h. e. Spiritus S. ratione officii conſideratus hîc deſcribitur; atqve ἐνώπιον τοῦ θρόνου, h. e. in conſpectu throni vel ante thronum eſſe dicitur.

§. 93. AN-

§. 93. ANTILOGIA III.

M*Atth.* 28. *v.* 19. inquit Chriſtus ad Diſcipulos: Baptizate eos in Nomine Patris, Filii & Spiritus S.

Act. 19. *v.* 2. Paulus ex Diſcipulis à Johanne Baptiſta baptizatis quærit: Num Spiritum S. accepiſtis, poſteaqve crediḋiſtis? At illi dixerunt ad eum; Imò neqve ſitne Spiritus S. audivimus.

DUBIUM.

Poſteriorem locum cum priore nullo modo conciliari poſſe *Photiniani* clamant: Si enim in Nomine Spiritus S. tanquam veri Dei, & tertiæ Perſonæ Trinitatis Baptiſmus fuiſſet adminiſtrandus, quomodo Diſcipuli à Johanne Baptiſta ritè baptizati de Spiritu S. dubitare potuiſſent? Etenim adulti in primitiva Eccleſiâ baptizati prius facti ſunt κατηχούμενοι, & ſic fidei ſuæ & religionis publicam ediderunt confeſſionem: Si autem Diſcipuli illi rudes à Johanne Baptiſta de Spiritus Sancti perſona quæſiti dixiſſent, ſe ignorare, utrum ſit Sp. S. neceſſariò concedendum erit, aut Johannem eos ad Baptiſmum non admiſiſſe, aut ſi rudes hoſce Aſinos admiſiſſet, præter, imò contra officium ſuum feciſſet, Chriſtiqve mandatum neglexiſſet, qui juſſit omnes gentes *prius* doceri, *poſteà* demum baptizari, *Matth.* 28. *v.* 19.

CONCILIATIO.

Facilè hæc duo loca conciliari poſſunt hoc modo. *Prior Locus* propriè eſt intelligendus de Perſona Spiritus S. in cujus nomine Chriſtus Baptiſmum adminiſtrari juſſit. Unde divinitas Spiritus Sancti ὀφθαλμοφανερῶς effulget. Etenim

I. In cujuscunqve nomine propriè baptizamur, ille eſt unus, verus & æternus DEus.

Atqui in Nomine Patris, Filii & Spiritus S. propriè nos baptizamur. Ergò.

II. In cujus nomine nos propriè baptizamur, ille nos juſtificat & regenerat.

Atqui in Nomine Patris, Filii & Spiritus S. propriè nos baptizamur, uti formula Baptiſmi à Chriſto inſtituti innuit. Ergò.

III. Quicunqve nos juſtificat, regenerat & ſalvat, ille eſt verus & æternus DEus.

Atqui Pater, Filius & Spiritus S. nos juſtificat, regenerat & ſalvat. Ergò Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unus, verus & æternus DEus.

In poſte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

In poſteriori verò *Loco* vox Spiritus S. non κυρίως de Perſona Spiritus S. ſed μετονυμικῶς de donis viſibilibus & extraordinariis Spiritus S. eſt intelligenda, qualia tum in initio Evangelii, in communem Eccleſiæ ædificationem, quibus viſum fuit, variè à Spiritu S. diſtribuebantur: Et de hiſce donis nempe non communibus & omnibus hominibus ad ſalutem neceſſariis, ſed de viſibilibus illis & peculiaribus donis *D. Paulus* quærit, num in ſigno viſibili Spiritum S. accepiſſent: quia tum Spiritus S. dabatur per impoſitionem manuum Apoſtolorum. Diſcipuli autem hi Epheſini, uti erant à Paulo interrogati, ita quoque illi reſpondebant: nempe negabant, ſibi cognitas eſſe viſibiles illas gratias, quibus Deus regnum Filii ſui ornaverat. Hanc ſententiam hujus Loci veram eſſe hiſce rationibus confirmant:

1. *Ex quæſtionis & Reſponſionis convenientia:* Qualis quæſtio, talis reſponſio. Atqui D. Paulus non quærit hoc loco de Perſona Spiritus S. utrum ſi nec ne, hoc enim ipſos noviſſe Paulus non dubitat, cum à Johanne Baptiſta fuiſſent baptizati, à quo ad Baptiſmum admiſſi non fuiſſent, ſi Articulum de SS. Trinitate ignoraſſent. Et huc facit, quod D. Paulus quærit, num Spiritum S. *accepiſtis*, h. e. viſibilia dona Spiritus S. poſtequam credidiſtis? Reſpondent illi: Imò ne quidem audivimus, AN SIT Spiritus S. h. e. An illa viſibilia Spiritus S. dona ſint, ſive in Eccleſiâ vigeant. Si autem D. Paulus de Perſona Spiritus S. locutus fuiſſet, non quæſiviſſet, an acceperint Spiritum Sanctum, ſed quid ſit Spiritus S. Illi autem ad quæſtionem an ſit negativè reſpondent à minori ad majus progredientes hoc modo: Imo neque ſitne Spiritus S. audivimus, q. dicere vellent: Tantùm abeſt, ut Spiritum S. acceperimus, ut etiam ne quidem audiverimus, an ſit Spiritus S. h. e. an ſint talia dona Spiritus S. viſibilia & miraculoſa.

2. *A D. Pauli ſilentio.* Si hi XII. Diſcipuli perſonam Spiritus S. ignorâſſent, ſeque quicquam ſcire de Spiritu Dei ſimpliciter negâſſent, utique D. Paulus craſſam hanc & extremè prodigioſam errorem minimè ſilentio præteriiſſet, ſed acriter reprehendiſſet: aliàs enim ſuo officio haud rectè functus fuiſſet.

3. *Ab eventu*, h. e. *à D. Pauli beneficio.* Cum D. Paulus hoſce 12. Diſcipulos ita examinâſſet, ut Miniſterium Pauli in conſpectu Gentium illuſtraretur; impoſuit illis manus & venit ſuper illos Spiritus S. & loqvebantur lingvis & prophetabant. Hîc claram & perſpicuam quæſtionis Paulinæ habemus explicationem, ex ipſa Pauli praxi & eventu deſumptam: nempe, quod ille non de Perſona, ſed de donis viſibilibus Spiritus S. quæſiverit.

4. *Ex Articulo omiſſo.* Tam in Pauli quæſtione, quam in diſcipulorum reſponſione Articulus (ὁ) eſt omiſſus. Ita enim verba textus habent: Εἶπε πρὸς αὐτοὺς, (μαθητάς) εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; Οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτὸν, Ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν, ἠκούσαμεν. Ergò vox illa Spiritus non de ipſa Spiritus Perſona, ſed de donis Spiritus S. viſibilibus intelligenda eſt. *Vid. ſuprà hujus Loci (qui agit de Spir. S.) Antilog. II.*

Unde jam evidenter patet, ex quo fonte Epheſini hi Diſcipuli dixerint, non eſſe Spiritum S. videlicet ex ignorantia. Quia illi tenuiter adhuc in Chriſtianiſmo profecerant, & gratiarum Spiritus S. quæ in Eccleſia Apoſtolica gratiosè Apoſtolis aliisqve fidelibus concedebatur, ignari adhuc erant, uti ex reſponſo ipſorum patet. Quare hoc Axioma *Photinianis* opponimus: Ex ignorantia hominum in religione non ſatis informatorum & confirmatorum Articulos fidei conſtituere extremè vanum & profanum eſt.

§. 94. Antilogia IV.

2. *Corinth. 13. v. 13.* Communicatio Spiritus S. ſit cum omnibus vobis. *Luth.* reddidit: Die Gemeinſchafft des Heil. Geiſtes ſey mit Euch allen.

Rom. 8. v. 26. Spiritus S. intercedet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Dubium.

In priori Loco Spiritus S. communicationem Corinthiis precatur Apoſtolus: At in Loco poſteriori ipſi Spiritui S. ſupplicatio & oratio pro nobis ab eodem tribuitur. Unde πνευματομάχοι hunc Locum ſicut & illum, qui exſtat *Joh. 4. v. 23.* de veris adoratoribus, adorantibus in Spiritu & veritate, orthodoxis objiciebant, illudqve ad ſubjectionem Spiritus S. derivabant, ſicut ſcribit *Ambroſius lib. 3. de Spir. S. c. 12.*

℞. De Loco Priori.

In Loco Priori inſigne continetur teſtimonium de myſterio SS. Trinitatis: Quia Apoſtolus voto generali univerſis Corinthiis Gratiam & Miſericordiam Chriſti, Dilectionem Dei Patris, & Communicationem Spiritus S. precatur. In quo Loco tria veniunt obſervanda:

I. *Diſtincta Perſonarum Trinitatis* enumeratio. II. *Earundem* ordo. Primo loco ponitur Chriſtus, ſecundo Pater, & tertiò Spiritus Sanctus, quo ipſo inſinuatur perſonas illas tres ejusdem eſſe dignitatis, honoris & majeſtatis. III. *Æqualis honor, cultus & invocatio.* Ad ſingulas enim

Perſo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Perſonas conjunctim eadem dirigitur invocatio, & à ſingulis ea petuntur bona, quorum ſolus DEus eſt author & dator. Ergò invictè inde concludimus contra Photinianos & Pnevmatomachos, tres Perſonas Deitatis, Patrem, Filium & Spiritum S. ejuſdem eſſentiæ eſſe, majeſtatis & gloriæ. Vid. ſupra *Loc. III. de Trinitate*, *Antilog. I.*

DE LOCO POSTERIORI.

Circa explicationem Loci poſterioris diſtinctè obſervandum eſt tum *Subjectum*, tum *Prædicatum*.

Subjectum eſt *Spiritus S.* qui conſideratur *dupliciter:* 1. Ἀρνητικῶς. 2. Θετικῶς.

1. Ἀρνητικῶς, ſic *primò:* Vox Spiritus non ſignificat donum Spiritus S. miraculoſum, ſicut explicat *Chryſoſtomus*. *Secundò:* neqve ſignificat gratiam ſpiritualem, uti interpretatur *Ambroſius* l. d.

2. Θετικῶς. Sed ſignificat ipſam Spiritus S. Perſonam, ſicut rectè *Origenes* de ipſo Spiritu S. precum in nobis effectore exponit. Quia Spiritus S. poſtulans pro nobis eſt idem, qui etiam Spiritus adjuvans infirmitatem noſtræ orationis, h. e. Spiritus S. qui adjutor noſtræ orationis eſt. Quæ ratio *D. Ambroſii* (ſeipſum refutantis) eſt, quam de loco præſenti dedit Horontiano *lib. 5. epiſt. 25.*

Prædicatum eſt: Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hoc autem *dupliciter* conſideratur: ἀρνητικῶς. 2. θετικῶς.

1. ἀρνητικῶς. Interpellare pro nobis dicitur Spiritus S. non ἀνθρωπίνως ſive humano more, ſeſe dejiciendo, proqve nobis intercedendo & ſupplicando, ſicut Ariani arguebant Spiritum S. minorem Filio, quia ſupplicaret Patri, & Filium minorem Patre, quia ſupplicaret Patri.

2. θετικῶς. Verùm nos tenemus Regulam Orthodoxæ Antiquitatis: Quæcunqve de Perſonis SS. Trinitatis dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, non intelligenda ſunt ἀνθρωπίνως, ſed θεοπρεπῶς, h. e. non humano, ſed Deo convenienti modo.

Quod ut meliùs intelligatur, notandum eſt, tam *Subjectum* quàm *Prædicatum duplicem* ſubire conſiderandi *modum*. Etenim Spiritus S. qui *Subjecti* loco ponitur, *dupliciter* conſideratur.

I. *Ratione* Θεολογίας, h. e. quatenus de ipſius Deitate ſermo eſt, ſive quatenus conſideratur κατ' ἔσω, h. e. in SS. Trinitate: tùm ratione Eſſentiæ aut perſonæ, tum ratione attributorum vel eſſentialium vel perſonalium.

II. *Ratione* Οἰκονομίας, h. e. ratione officii, quod circa nos & in nobis

nobis adminiſtrat. Quia in nobis tanquam in templo ſuo habitat. *1. Cor. 6. v. 19.* Non prior, ſed poſterior conſideratio hîc attenditur.

Deinde *Prædicata* Spiritui S. in ſacris Literis aſſignantur *duplicia: abſoluta & relativa.*

Abſoluta ſunt, quæ ipſi in propriâ Perſonâ κατ᾽ ἔσω ſive ad intra conſiderata, ut cùm ei attribuitur *1. Cor. 2. v. 12.* quod ſcrutetur omnia, etiam profunditates Dei, quod ſcrutinium Deo Patri tribuitur, *Rom. 8. v. 27.*

Relativa prædicata ſunt illa, quæ ipſi tribuuntur non in propriâ, ſed in noſtrâ perſonâ, idqve tum *activè*, ut hoc loco; tum *paſſivè*, ut *Act. 7. v. 51.* Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſcil. in Prophetis & Apoſtolis ſuis loquenti. Ita etiam hoc loco Spiritus dicitur interpellare pro nobis non ἁπλῶς καὶ ἀμέσως, h. e. non abſolutè & immediatè, vel per ſe & in propria perſona, ſed οἰκονομικῶς & ἐμμέσως, diſpenſativè & mediatè, tum preces in nobis format & efficit, nosqve ad preces impellit. Patet hoc ex ipſo textu: Verba enim antecedentia ita habent: Similiter autem & Spiritus S. ſublevat infirmitates noſtras. Nos enim quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Et ſtatim ſubjungitur: Ipſe autem Spiritus S. interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Senſus igitur eſt: Cùm nos infirmi ſimus, & quid oremus, propter infirmitatem noſtram ignoremus, Spiritus S. excitat nos, ut oremus, & docet nos, quid oremus, ac proinde ſuſpirare & orare pro nobis dicitur, qui ad ſuſpirandum & orandum nos interpellit, ſuſpiriaqve & preces in nobis efficit. Hunc ſenſum Locorum parallelorum σύγκρισις & collatio oſtendit, ut *Gal. 4. verſ. 6.* Spiritus S. dicitur clamare: Abba Pater. At *Rom. 8. v. 15.* dicitur: Nos per Spiritum (h. e. Spiritu S. Doctore & Ductore) clamamus: Abba Pater. Spiritus S. igitur clamat, quia facit nos clamare: ſicut etiam pro nobis interpellat, quia fecit nos interpellare: pro nobis orat: quia facit nos orare.

Ex hâc igitur interpellatione Spiritus S. pro nobis Divinitas ejus non infringitur; quia hic effectus de ipſo prædicatur, non ratione ἐσίας vel Eſſentiæ, ſed ratione οἰκονομίας & officii. Jam verò οἰκονομία officiiqve differentia in Perſonis Trinitatis non tollit unitatem in ἐσίᾳ ſive eſſentia: cui regula orthodoxæ antiquitatis de Filio conſonat: Miſſio & obedientia non tollit æqualitatem potentiæ.

§. 95. ANTILOGIA V.

JOh. 14. v. 16. 26. Ego, inquit Chriſtus, rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum Veritatis: Et *Joh. 16. v. 7.* Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

1. Joh. 2. v. 1. Chriſtus dicitur παράκλητος, h. e. Advocatus noſter.

DUBIUM.

Si ad officium Chriſti Mediatoris pertinet eſſe Paracletum noſtrum, quomodo idem Spiritui S. tribui poteſt? Siquidem partes officii Chriſti ſint ipſi ſoli propriæ, aliique perſonæ incommunicabiles.

℞. Eſt *ambiguitas* in vocabulo *Paracleti*, quod duo ſignificat: I. *Mediatorem, Advocatum & Patronum.* II. *Conſolatorem:* Quia thema, à quo deſcendit, nempe verbum Græcum παρακαλεῖν duplici ſignificatu gaudet. *Primo:* ſignificat in genere accerſere vel ad ſe vocare, & in ſpecie patrocinari. *Secundò:* conſolari. Unde patet, quod uterque & Chriſtus & Spiritus S. diverſo reſpectu poſſint dici Paracletus.

Chriſtus dicitur παράκλητος in utroque *ſtatu*, tum *exinanitionis*, tum *exaltationis*.

In ſtatu Exinanitionis officium Paracleti peregit humiliter, quando in diebus carnis ſupplex cum clamore & validis lachrymis in horto humi jacens, *Matth. 26. v. 39. Joh. 17. v. 1. Hebr. 5. v. 7.* & poſteà in ara crucis pendens, Patrem ſuum cœleſtem pro nobis oravit, *Eſa. 53. v. 12. Luc. 23. verſ. 34.*

In ſtatu verò *Exaltationis* officium Paracleti peregit non humiliter, ſed glorioſè & majeſtaticè, h. e. virtualiter, quando videlicet vigore ſacrificii ſui iram Patris cœleſtis ſedat, noſque Deo Patri reconciliat, meritumque ſuum nobis applicat.

Spiritus S. verò dicitur παράκλητος *triplici* reſpectu:

I. *Ratione ortus*, ad preces nos excitando: Quia ille eſt Spiritus gratiæ & precum, *Zach. 12. v. 10.* Etenim ipſe affectum, h. e. animum nobis dat & inſpirat, ut precari velimus.

II. *Ratione Progreſſus.* Sic Paracletus noſter eſt duplici reſpectu:

Primò: Nos ad preces informando: Quia nos, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Spiritus S. igitur omnem veritatem nos docet, & in omnem veritatem nos ducit, ſicut ipſe Chriſtus promiſit *Joh. 14. v. 17.* Spiritus S. Paracletus ſuggeret vobis omnia.

Secundò: Preces in nobis formando: Etenim Spiritus S. non tantùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

eſt Spiritus gratiæ & precum quoad affectum, h. e. ut precari velimus, ſed etiam quoad effectum, quia vires nobis donat, ut precari poſſimus, & eventum ſalutarem nobis ſubminiſtrat, quando gratiam dat, ut impetremus, quod petimus.

III. *Ratione egreſſus.* Quia ipſe perpetuò nobis adeſt, inque omnibus rebus adverſis ſolatio ſuo nos ſuſtentat, & infirmitatem noſtram adjuvat, *Rom. 8. v. 26.* ne ſuccumbamus aut deficiamus: & nos in agnitâ veritate & precum devotione confirmat uſque ad finem vitæ. Sicut ipſe Chriſtus Diſcipulis ſuis omnibusqve fidelibus promiſit: Ego, inquit, rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat in æternum μεθ' ὑμῶν, h. e. vobiſcum, *Joh. 14. v. 16.* Quare non tantùm Chriſtus, ſed etiam Spiritus S. absq; ullâ ἀντιφάσει *Paracletus* appellatur.

§. 96. ANTILOGIA VI.

1. Cor. 12. v. 6. Spiritus S. noſter Deus & Dominus, & unus & idem ille omnia in nobis operari dicitur.

Rom. 15. v. 13. Optat Paulus, ut Deus per Spiritum S. impleat Romanos omni gaudio & pace.

DUBIUM.

Ex *Loco priori* inquiunt Photiniani nullo modo colligi poſſe, quod Spiritus S. ſit Deus, ſcil. unus & ſummus cum Deo Patre. Quia in *loco poſteriori* explicetur, quomodo ſit Deus, videlicet per quem Deus Pater opera gratiæ in credentibus peragat. Unde ſequi ajunt: Spiritum S. non eſſe unum, verum & æternum cum Patre Deum, ſed tantùm miniſtrum & inſtrumentum Dei Patris. Quia Præpoſitio PER ſit nota inſtrumenti.

℞. Ad hoc dubium reſpondemus *dupliciter: 1. Indirectè. 2. Directè.*

1. Indirectè: Photiniani docent, Spiritum S. eſſe virtutem Patris ſubſtantialem. Jam verò ſi ex Photinianorum hypotheſi Spiritus S. eſt virtus Patris ſubſtantialis, & nihilominus Deus Pater per Spiritum S. tanquam per Miniſtrum ſive per cauſam Miniſterialem vel inſtrumentalem agit, ergone dicemus, virtutem Patris ſubſtantialem eſſe inſtrumentum Dei Patris: impiiſſimum & abſurdiſſimum hoc eſſet abſurdum.

2. Directè reſpondemus *dupliciter*, tum *in genere*, tum *in ſpecie*.

Primo *In genere.* Particula PER variè in Scriptura S. uſurpatur, potiſſimum autem quinque modis:

1. Ταγματικῶς, h. e. ſignificat modum vel ordinem, *Hebr. 2. v. 10.* Deus per paſſiones conſummavit principem ſalutis noſtræ, *Act.*

14. v. 22.

14. v. 22. Per multas tribulationes oportet nos ingredi regnum cœlorum.

2. Ἐμμέσως, h. e. ſignificat medium vel viam, *Hebr. 11. v. 29.* Tranſierunt mare tanquam per ſiccam terram.

3. συνεχομένως ſignificat actum continuatum, *Hebr. 2. v. 15.* Eramus obnoxii metui mortis per omnem vitam.

4. Ἐξοχικῶς καὶ αὐτοκρατορικῶς, h. e. auctoritativè, id eſt, ſignificat auctoritatem, *Heb. 6. v. 16.* Homines quidam jurant per majorem: Deus autem per ſeipſum.

5. Αἰτιολογικῶς, h. e. cauſaliter, idque rurſum dupliciter: I. Ὀργανικῶς, ſicque ſignificat cauſam Inſtrumentalem, ut cum Paulus dicit *Rom. 3. v. 22.* nos juſtificari διὰ πίστεως, per fidem.

II. Κυρίως, principaliter, & ſic ſignificat cauſam efficientem, vel per ſeipſam, vel per partem ſui Eſſentialem agentem, ut: Chriſtus per ſangvinem ſuam nos redemit, *Hebr. 10. v. 19.* Per Deum nos movemur, vivimus & ſumus, *Act. 17. v. 28.* Chriſtus per Spiritum æternum ſeipſum obtulit, *Hebr. 9. v. 14.* Per Spiritum, inquam, non alienum, ſed proprium, ſibiqve eſſentialem, per quem Spiritum etiam dicitur cogitationes cordium vidiſſe, *Marc. 2. v. 8.*

Unde patet, quod Particula Διὰ vel PER non ſemper ſit nota cauſæ Inſtrumentalis, ſed ſæpè etiam principalis. Idcircò interdum per Præpoſitionem Ex, tanquam æquipollentem exponitur, *Rom. 3. v. 30.* Unus eſt Deus, qui juſtificabit circumciſionem ἐκ πίστεως, ex fide, & præputium διὰ πίστεως, PER fidem. Quare ex particula PER nihil contra divinitatem Spiritus S. evincere poſſunt Photiniani.

SECUNDO: *In ſpecie* reſpondemus, quod particulæ illæ tres Ex, PER & IN, quæ ut plurimum tribus Perſonis Deitatis applicantur, *tripliciter* accipiantur:

Ἑνωτικῶς, h. e. *conjunctivè*: quando Perſonæ Trinitatis conſiderantur ὁμοουσιωδῶς, h.e. quando eſt ſermo de conſubſtantialitate, ſive de eſſentialibus attributis trium Perſonarum Deitatis. *Rom. 11. v. 33.* O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei &c. *v. 36.* Ex illo, & PER illum, & IN illo omnia: IPSI gloria in ſecula. Quod in hoc dicto particulæ hæ uni vero Deo conjunctim tribuantur, oſtendunt tum προηγούμενα, h. e. antecedentia: Præcedit enim ſcientia Dei, Judicia ejus, ſenſus ejus &c. tum παρεπόμενα, h. e. conſequentia. Sequitur enim IPSI gloria in ſecula. Hîc pronomen μοναδικὸν, h. e. ſingulare IPSI ſignificat gloriam eandem uni vero Deo eſſe tribuendam. Ac

proinde

proinde per haſce particulas eſſentiæ divinæ in Patre, Filio & Spiritu S. unitas manifeſtè deſignatur.

II. Διακριτικῶς, h. e. *disjunctivè*, quando Perſonæ Trinitatis conſiderantur χαρακτηριστικῶς, h. e. quando proprietas perſonalis cujuslibet Perſonæ Trinitatis attenditur, ut *2. Cor. 5. v. 18.* Deus per Chriſtum mundum ſibi reconciliavit: & *Joh. 1. v. 3.* Omnia per τὸν λόγον facta ſunt, quæcunq; facta ſunt.

III. Καταλλακτικῶς, h. e. *alternativè*, quando Perſonæ Trinitatis conſiderantur παρίσως, ſive æqualitas perſonarum Deitatis attenditur, & omnis inæqualitas tollitur; Sic ne quis putet, diſtinctas haſce particulas diſtinctis perſonæ Trinitatis diſtinctè attributas inæqualitatem quandam importare, ſæpe in Scripturis permiſcentur, & alternativè perſonis Deitatis tribuuntur. Sic particula Per tribuitur Patri, *Rom. 6. v. 4.* Chriſtus reſuſcitatus eſt ex mortuis Per gloriam Patris, hoc eſt glorioſa Patris potentiâ.

Rurſus Particulæ Ex, De & In tribuuntur *Filio*, *Joh. 1. v. 16.* Ex ipſius plenitudine nos omnes accepimus, *Joh. 16. v. 14.* Ille (ſcil. Spiritus S.) de meo accipiet, *Col. 1. v. 16. 17.* Ex ipſo, Per ipſum, & In illum Filio conjunctim tribuuntur.

Sic etiam Ex *Spiritui S.* tribuitur, *Joh. 1. v. 13.* Credentes ſunt Ex Deo nati, *Joh. 3. v. 6.* Quod natum Ex Spiritu (ἐκ τοῦ πνεύματος) πνεῦμα ἐστι. Priori Loco vox πνεύματος cum articulo poſita perſonam Spiritus ſ. poſteriori verò loco ſine articulo poſita donum & opus Spiritus S. notat. Quare quando Per Spiritum S. impleri dicimur gaudio & pace à Deo, non deſignatur cauſa inſtrumentalis, ſed efficiens principalis effectus illius ſalutaris. Et loquitur Scriptura hoc loco διακριτικῶς, h. e. diſtinctivè, de Patre & Spiritu S. Quia conſiderantur χαρακτηριστικῶς, h. e. Characteriſticè. Quoniam Spiritus S. eſt σφραγὶς & arrha hæreditatis noſtræ, *2. Cor. 1. v. 21. 22.* *2. Cor. 5. v. 5.*

Arrha vel Arrhabo proprie eſt pignus, quod à Sponſo datur Sponſæ ad confirmandam futurarum nuptiarum promiſſionem: Sic deſponſavit ſe animæ noſtræ Chriſtus, dat igitur ei arrham Spiritus, ut per eam confirmetur, fore ut poſt hanc vitam ad nuptias agni certiſſimè introducatur.

Hâc igitur arrhâ pax & gaudium vitæ æternæ in cordibus noſtris obſignatur. Idcirco rectè dicitur Deus per Spiritum S. nos implere omni gaudio. Hoc enim dedit pignus in cordibus noſtris, quod ſimus filii Dei: Id quod nulli perſonæ Trinitatis in Scriptura, niſi Spiritui S. adſcribitur, *Rom. 8. v. 16.*

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Non igitur hâc phraſi denotatur ἑτερουσία Patris & Spiritus S. ſed cujuslibet perſonæ proprietas attenditur characteriſtica: h. e. diſtinctio & ordo. Et ſic Pater agit per Spiritum S. non tanquam Dominus per Miniſtrum, ſed tanquam per tertiam Divinitatis perſonam ſibi ὁμοούσιον & ἰσότιμον, h. e. conſubſtantialem & coæqualem.

§. 97. ANTILOGIA VII.

JOh. 15. v. 25. Ego mittam, inquit Chriſtus, Paracletum à Patre. Et *Joh. 16. v. 7.* Ego, cum abiero, mittam, eum (Spiritum S.) vobis.

Eſa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Spiritus Domini ſuper me, propterea quod unxit me ad evangelizandum.

DUBIUM.

Si vera ſunt loca priora: quod Filius Dei miſerit nobis Spiritum S. quomodo dici poteſt, quod Spiritus S. miſerit Filium Dei. Nam quæcunque Perſona non eſt ab alia, illa non mittitur ab eadem. Atqui Filius Dei non eſt à Spiritu S. ſed contrà Spiritus S. ab æternitate à Filio Dei ſpirando eſt productus. Ergò Filius Dei à Spiritu ſancto non mittitur.

℞. Filius Dei διττῶς conſideratur: 1. quatenus eſt ἄσαρκος. 2. quatenus eſt ἔνσαρκος.

1. Filius Dei quatenus eſt ἄσαρκος, ſpirando Spiritum S. ab æterno produxit, uti Loca anteà allata teſtantur. Et hoc reſpectu à Spiritu S. non mittitur.

2. Filius Dei quatenus eſt ἔνσαρκος, mittitur à Spiritu S. & rurſus mittit Spiritum S. καθ' ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον. *Mittitur* Filius Dei à Spiritu S. non ſecundum divinam naturam [ſic enim mittitur à ſolo Patre] ſed ſecundum humanam naturam, & ita intelligenda ſunt loca *Eſa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 1.* cui inſignis addi poteſt Locus *Eſa. 48. v. 16.* Nùm Dominus Jehova mittit me, & Spiritus ejus. Hunc autem locum de Chriſto intelligendum eſſe 1. probat ipſe Chriſtus *Joh. 18. v. 20.* ubi ad ſe accommodat, quod in hoc Loco Eſaiæ dicitur: Non in abſcondito locutus ſum.

2. Idem ego hoc *ſyllogiſmo* demonſtro.

Secundum eam naturam Chriſtus miſſus eſt à Spiritu S. ſecundum quam I. conceptus, II. unctus eſt, & III. ſecundum quam requieſcit ſuper eum Spiritus S. Nam miſſio Perſonarum Deitatis vel eſt æternalis vel temporalis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Atqui Chriſtus: *Primò* ſecundum humanam Naturam conceptus eſt à Spiritu S. *Matth. 1. v. 18. Luc. 1. v. 35.* In qua conceptione tria opera præſtitit Spiritus S.

I. *Eſt Maſſæ formatio.* Formavit enim hanc maſſam Spiritus S. in utero B. Virginis, & fecit, ut illa ſupra & contra omnem naturæ ordinem ſine virili ſemine conciperet & pareret.

II. *Eſt Maſſæ formatæ ſanctificatio.* Nam Spiritus S. maſſam illam, quam Filius Dei ὑποστατικῶς aſſumſit, ſanctificavit, h. e. à peccati ſordibus & veneno repurgavit.

III. *Eſt Maſſæ ſanctificatæ adaptatio.* Sicut author Epiſt. ad *Hebr. 10. v. 5.* loquitur.

Secundò: Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt unctus à Spiritu S. ſicut dicitur *Pſal. 45. v. 8.* Unxit Te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ [h. e. Spiritu S.] præ conſortibus tuis. Loquitur hîc Pſalmiſta de Chriſto ſecundum naturam humanam conſiderato, ſecundum quam conſortes habet, & in Baptiſmo Spiritus S. in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum deſcendit, ipſumque unxit, *Matth. 3. v. 16.* Ille enim deſcenſus fuit manifeſtatio exterius ejus, quod factum erat interius.

Tertiò: Super Chriſtum ſecundum humanam naturam requieſcet Spiritus S. Nam ita inquit Eſaias Propheta *cap. 11. v. 2.* Requieſcet ſuper eum (intellige Meſſiam, quem *v. 1.* vocat radicem Jeſſe) Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis & timoris Domini erit in illo.

Rurſus Chriſtus mittit Spiritum S. non ſecundum ſolam Deitatem, ſed ſecundum utramque naturam. Quod probamus *quadruplici ratione:*

I. *Ex perſonali unione.* Humana Chriſti natura ab aſſumente λόγῳ Spiritum S. ſine menſurâ accepit: ex cujus (Spiritus in Chriſto habitantis) plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, *Joh. 1. v. 16.* Ungimur enim, ut ſimus participes regni, ſacerdotii & muneris prophetici Chriſti, intereà tamen ſolus Chriſtus unctus eſt Rex, Propheta & Sacerdos. Eleganter hoc in unctione Aaronis præfiguratum fuit. Sicut enim unctio Aaronis manabat à capite ejus in partes corporis: Ita quoque unctio Chriſti capitis manat in nos omnes, qui ſumus membra Chriſti myſtica.

II. *Ex Chriſti precatione.* Chriſtus inqvit *Joh. 14. v. 16.* Ergo rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis. Qui autem rogat, rogando docet, quod δύναμιν καὶ ἐξουσίαν mittendi Spiritum S. per ſe non obtineat, ſed precariò eandem accipiat. Hoc autem de Chriſto ſecundum Deitatem

intelligi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

intelligi non poteſt. Quia Chriſtus, quâ Deus, hanc *δύναμιν καὶ ἐξουσίαν* habet naturâ. Ergò Chriſtus, quâ homo, Deum Patrem rogat pro mittendo Spiritu ſancto.

III. *Ex exaltationis fine ſive fructu conſeqventi.* Miſſio Spiritus S. eſt finis ſive fructus & effectus ſalutaris exaltationis Chriſti, uti evidenter patet ex Chriſti promiſſione, *Joh. 14. v. 16. cap. 15. v. 26. cap. 16. v. 7.* diſcipulis facta, ejusqve executione, quæ *Act. 2. v. 33. & 38.* emphaticè deſcribitur. Jam verò Chriſtus non eſt exaltatus ad dextram Dei ſecundum Deitatem, ſed ſecundum humanitatem, *Phil. 2. v. 9. Epheſ. 1. v. 20.* Ergò

IV. *Ex officii Chriſti adminiſtratione.* Miſſio Spiritus S. pertinet ad officium Chriſti. Quia ipſe tanquam Dominus Eccleſiæ ad dextram Dei ſedens Doctorem Eccleſiæ Spiritum S. conſtituit, *Act. 2. v. 33.* Unde in Concilio primo in N. T. Hieroſolymis à Chriſti diſcipulis inſtituto: Apoſtoli inquiunt *Act. 15. v. 28.* Viſum eſt Spiritui S. & nobis. Jam verò Chriſtus officium ſuum adminiſtrat ſecundum utramqve naturam. Ergò etiam ſecundum utramqve naturam Spiritum S. mittit.

§. 98. *DUBIUM.*

Si Humanæ Chriſti Naturæ tribuenda eſt Spiritus S. miſſio, tribuenda quoque erit Spiritus S. productio, h. e. quod Spiritus S. ab ea procedat. Ratio hæc fundatur in vulgato Theologorum noſtrorum axiomate: Miſſio perſonarum Trinitatis temporalis præſupponit productionem earundem ab æterno factam, & fundatur in eadem. Sed conſequens abſurdum eſt, & *ἀπόλογον*. Ergò & prius.

℞. Si per Naturam hoc poſſideret Chriſti Salvatoris caro, ſicut λόγος per naturam poſſidet, valiturum eſſet argumentum. Quia verò non naturâ, ſed ex unionis gratiâ id habet: idem de illa, quod de λόγῳ ſtatuere fas non eſt: præſertim, quia internæ illæ proprietates Perſonarum in Trinitate tantummodò intra Deitatis *ὀσίας* conſiderantur, neque iis ſancta Trinitas ullo modo foràs progreditur.

§. 99. ANTILOGIA IIX.

1. GAl. 3. v. 2. Ex operibus Legis Spiritum (ſanctum) accepiſtis an ex prædicatione Evangelii?

Gal. 4. v. 6. Quoniam eſtis Filii, miſit Deus Spiritum (ſanctum) in corda veſtra.

2. *Joh. 20. v. 22.* Chriſtus flavit in eos (Diſcipulos) & dixit eis: Accipite Spiritum S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

3. *Act. 1. v. 5.* Vos baptizamini Spiritu S. poſt dies hoſce non multos: Et *v. 8.* Accipietis virtutem, poſtquam Spiritus ſanctus venerit ſuper vos.

DUBIUM.

Triplex hæc Locorum *claſſis* ſibi invicem videtur contradicere. Nam ex prima apparet, quod omnibus filiis Dei in Baptiſmo & prædicatione Evangelii Spiritus S. conferatur: Jam verò Apoſtoli Diſcipuli Chriſti erant fideles & filii Dei. Quomodo igitur Spiritum S. quem habuerunt, accipere potuerunt, ſicut dicitur *Joh. 20. v. 22.* quia omne, quod recipit Deum, datum eſſe debet ab eo, quod recipit. Præterea *Actor. 1. v. 8.* Spiritus S. illis promittitur, quem tamen per inſufflationem à Chriſto acceperunt; ſicut *Joh. 20. v. 22.* deſcribitur.

CONCILIATIO.

Apoſtoli in Scriptura *tripliciter* conſiderantur:

I. Ut Chriſtiani, ſive Chriſti auditores, *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* ubi tanquam Chriſtiani loco totius Eccleſiæ, quam repræſentabant, ſacram Synaxin perceperunt.

II. Ut Eccleſiæ Paſtores. Et ita conſiderantur *Matth. 16. v. 19.* ubi Chriſtus Petro tanquam Paſtori claves regni cœlorum committit. Et *Joh. 20. v. 22.* poteſtatem peccata ſolvendi & ligandi ante ſuam reſurrectionem concedit.

III. Ut Catholici totius Mundi Doctores. Sic Chriſtus *Matth. 28.* & *Marc. 16.* poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos jubet omni creaturæ ſive omnibus gentibus Evangelium prædicare.

Secundum hunc triplicem conſiderandi modum etiam tripliciter Spiritus S. Apoſtolis fuit collatus.

Secundum hunc triplicem conſiderandi modum etiam tripliciter Spiritus S. Apoſtolis à Chriſto collatus fuit.

1. Ratione Sanctificationis in Baptiſmo. 2. Ratione Miniſterii, *Joh. 20. v. 22.* quia tamen Spiritus S. ipſis fuit collatus eum in finem, ut ſuam fidem de reſurrectione Chriſti firmiorem & intelligentiam Scripturæ S. pleniorem haberent, *Actor. 1. v. 8.* collatio Spiritus S. ratione donorum miraculoſorum & viſibilium illis promittitur.

Coronidis autem loco hîc breviter notandum eſt, figmentum eſſe Cal-
"viniſticum, quod Spiritus S. *Joh. 20.* & *Actor. 1.* ſignificet non ipſum
"Spiritum S. ſed tantùm dona Spiritus ſancti. Etenim uterqve Evangeli-
"ſta loquitur de ipſo Spiritu S. qui tamen à donis ſiccis non eſt ſejungen-
"dus, ſed cum iisdem conjungendus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Locus VI.
De
DECRETIS DEI
IN GENERE,
&
IN SPECIE
DE
UNIVERSALI GRATIA DEI,
MERITO CHRISTI ET VOCATIONE SPIRITUS SANCTI.

§. 100. Antilogia I.

A*Ct.* 15. *v.* 18. inquit Jacobus Apoſtolus: Nota ſunt Deo ab ævo omnia opera ſua. Et *1. Cor.* 2. *v.* 7. Loquimur Sapientiam Dei in myſterio occultatam illam, quam præfinierat DEus ante ſecula in gloriam noſtram.

1. Reg. 8. *v.* 61. Si cor noſtrum perfectum eſt cum Deo noſtro, ut ambulemus in decretis ejus, & cuſtodiamus mandata ejus.

Dubium.

Ex Locis duobus prioribus patet, quod decreta Dei ſint æterna: At in Loco tertio eadem dicuntur eſſe temporalia.

℞. Decreta Dei *dupliciter* conſiderantur: 1. Κυρίως, h. e. propriè, in ſe & per ſe. 2. Δευτέρως καὶ μετονυμικῶς, h. e. ſymbolicè & ſignificativè.

Priori reſpectu definiuntur decreta Dei, quod ſint Actus Dei interni & æterni, quos ille juxta propoſitum voluntatis ſuæ liberrimum decrevit, de rebus in tempore vel faciendis vel permittendis ob finem bonum.

Poſteriori modo ſignificant manifeſtationem Conſilii æterni in tempore facti. Quo ſenſu *Decreta Dei* ſunt duplicia, *Legalia* & *Evangelica*. Sic ritus & ordinationis Moſaicæ decreta appellantur in vulgata verſione, *Epheſ.* 2. *v.* 15. & *Col.* 2. *v.* 14. Delens, quod adverſus nos erat, Chirographum. Paulus vocat δόγματα, Hebræi חֻקִּים Chukim, h. e. ſtatuta ceremonialia, à rad. חָקַק quæ vox ſignificat idem, quod conſtituit rei alicujus formam, vel impreſſit imaginem, quia Ceremoniæ V. Teſtament.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

fuerunt Typicæ, Chriſtum Chriſtiqve beneficia potisſimum præfigurantes.

Decreta verò *Evangelica* ſunt, quæ promisſiones de Chriſto ejusque merito continent. Sic *Luc.7. v.30.* dicitur de Phariſæis & Legisperitis, quod conſilium Dei adverſus ſemetipſos ſuſceperint, h. e. Evangelion de Chriſto contempſerint, & Baptiſmum tanquam efficax ſalutis medium à Johanne Baptiſta adminiſtratum repudiarint.

Hæc autem decreta ſua DEus in tempore non facit, quaſi pro re natâ conſilium capiens, uti homines conſuevere, ſed omnia decreta divina ab æterno ſunt conſtituta, quæ DEus poſteà hominibus in tempore revelat propter hominum ſalutem.

Quod autem *Decreta Dei* ſint *æterna*, demonſtrari poteſt *dupliciter*: 1. *Scripturæ dictis*. 2. *Argumentis*.

I. *Scripturæ dictis*, quæ ſunt vel *generalia*, vel *ſpecialia*.

Generalia: *Act.15.v.18.* Nota ſunt Deo ab æterno omnia opera ſua. Ergò non demum ei in tempore innoteſcunt, *1. Cor.2. v.7.* DEus ſapientiam ſuam in myſterio (h.e. myſteria ſalutis noſtræ ſapientisſimum Dei conſilium continentia) prædefinivit ante ſecula.

Specialia loqvuntur vel de Chriſto, ut *1. Pet. 1. verſ. 20.* Chriſtus fuit προεγνωσμένος, h. e. Præcognitus ante conſtitutionem mundi, vel de Nobis, *Epheſ. 1. v.4.* Electi ſumus in Chriſto ante jacta fundamenta mundi. Jam verò Præordinatio Chriſti & Electio noſtri nihil aliud ſunt, quàm ſpecialia Dei decreta. Quia autem hæc ſunt æterna, rectisſimè inde concluditur decreta DEI eſſe æterna.

II. *Argumentis*: PRIMO: Quicquid eſt in Deo æterno, illud eſt æternum, quia in Deo neque eſt præteritum neque futurum: Aliàs enim in Deo eſſet ſucceſſio & variatio, quæ cum æterna Dei eſſentiâ è diametro pugnat. Atqui Decreta Dei, de quibus hîc loquimur, ſunt in Deo. Quia ſunt interni voluntatis divinæ actus. Ergò ſunt æterna.

SECUNDO: *à Dei immutabilitate*. Quicunque eſt immutabilis, ille nullum decretum ſancit in tempore, quod non prædefinierit ab æternitate. Ratio. Quia ſi Deus aliquid in tempore decerneret, quod ab omni æternitate non prædefinivisſet, tum DEus mutabilis foret; ſiquidem de potentia in actum tranſiret. Atqui DEus eſt immutabilis, *Malach. 3. v. 6.* Ergò Decreta Dei ſunt æterna.

§. 101. AN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 101. ANTILOGIA II.

HEb. 4. v. 13. Πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτȣ̃: Omnia nuda & reſupinata ſunt oculis ejus, (ſecundum τȣ̃ λόγȣ, vel verbi.)

Pſalm. 33. v. 11. Conſilium Jehovæ in ſeculum conſiſtit: cogitationes cordis ejus in omnes ætates.

DUBIUM.

Hæc duo videntur eſſe ἀντιφατικά. In *priori* enim Deo omnium rerum ſimplex & intuitiva tribuitur notitia. At in *Loco poſteriori* eadem videtur negari. Nam omne conſilium ſubinfert deliberationem & conſultationem, quæ ſcientiæ ſive notitiæ intuitivæ è diametro opponitur. Unde *Scaliger Exerc. 365. ſect. 8.* Deo conſilium detrahit, quando ita ſcribit: Conſilio non eget Deus tanquam medio vel inſtrumento, aut idea ad gubernandum. Tam enim impia vox in divinis conſilium eſt, quàm pluralitas Deitatis; Non diſceptat, non ratiocinatur, non proponit, non colligit, non cum alio confert, non ab ullo accipit.

CONCILIATIO.

I. Verum quidem eſt, quod in Loco priori ſimplex & intuitiva Deo tribuatur ſcientia. Hoc enim emphatica vox τετραχηλισμένα arguit. Hæc enim ſecundum monitum Eraſmi idem notat atqve decervicata. Græci putant, quod ſit metaphora ab ovibus deſumpta, quibus pellis à cervice detrahitur, cum excoriantur. Sicut ergò lanii pelle ovibus detractâ præſentiſſimè vident carnem: Ita Deus præſentiſſimè absqve involucro omnia videt, quæcunqve unquam fuerunt, ſunt aut erunt.

II. In altero verò Loco vox Conſilii contrarium non ſvadet. Conſilium enim dupliciter accipitur: PRIMO: κυρίως, h. e. propriè, ſic notat ſententiam decernendo probatam poſt angreſſam deliberationem vel conſultationem. JCTI ita definiunt: Decretum eſt ſententia, quam princeps pro tribunali ſedens cauſâ priùs cognitâ & utraque parte auditâ pronunciat, *l. ult. ff. de hæred. inſt.*

Et hoc modo Conſilium Deo tribuere impium eſt, ſicut rectè pronunciat *Scaliger*. DEus enim non conſultat aut deliberat. Quia conſultatio & deliberatio eſt ignorantiæ & imperfectæ notitiæ, non verò omniſcientiæ indicium, teſte *Damaſc. lib. 2. de Orth. fide cap. 22.*

SECUNDO: conſilium quoq; accipitur μεταφορικῶς καὶ ἀνθρωποπαθῶς. Verba autem, quæ Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, non intelligenda ſunt ἀνθρωπίνως,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

πίνως, ſed θεοπρεπῶς, h.e. repurganda ſunt priùs ab omni imperfectione repurganda, & poſteà Deo applicanda. Dicimus igitur, quod in Conſilio humano duo contineantur: 1. Deliberatio de re dubia inſtituta, perqve certa media in executionem deducenda. 2. Sententia judicando prolata.

Prius eſt ſignum imperfectionis: Poſterius verò perfectionis. Ergò illud Deo detrahendum, hoc vero ei tribuendum.

Tribuitur autem Deo Conſilium propter captum noſtrum. Quia enim viri prudentes omnia conſilio agunt, quæcunque agunt; ideò quoque ad deſcribendam Dei providentiam ſive adminiſtrationem providam nomen Conſilii adhibet Scriptura S.

§. 102. *Dubium.*

At hâc ratione Deo videntur Accidentia tribui: Quia decreta & conſilia ſunt Accidentia.

℞. Eſt ambiguitas tum in voce voluntatis, tum in voce Decreti.

Voluntas accipitur tripliciter: 1. Notat θέλημα θελητικὸν, quod eſt ipſa δύναμις & facultas volendi. 2. θέλησιν, quæ eſt actus volendi in volente. 3. θέλημα θελητὸν, h. e. ipſum volitum: quo ſenſu accipitur *Joh. 6. v. 40.* Item *v. 38.* Deſcendi de cœlo, ut faciam non voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me. *Vid. Dam. lib. 3. de Orth. fid. cap. 14.*

Similiter Decreta Dei I. ſunt actus voluntatis divinæ immanentes. At quàm abſurdum eſt dicere: Volitiones & Actus Dei immanentes eſſe accidentia Deo inhærentia, tam abſurdum quoqve eſt Decreta & Conſilia Dei Accidentia dicere.

II. Decretum Dei, ut dictum eſt, Deo tribuitur non κυρίως, ſed μεταφορικῶς, non ἀνθρωπίνως, ſed θεικῶς. Quare à conſilio & decreto humano ad conſilium & decretum Dei argumentari velle N. V. C.

III. Decretum Dei & Conſilium Dei tripliciter accipitur:

Primo: αἰτιολογικῶς, pro principio decernente. Et ſic Decretum Dei eſt nihil aliud, quàm ipſe Deus decernens, ſive voluntas Dei decretiva. Ac proinde ſicut DEus eſt æternus: Ita quoqve Decreta Dei ſunt æterna, ac proinde non ſunt Dei accidentia.

Secundo: ἐνεργητικῶς, pro actu decernendi, ſive ſententia decretoria, tum eſt à Deo & in Deo nonniſi per ἀνθρωποπάθειαν, quæ non infert compoſitionem veram & realem ſubjecti & accidentis.

Tertio: ἀντικειμένως, pro re decreta. Sic Decretum non eſt in Deo ὑπαρκτικῶς, h. e. ſubjectivè, ſed ἀντικειμένως, h. e. objectivè. Sed

hinc

hinc inferri nullo modo poteſt, quod Conſilia & Decreta Dei ſint accidentia. Aliàs enim ſequeretur omnes creaturas fore Dei accidentia.

§. 103. ANTILOGIA III.

A*ct.* 15. *v.* 18. Nota ſunt Deo ab ævo omnia opera ſua.

Act. 20. *v.* 27. Non ſubterfugi, quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei.

2. *Tim.* 1. *v.* 9. 10. Salvos facit nos & vocavit vocatione ſanctâ non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data quidem eſt nobis per Chriſtum JEſum ante tempora æterna. Sed palam facta eſt nunc per apparitionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.

DUBIUM.

1. In duobus Locis prioribus Deo multa tribuuntur Decreta & conſilia. Quia vocantur πληθυντικῶς, *omnia opera* Dei: & καθολικῶς, *omne conſilium* Dei: At in tertio Loco μοναδικῶς dicitur propoſitum Dei.

2. Si multa in Deo ſunt decreta & conſilia: tum non poſſunt eſſe idem, quod eſſentia & voluntas divina. Quia hæc eſt una: illa verò ſunt varia & multiplicia. Ergò adhuc videtur ſequi Decreta Dei eſſe Accidentia Dei.

℞. I. Decreta Dei *dupliciter* conſiderantur. *Primò: objectivè*, & ſic ſunt varia & multiplicia: quia objecta ſunt varia.

Secundò: Activè, & ſic multa & varia ſunt, ſiquidem voluntas decretoria, ſive actus decernens ſubſtantialis in Deo non eſt multiplex, ſed unicus.

II. Intellectio conformatur rei intelligibili non ſecundum quantitatem numericam, ſed quoad voluntatem ſpecificam, h. e. prout eſt, verè concipere dicit. Etiam ſcientia fit ſecundum modum ſcientis, & ſcitum vel intellectum eſt in ſciente vel intelligente ſecundum modum ſcientis vel intelligentis, juxta *Axioma* vulgatum: Quicquid recipitur. Vel ut *Scalig.* enunciat: Omnia receptivum recipit non per modum imprimentis, ſed per modum ſuæ receptivitatis. Unde patet, non neceſſum eſſe, ut ſcientia Dei ſit vel univerſalis vel particularis, vel in habitu, vel in potentia, licèt objecta ſint vel univerſalia vel particularia. Idem etiam de decretis divinis judicium eſto.

§. 104. ANTILOGIA IV.

ROm. 11. v. 32. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, ut omnium miſereretur.

Gal. 3. v. 22. Scriptura concluſit omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide JEſu Chriſti daretur credentibus.

DUBIUM.

Pareus in Comm. in Epiſt. ad Rom. Locum priorem explicat per poſteriorem, & ſcribit, Deum non velle ſimpliciter omnium hominum miſereri, & omnes ſalvos fieri, ſed tantùm credentes: quoniam *Gal. 3.* univerſalis illa propoſitio ad ſolos credentes reſtringatur: ac proinde verba illa, τὸς πάντας ἐλεήσῃ non ad voluntatem Dei antecedentem, & omnium hominum ſalutem ſeſe extendentem, ſed ad voluntatem Dei abſolutam ea referunt. Unde hunc locum *c. 9. Rom. v. 16.* conferant, ubi Paulus inquit: Non eſt volentis neque currentis, ſed tantùm miſerentis Dei: Miſerebor, cujus miſerebor, miſeretur, cujus vult. Vide *Par. in loco allegat. p. 1211. & 1212.*

℞. Elegans eſt harmonia inter duo illa loca allata. Nam *Rom. 11.* dicitur: Deus concluſit, *Gal. 3.* Scriptura concluſit. Ibi intelligitur cauſa principalis: hîc inſtrumentalis. Senſus ſemiplenus κατὰ τὸ ῥητὸν eſt in locis ſejunctis: plenus verò in conjunctis, eſtqve talis; Deus voce legis concluſit omnes homines ſub peccatum.

2. *Rom. 11.* dicitur τὸς πάντας, *Gal. 3.* τὰ πάντα. Ibi Maſc. hîc Neutrum ponitur: idem tamen objectum materiale intelligitur.

3. *Rom. 11.* habetur εἰς ἀπείθειαν, *Gal. 3.* ὑπὸ ἁμαρτίαν. Ubi locus poſterior (quantum hoc vocabulum attinet) explicat priorem, videlicet ἀπειθεία, *Rom. 11.* accipienda ſit non εἰδικῶς, ut faciunt nonnulli Calviniani, videlicet *Polanus*, *Beza* & alii, qui putant ἀπειθείαν non reddendam eſſe per incredulitatem, ſed per contumaciam.

4. *Rom. 11.* inquit Paulus: Ut omnium miſereretur, *Gal. 3.* ut promiſſio ex Fide JEſu Chriſti daretur credentibus. Ubi non eſt putandum, quod verba hæc poſterioris loci ſint explicatio loci prioris, ut putat *Pareus in Comm. ad Rom. p. 1140.*

Nam *Locus prior* explicat voluntatem Dei antecedentem, ſive ardentiſſimum Dei deſiderium, & univerſalem omnium hominum miſerendi intentionem: *poſterior* verò explicat voluntatem Dei conſequentem, ſive actualem bneficiorum Chriſti applicationem, quæ eſt particularis, non univer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

univerſalis, non culpa Dei, ſed hominum. In Loco enim priori miſericordia Dei conſideratur ex parte ſolius Dei: in loco poſteriori ex parte Dei & hominum ſimul. Intervenit namqve fides, quæ quia particularis eſt, particularis quoque applicatio meriti Chriſti evadit. *Breviter: locus prior* explicat objectum, cujus Deus velit miſereri, nempe omnium hominum: *Locus* verò *poſterior* explicat modum & ordinem miſerendi, nempe quod Deus velit hominum miſereri eorum, qui fide promiſſionem de Chriſto ſibi applicant.

§. 105. ANTILOGIA V.

PSal. 115. v. 3. Quæcunque Deus voluit, fecit in cœlo & in terra.

Eſa. 65. v. 12. inquit Deus: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem: pro eò, quod vocavi & non reſpondiſtis mihi: Locutus ſum & non audiviſtis, & faciebatis malum in oculis meis: & quæ ego NOLUI, vos elegiſtis.

DUBIUM.

In Loco *priori* dicitur, quod, quæcunque Deus velit, ſemper illa impleantur in cœlo & in terra. Ergò, quando in loco *poſteriori* dicitur, quod Deus velit reproborum ſalutem, non videtur ea ſeria Dei voluntas. Nam aliàs etiam reprobi ſalvarentur.

℟. 1. Ita quidem argutantur *Calviniani*, diſtinguentes inter *voluntatem Signi & beneplaciti.* Dicunt Deum voluntate *Signi* velle omnium hominum ſalutem, non verò voluntate *beneplaciti.* Illam Signi, dicunt, non eſſe ſeriam Dei voluntatem. Unde *Piſcat. in Bibliis Germ.* ſuper *c. 3.* Joh. Evang. vocabulum Mundi perperam pro ſolis electis accipit. Verba ejus hæc ſunt: Dieſe Welt gehet nicht alle und jede Menſchen an/ ſondern allein die Auserwehlten/ das iſt/ die Menſchen/ welche GOtt von Ewigkeit zum ewigen Leben in Chriſto erwehlet hat. Dann ſonſten müſten alle Menſchen ſelig werden. Sintemal GOttes Liebe unwandelbar iſt.

Cui nos clara hæc Scripturæ teſtimonia opponimus, *1. Tim. 2. v. 4.* Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Quod adeò verum eſt, ut etiam Deus hanc voluntatem de peccatorum ſalute benevolam & gratioſam juramento confirmet, quando inquit apud *Ezech. c. 18. v. 23.* Vivo ego Deus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. Diſtinguimus inter *voluntatem* Dei *abſolutam & ordinatam*, illa ſemper impletur, *Pſal. 115. v. 3.* hæc non item, uti Scripturæ teſtimoniis evidenter oſtendi poteſt; ipmrimis ex ſupra allegato dicto *Eſa. 65. v. 12.* Et Chriſtus graviter conqueritur *Matth. 23. v. 37.* quando ad refractarios Judæos inquit: Quoties Volui vos congregare (ſcil. ad gremium Eccleſiæ) & vos noluistis. Quo igitur ore, quave audaciâ Piſcator auſus fuit, affirmare, Dei voluntatem ſemper impleri? Vult quidem Deus, & ſeriò vult, omnes homines ſalvari, ſed cum hac conditione, ſi media ad conſequendam ſalutem ordinata uſurpaverint. Quia autem conditionem hanc plurimi homines non implent, voluntas Dei non fit, non culpâ Dei, ſed hominum, media ſalutis malitioſè contemnentium, ſicut D. Paulus *Act. 13. v. 46.* inquit ad Judæos: Vobis quidem primò oportebat annunciari, &c. Eleganti ſimili hoc declarari poteſt: Sicut herba ægro non medetur, niſi rectè uſurpetur & applicetur: Ita quoque virtus paſſionis Chriſti ſufficiens quidem eſt, ad tollenda peccata totius mundi, ſed illis ſolis prodeſt, qui Agnum Dei verâ fide recipiunt, *Joh. 1. v. 12.* Quo ſimili ipſe *Beza* utitur *in N. T. in gloſſ. marg. ad v. 29.*

3. Neque tamen hinc ſequitur, quod voluntas Dei mutetur, uti fingit *Piſcator.* Confundit enim ille Attributa Dei abſoluta & relativa ad Extra. In relatione enim ad creaturas multa de Deo dicuntur temporaliter, mutabiliter & accidentaliter, non quod ſubſtantiæ ipſius Dei aliquid accidat cum mutatione, ſed ſecundum accidens creaturæ, in qua fit mutatio, ut verè *Axioma Cyrilli* ſonat.

§. 106. Antilogia VI.

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum &c. *Joh. 3. v. 16.* *Matth. 1. v. 21.* Jeſus ſalvum faciet populum ſuum a peccatis.

Dubium.

In *Loco priori objectum* ponitur *univerſale*, Omnes homines in Mundo viventes: *In poſteriori* verò *particulare*, h. e. ſoli Judæi. Si igitur Chriſtus pro ſolis Judæis mortuus & paſſus eſt, quomodo meritum ad totum Mundum pertinet? Unde *Johannes Piſcator* & *Toſſanus* in Bibliis Germ. vocabulum Mundi pro ſolis Electis accipiunt. Quibus conſentit *Zanchius in Miſcell. in Edit. Neoſtadienſi Anno 603. pag. 298. & 299.* Item *Amandus Polan. in Syntag. Theol. lib. 1. 6. cap. 18. p. 2576. Edit. Hannovienſi.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

CONCILIATIO

DE LOCO PRIORI.

Extra Controverſiam eſt inter omnes Orthodoxos, quod vocabulum MUNDUS de *omnibus* in Mundo hominibus ſit accipiendum, illudqve prorſus argumentis invictis ad oculum demonſtrari poteſt.

1. *Ex Mundi ſignificatione.* Mundus qvidem varias in Scriptura S. obtinet ſignificationes: quando autem de hominibus uſurpatur, ſignificat duo: I. Notat infideles, *Joh. 1. v. 17.* Non pro Mundo rogo, h. e. pro impiis in Mundo. II. Significat infideles & fideles ſimul, ut in præſenti loco. Nullibi verò in univerſa Scriptura ſacra ſolos electos & credentes ſignificat.

2. *Ex Mundi diviſione*, de quo hîc ſermo eſt: Mundus dividitur in *Credentes* & *Incredulos, v. 18.* in eos, qui ſalvantur & condemnantur, *v. 19. 20.* Atqui totum genus humanum hoc modò dividitur: Quia præter credentes & incredulos tertia pars hominum monſtrari non poteſt. Ergò per Mundum *Joh. 3.* totum genus humanum intelligitur.

3. *Ex Officii Chriſti Quantitate* & *Qualitate.* Illum mundum Deus dilexit, & Filium ſuum ei miſit, propter quem non damnandum, ſed ſalvandum in mundum venit. Exſtat hæc Propoſitio *v. 17.* Non miſit DEus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum. Jam verò Chriſtus non tantùm propter credentes, ſed etiam propter incredulos non damnandos, ſed ſalvandos in mundum venit. Quod Chriſtus propter credentes ſalvandos in mundum venerit, eſt extra controverſiam: Quod verò propter incredulos non damnandos, ſed ſalvandos in mundum venerit, probo ex *Joh. 12. v. 47.* ubi ipſe Chriſtus inquit: Si quis verba mea audierit, & non crediderit, ego non judico eum: Non enim veni, ut judicem mundum, ſed ut ſervem eum. Ergò Mundus *Joh. 3.* omnes homines in mundo ſignificat.

4. *Ex Prædicationis Evangelicæ Univerſalitate.* Illum mundum Deus dilexit, & Filium ſuum unigenitum ei miſit, cui Evangelion de Chriſto prædicari demandavit. Quia Evangelium id promittit, quod Pater in Chriſto nobis dedit, & Chriſtus nobis acquiſivit. Unde quam latè patet Evangelium de Chriſto, tam latè quoque patet dilectio Dei Patris & meritum Chriſti Redemptoris. Aliàs enim Evangelion mendax eſſet; quia plus nobis promitteret, quàm Pater nobis dediſſet, & Chriſtus nobis acquiſiviſſet: quod impium & blaſphemum, *Vid. 1. Tim. 3. verſ. 4. 5. 6. 7.* Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. Tim. 1. v. 9. 10. & 11. Jam verò Evangelion ex mandato Chriſti annunciari debet non ſolis Electis, ſed omni Creaturæ rationali, quæ in mundo eſt, *Marc. 16. v. 15.* inqvit Chriſtus ad Diſcipulos: Ite in mundum univerſum, & prædicate Evangelion omni Creaturæ, *Matth. 28. v. 19.* docete omnes gentes, *Coloſſ. 1. v. 23.* inquit Paulus, quod Evangelion prædicatum ſit omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt. Ergò Mundus *Joh. 3.* totum genus humanum ſignificat.

5. *Ex Incredulorum damnatione.* Increduli propterea damnantur, quia in Chriſtum non credunt, *v. 8.* Qui non credit (in DEum) ἤδη κέκριται, jam judicatus eſt, ὅτι, QVIA non credit in Nomen unigeniti Filii Dei. Hinc ita argumentamur: Qui propterea damnantur, quod non credant in Nomen unigeniti Filii Dei, ipſis Filius Dei eſt miſſus & datus, ut ipſi credant & ſalvi fiant. Quia aliàs juſtè damnari non poſſent. Jam verò Increduli propterea damnantur, quod non credant in Nomen unigeniti Filii Dei, ſicut etiam ipſe *Toſſanus in Bibliis ſuis Germanicis* concedit, quando ſcribit: In der andern Zukunfft wird der Sohn GOttes kommen als ein Richter / und wird die / ſo ſeine Gnade und Verdienſt ſeines Todts durch Unglauben verworffen haben / verdammen. Ergò.

6. *Ex abſurdo conſequente.* Si ex ſententiâ *Piſcatoris*, *Toſſani*, aliorumqve Calvinianorum Filius Dei reprobis nullo modo eſt datus, neque propter illos ſalvandos miſſus, ſequitur, quod reprobri in eum credere non debeant, & per conſequens juxta Piſcatorem, Toſſanum, & alios cauſa damnationis reproborum non eſt hæc, quod in Filium Dei non credant. At conſequens eſt abſurdum & blaſphemum, quia Chriſtum mendacii arguit: Ergò & antecedens, quod Piſcatoris, Toſſani & aliorum Calvinianorum eſt, abſurdum & blaſphemum erit.

DE LOCO POSTERIORI.

Neqve tamen Locus poſterior huic aſſertioni repugnat. Siquidem non excluſivè dicit, quod tantùm Judæos ſalvaturus ſit. Diſtinguant enim Adverſarii inter propoſitionem excluſivam & indefinitam. Hæc ſæpe univerſali æquipollet, uti vel pueris ex Logicis notum eſt. Deinde ne ſic quidem hypotheſis Calviniſtarum ſalvari poteſt, quod Chriſtus Reproborùm Salvator non ſit. Nam inter Judæos multi erant reprobi, pro quorum ſalute Chriſtus in mundum venit. Quare diſcant Calviniani accuratè diſtingvere inter Meritum Chriſti & ejus applicationem. Meritum Chriſti eſt univerſale, ſed applicatio eſt particularis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 107. ANTILOGIA VII.

E*ſa. 53. v. 4.* Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit.

Matth. 8. v. 16. 17. Veſpere autem facto obtulerunt ei (JEſu) multos, Dæmonia habentes: & ejiciebat Spiritus verbo, & omnes male habentes curavit; ut adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras ἔλαβε, accepit, & ægrotationes noſtras ἐβάςασεν, portavit.

DUBIUM.

Eſaias loquitur de oneroſa portatione. Quia *v. 6.* Deus conjecit in eum iniquitates omnium noſtrûm, & *verſ. 4.* dicitur, quod ipſe languores noſtros verè tulerit, & dolores noſtros portaverit, quandoquidem Deus illum flagellavit, percuſſit, afflixit, uti *v. 5.* dicitur. At *Matthæus* loquitur de ſimplici ablatione morborum corporalium: quia potentiâ ſuâ infirmitates & morbos hominum ad ſe adductorum abſtulit. Ex hoc igitur Loco Locum Eſaiæ explicat *Oſtorodus*, & contendit, verbum *tollere* & *portare* non de oneroſa portatione & geſtatione, ſed de ſimplici ablatione intelligenda eſſe. Nam, inquit, Chriſtus infirmorum morbos non in ſe recepit, & loco illorum ægrotavit, & ita eos ſanavit. Hoc enim nemo affirmabit, ſed potiùs dicet, Chriſtum morbos illorum potentiâ ſuâ divina abſtuliſſe & abjeciſſe. Unde etiam verbum *portare*, quô Eſaias utitur, de morbis ſpiritualibus uſurpatum, nihil aliud ſignificare; quam ſimplicem peccatorum ablationem ac remotionem.

℞. *Fundamentum Interpretationis Scripturæ S.* duplex eſt: *Abſolutum & Comparativum.*

Fundamentum Interpretationis Abſolutum eſt, quando unumquodqve dogma ex propriâ ſede, in quâ ex profeſſo de eo agitur, explicatur, idqve vel ex textus συνεχείᾳ vel ex textus literâ.

Fundamentum Interpretationis Comparativum, quando dictum aliquod ex fidei analogiâ, ſive ex Locorum parallelorum συγκρίσει & collatione explicatur. Jam verò conſtat inter omnes, quod πρώτως & ἀμέσως, h. e. primò & immediatè dogma unumquodqve ex propriâ ſede interpretandum ſit. Δευτέρως verò ſecundum fidei analogiam ex Locis parallelis. Unde fundamentum illud Interpretationis primarium, hoc verò ſecundarium appellatur. Idcircò, cùm Eſaias Propheta ex profeſſo de peccatorum noſtrorum expiatione & redemptione loquatur, eamqve

verbis

verbis adeò graphicè deſcribat, ut non tam *Prophetam* quàm *Evangeliſtam* agere videatur, utiqve de mente ipſius ex propriis ejus verbis judicandum eſt. Conſtat autem ex ipſo contextu, quod loquatur *Eſaias* de ſpirituali peccatorum noſtrorum ablatione, quæ cum oneroſa portatione eſt conjuncta. *Matthæus* verò loquitur de morborum corporalium ablatione: ac proinde verba Eſaiæ ἀναλογικῶς ad morbos corporales accommodat. Quod autem Eſaiæ Prophetæ mens illa ſit, ex textus ἀναλύσει evidenter demonſtrari poteſt, in quo notanda ſunt quinque:

I. *Principium imponens* eſt Deus iratus Judex, qui in Chriſtum ponit & conjicit omnium noſtrûm peccata, *v. 6.*

II. *Objectum*, h. e. id, quod Chriſto imponitur, ſunt tum peccata noſtra, tum pœnæ peccatis noſtris debitæ, *v. 5. 6. 10. 12.*

III. *Subjectum* recipiens eſt Chriſtus Agnus Dei, qui hîc cum Ove & Agno comparatur, & *v. 11.* SERVUS DEI JUSTUS appellatur.

IV. *Modus receptionis* exprimitur vocibus נָשָׂא & סָבַל qvæ oneroſam portationem in hac Materia ſignificant, uti ex ipſo contextu evidenter patet. Dicitur enim Chriſtus propter iniquitates noſtras flagellatus, contritus, percuſſus, afflictus & vulneratus eſſe, *v. 4. 5. & 12.*

V. *Finis* eſt 1. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, *v. 5.* Hîc caſtigatio Chriſto propter peccata noſtra inflicta, eſt nihil aliud, quàm pœna, quæ relativè delictis oppoſita ab effectu, quem nobis parit, diſciplina vel caſtigatio pacis appellatur. Unde 2. ſubjungitur. Livore ejus ſanati ſumus. 3. Animam pro nobis poſuit אָשָׁם *v. 10.* h. e. victimam vel ſacrificium pro peccato, zum Schuld-Opffer.

§. 108. ANTILOGIA VIII.

JOh. 1. v. 9. Chriſtus eſt Lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Matth. 15. v. 24. inquit Chriſtus ad mulierem Cananæam: Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſraël.

DUBIUM.

In utroqve Loco agitur de officio Chriſti Prophetico, ſed *in priori* ejus Univerſalitas celebratur, quod etiam in aliis Locis parallelis confirmatur, videlicet *Eſa. 9. v. 2.* & *Luc. 2. v. 11.* At *in Loco poſteriori* ejus univerſalitas ab ipſo Chriſto negatur, quando inquit: Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas Iſraël. In Græco textu occurrit particula εἰ μὴ, h. e. NISI, quæ excluſivè accipitur, ſicut etiam *Gal. c. 2. v. 16.* patet, ubi dicitur: Scimus

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

non juſtificari hominem ex operibus Legis, εἰ μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, h. e. niſi per fidem JEſu Chriſti, h. e. ſolâ fide.

CONCILIATIO.

In *Loco priori* vox Græca Φωτίζων, h. e. *illuminans* accipitur *tripliciter:*

I. *Quidam* eam accipiunt Φυσικῶς ſive naturaliter de luce naturæ, quod à luce hac omnes homines illuminentur: Et hanc lucem naturæ docent eſſe rationem ſive intelligendi virtutem, quâ homo diſcernitur à brutis. Et hæc ſententia eſt plerorumqve Calvinianorum, videlicet *Zanchii*, *Marlorati*, *Bezæ*, *Polani*, *Piſcatoris* &c. Verùm hæc interpretatio neqve cum fidei analogia, neqve cum Evangeliſtæ διανοίᾳ congruit. Nam 1. Chriſtus non ideò in Mundum venit, ut homo creatura rationalis fieret. 2. Neqve hoc ipſum Baptiſta de Chriſto teſtatus fuit, qui tamen à Deo miſſus, venit, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum, *Joh. 1. v. 7.* 3. Neqve Baptiſtæ Pater, Zacharias, de naturali, ſed de ſpirituali illuminatione vaticinatus eſt, idqve patet tum *ex titulo*, tum *ex exercitio: Ex titulo,* quia Chriſtum ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, h. e. Orientem ex alto, *Luc. 1. v. 78.* vocat. Deinde *ex Exercitio*, quia in *v. 79.* ſtatim de Chriſto, quem vocat Orientem ex alto, ſubjungit; Ut illuceſceret his, qui in tenebris & umbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

II. *Alii Theologi* hanc vocem *de actu ſecundo* exponunt, & illi particulam OMNEM hominem accipiunt in ſenſu limitato vel reduplicato, ita ut ſenſus ſit: Omnis homo, quicunqve illuminatur, ab hac unica luce & non ab alia illuminatur; neqve tamen omnes illuminantur: quia ſtatim additur: Mundus eum non agnovit, & ſui eum non receperunt. Et ita exponit *D. Auguſtinus*; & ex eo *Lombardus*, quos *D. Hunnius* & *Oſiander* in notis marginalibus ſeqvuntur. Verùm nos hanc ſententiam non probamus. Quia cum mente Evangeliſtæ non congruit, id quod ita demonſtramus. Ubicunqve limitatio in textu expreſsè ponitur: ibi limitatio alia, eaqve contraria in textu non continetur implicitè, εὔδηλον. Aliàs enim Ταυτολογία committeretur. Atqui hîc expreſsè limitatio in textu ponitur, videlicet *venientem in hunc mundum.* Omnem igitur hominem venientem in hunc mundum hæc lux illuminat. Ergò de actuali illuminatione illorum, qui illuminantur, intelligi hæc verba non poſſunt. Nam ſi illuminat omnes homines & ſingulos. Ergò non aliquos. Ergò non eos tantùm, qui illuminantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

III. Magis igitur cum textu Evangeliſtæ congruit interpretatio illorum Theologorum, qui *de actu primo* exponunt, & hi reſpiciunt tum *DEI ordinationem*, quod hoc ſit conſilium DEI, Filium ſuum in hunc mundum mittentis, ut omnes homines illuminaret, tum *Filii DEI facultatem*, quod ſolus poſſit, & voluntatem, quod etiam velit omnes homines & ſingulos homines, quantum in ſe eſt, illuminare. Quia offert verbum Evangelii, quod eſt ordinarium illuminationis medium omnibus hominibus, juxta illud: Docete omnes gentes, *Matth. 28. verſ. 19.* Et prædicate Evangelion omni Creaturæ, *Marc. 16. v. 15.*

Et hæc Explicatio etiam hâc ratione probari poteſt: *Sicut* Apoſtoli ſunt Lux Mundi: *Ita* etiam Chriſtus eſt Lux mundi. Quia illi Lux mundi dicuntur per & propter Chriſtum. Sunt enim Miniſtri Chriſti, & prædicant Evangelion de Chriſto. Jam verò Apoſtoli ſunt Lux mundi non φυσικῶς, ſed πνευματικῶς, reſp. videlicet divinæ ordinationis, ut omnibus hominibus in mundo Evangelion de Chriſto annuncient. Ergò etiam Chriſtus eſt Lux mundi non φυσικῶς, ſed πνευματικῶς: quia Diſcipulus & Miniſter non eſt ſupra Dominum & Magiſtrum. Hûc quoqve elegans gloſſa *Megal. Luth.* quam ſuper *cap. 1.* Joh. Evangeliſtæ habet, referri poteſt, quæ talis eſt: Chriſtus iſt das Licht der Welt / der erleuchtet durchs Evangelium alle Menſchen / denn es wird allen Creaturen geprediget / und allen fürgetragen / die Menſchen ſind und werden.

DE LOCO POSTERIORI.

Quod verò Locum poſteriorem attinet, diſtingvendum eſt inter *Officium* Chriſti *Sacerdotale* & *Propheticum*. *Non* intelligendus eſt Locus ille *de Officio* Chriſti *Sacerdotali*, quod eſt univerſale; quia ipſe eſt Servator omnium hominum, *1. Tim. 4. v. 10.* ſed *de Officio Prophetico*; Quia ipſe erat Miniſter circumciſionis, h. e. populi Judaici circumciſi, *Rom. 15. v. 18.* Et Judæis primò annunciari oportebat Evangelion, *Act. 13. v. 42.*

2. Si Locus hic intelligendus eſſet de Officio Chriſti Sacerdotali, ita contra Calvinianos concludo: Per oves domus Iſraël intelliguntur Iſraëlitæ vel carnales vel ſpirituales. *Si prius:* ſeqveretur, ad ſolos Judæos pertinere Chriſti meritum, eosqve ſolos eſſe electos. *Si hoc:* E. ad Calvinianos planè non pertinet, neqve Calviniani ſunt electi, quod ipſi nunqvam concedunt. *Sin* verò *poſterius*, ſeqveretur, Chriſtum injuſtè hanc mulierem rejeciſſe, quia dicit, ſe ad eam non fuiſſe miſſum; cùm tamen fuerit ſpiritualis Iſraëlita, h. e. filia promiſſionis.

3. Hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

3. Hanc noſtram ſententiam confirmat explicatio *Tilenii*, Calviniani Sedanenſis, quam proponit in *Syntagm. ſuo Diſput. Theol. part. 2. Diſ. 2. th. 15. 16. 17. 18. 19. pag. 477.* ubi ſcribit, quod Objectum Prophetiæ Chriſti ſint homines, quibus Chriſtus doctrinam ſuam annunciaverit, iique *dupliciter* conſiderentur, non

1. *Communiter* & *Generatim:* Et ſic ad hoc Objectum pertinent *omnes filii Adæ:* ſiquidem conſtitutus fuit Chriſtus, ut eſſet Lux gentium, ac ſalus uſque ad finem terræ, *Eſa. 49. v 6.*

2. *Singulariter* & *Speciatim.* Et ſic Chriſtus tantùm miſſus eſt ad oves perditas domus Iſraël, quas ipſe immediatè & per ſe verbi ſui pedo colligeret, & intra Eccleſiæ ſuæ ſeptum cogeret, *Matth. 15. v. 4.* Interim ita reſpexit primogenitum ſuum, ut nec Samaritanos nec Cananæos prorſus deſpexerit, *Joh. 4. v. 26. Matth. 15. v. 22.* ne ποδεσία potiùs in circumciſionis ſupercilio, quàm in fidei patrocinio collocaretur.

§. 109. ANTILOGIA IX.

1. T*Im. 4. v. 10.* Chriſtus eſt Salvator omnium hominum, maximè verò fidelium.

Hebr. 2. v. 10. Decebat eum, propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, ut multis Filiis in gloriam adductis Principem ſalutis eorum per afflictiones perfectum redderet.

DUBIUM.

In *priori Loco* Chriſtus omnium hominum dicitur Salvator: In *poſteriori* verò Princeps ſalutis non omnium hominum, ſed tantùm filiorum Dei nuncupatur.

CONCILIATIO.

Locum priorem *Calviniani* perperam exponunt, quia per σωτῆρα intelligunt non ſalutis æternæ ac ſpiritualis datorem, ſed liberationis è periculis hujus vitæ auctorem.

2. Dicunt, Paulum agere non de ſalute animarum per Chriſtum partâ, ſed de univerſali Dei Providentiâ, quâ conſervat in hac vita omnes homines, maximè verò fideles, ſiquidem, inquiunt, alludit Apoſtolus ad *Pſalm. 36. v. 8.* ubi dicitur: Homines jumenta ſervabis Domine. *Piſcator in Bibl. Germ.* reddidit: GOTT iſt Erhalter aller Menſchen / am meiſten aber der Gläubigen: Ein Erhalter / der alle Menſchen in dieſem zeitlichen Leben erhält / und ihnen viel Guts thut. *Beza* ſic reddidit: Deus eſt conſervator omnium hominum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

VINDICATIO.

Verùm hæc ſententia nullo modo congruit cum Apoſtoli διάνοια. Nam quando ipſe in Loco allegato DEUM omnium hominum σωτῆρα vel Salvatorem appellat, tum hanc vocem ἀμέσως & immediatè de Salvatione ſpirituali à peccatis noſtris: ἐμμέσως verò conſervationem providentiæ divinæ ſubintelligit; quia hæc eſt illi incluſa. Quare hæc ita eſt ponenda, ut tamen illa non negetur. Nam poſita ſpecie, genus non eſt tollendum, ſed ponendum. Quare in omnibus ſuis argumentis Calviniani ſententiam ſuam probare præſumunt, Elenchum oppoſitorum committunt, quia ab aſſertione unius ad negationem alterius procedunt. Nos autem ſententiam noſtram orthodoxam ſequentibus fundamentis demonſtramus.

I. *A D. Pauli ſcopo.* Scopus D. Pauli eſt, quod Timotheum velit admonere ad pietatis exercitium, quando inquit *v. 7.* γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, h. e. exerce temetipſum ad pietatem. *Argumento* autem utitur *gemino in v. 8.*

1. Deſumptum eſt *ab oppoſito* ſive exercitii corporalis vilitate hoc modo: Exercitium corporale (v. g. jejunia, vigiliæ) modicum prodeſt, quia apud Deum per ſe nos non commendat, ſed tamen occaſio eſt, ut rebus ſacris diligentius incumbere queamus. E. exerce te ad pietatem.

2. *Ab Effectu*, ſive eximia pietatis utilitate, hoc modo Pietas ad omnia utilis eſt, Ergò pietatem exerce.

Antecedens probat, quia Pietas habet promiſſionem hujus & futuræ vitæ: promiſſionis verò hujus certitudinem aſſerit *v. 9.* quando inquit: Indubitatus ſermo dignusq; qui omnibus modis approbetur. Unde patet, quod Paulus hîc agat de re non corporali, ſed ſpirituali, videlicet de pietate.

II. *A vero conſolationum fundamento.* Poterant Timotheum à pietatis exercitio deterrere varia calamitatum genera, quibus obnoxii ſunt pii. Ergò D. Paulus ipſi veram piorum in omnibus calamitatibus conſolationem proponit, quæ hæc eſt, quod ſperent in Deum viventem & Salvatorem omnium hominum. Si jam vox Σωτὴρ in hoc loco non notaret Salvatorem ſpiritualem, ſive ſalutis æternæ datorem, ſed tantùm corporalem Servatorem, h. e. homines in vita naturali conſervaret, tum nervus hujus conſolationis eſſet inciſus, tum quoad Timotheum, tum quoad omnes pios. Nam 1. Timotheus excepiſſet, quid juvat ſperare in Deum vitæ

hujus

hujus Conſervatorem: quia pios non ſervat; id quod plurimorum jam Apoſtolorum & Electorum martyrum ignominioſa mors abundè teſtatur. Ergò hinc ſolatii parum mihi ſperare licet. 2. Pii in flammis concremati, aut aliis modis horribiliter trucidati ſpe ſuâ fruſtrati fuiſſent, quia in vita naturali à Deo non fuerunt conſervati. Ergò intelligitur hîc non tantùm conſervator in vitâ naturali, ſed imprimis Salvator ſpiritualis, ſive dator æternæ Salutis.

III. *A Spirituali nominis τοῦ σωτῆρος acceptione.* Vox σωτῆρος quando de Deo vel Chriſto uſurpatur in N. T. tum nuſpiam ſignificat Conſervatorem in rebus corporalibus & externis, excluſâ Salvatione ſpirituali, ſed ſemper notat liberatorem & Salvatorem ſpiritualem, German. einen Heyland. Et hoc Axioma ex inductione Locorum ad oculum demonſtrari poteſt, vid. *Luc. 1. v. 47. cap. 2. v. 11. Joh. 4. v. 42. Act. 5. v. 31. cap. 13. v. 23. Epheſ. 5. v. 23. Phil. 3. v. 20. 1. Tim. 1. v. 1. c. 2. v. 3. 2. Tim. 1. v. 10. Tit. 1. v. 3. & 4. c. 2. v. 10. & 13. cap. 3. v. 4. 6. 1. Joh. 4. v. 14. 2. Pet. 1. v. 1. 11. cap. 2. v. 20. cap. 3. v. 12. 18. in Epiſtola Judæ v. 25.* In illis Locis omnibus quando Chriſtus dicitur Salvator noſter, tum non duntaxat intelligitur conſervator, ſed Salvator, vel non Conſervator in rebus temporalibus tantùm, ſed imprimis vitæ æternæ largitor & dator.

Coronidis Loco inter hunc Locum Pauli & Johannis Apoſtoli, qui *1. Joh. 2. v. 2.* extat, elegans collatio inſtitui poteſt. In hoc *Loco Paulino* inſignis exprimitur κατάβασις, h. e. Deſcenſus. In *Loco* verò *Johannitico* ἀνάβασις, h. e. adſcenſus inſinuatur. D. Paulus non καταβατικῶς, h. e. per deſcenſum à genere ad ſpeciem progreditur. Johannes verò Apoſtolus ἀναβατικῶς, h. e. per aſcenſum à ſpecie ad genus argumentatur. Unde venuſtè Locus Paulinus vocari poteſt ἀναλυτικὸς, h. e. reſolutivus. Locus verò Johannis Apoſtoli συνθετικὸς, h. e. compoſitivus vocari poteſt.

DE LOCO POSTERIORI.

Locus *poſterior* loqvitur de ſalutari fructu ſive de applicatione meriti Chriſti, quæ particularis eſt, & ad ſolos fideles pertinet, non culpâ DEI, ſed incredulitate hominum meritum Chriſti Catholicum malitioſè rejicientium. Sed hinc inferri non poteſt, quod ipſum Chriſti meritum univerſale non ſit. Nam in Loco priori uterqve reſpectus conjungitur, quando ab Apoſtolo Paulo dicitur: Chriſtus eſt Salvator omnium hominum (intellige quoad meriti acquiſitionem) maximè verò fidelium (propter meriti Chriſti applicationem.)

Similiter *in Loco* etiam *poſteriori*, quem tamen Adverſarii nobis op-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ponunt, uterqve reſpectus meriti Chriſti ad oculum demonſtrari poteſt. Nam univerſalitatem meriti Chriſti reſpectu acquiſitionis confirmat in *v.9.* ubi inqvit: Eum, qui pauliſper diminutus erat infra Angelos, cernimus JEſum propter cruciatum mortis, gloriâ & honore coronatum, ut per gratiam DEI *pro omni* guſtaret mortem. En meriti Chriſti univerſalitatem: De Applicatione verò ſive fructu & effectu ejusdem ſubjungit *v.10.* ſequenti, ubi inqvit: Decebat eum, propter quem ſunt omnia, & per qvem ſunt omnia, ut multis filiis in gloriam adductis Principem ſalutis eorum per afflictiones perfectum redderet. Unde patet, quod Adverſarii noſtri *Elenchum Oppoſitorum* committant, quando ea, quæ oppoſita non ſunt, ſed ſubordinata, opponunt.

§. 110. ANTILOGIA X.

2. COr.5.v.19. DEus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi.

Act. 20. v. 28. DEus ſuo ſangvine redemit Eccleſiam.

ANTILOGIA XI.

1. TImoth. 2. v. 6. Chriſtus dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus.

Matth. 26. v. 28. Hic eſt ſangvis meus N. T. qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.

CONCILIATIO.

Ad hæc Loca concilianda *triplicem Claſſem* dictorum Scripturæ de merito Chriſti loqventium conſtituemus.

I. *CLASSIS.*

Quædam dicta ſunt *univerſalia*, in quibus ex profeſſo univerſalitas meriti Chriſti proponitur, vel vocabulo Collectivo, ut Chriſtus eſt Lux Mundi, *Joh.8.v.21.* Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius Mundi, *1.Joh.2.v.2.* Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, h. e. in mortem traderet pro Mundi peccatis, *Joh.3.v.16.* Vel univerſali ſigno, ut Chriſtus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *Joh.1.v.9.*

II. *CLASSIS.*

Quædam Scripturæ dicta ſunt *Particularia*, *eaq;* ratione diverſorum ſubjectorum ſunt *duplicia*, vel enim loqvuntur *de Renatis* & *Electis*, vel de *non renatis* & *reprobis*.

SECTIO I.

Dicta, quæ loqvuntur de *Renatis* & *Electis*, rurſus ſunt duplicia. Vel enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

enim loqvuntur de meriti Chriſti acquiſitione, vel de ejuſdem applicatione, ſive de fructu ſalutari.

De Acquiſitione loqvuntur ſeqventia Loca, *Joh. 10. v. 15. Act. 20. v. 28. Rom. 8. v. 33. 34. Epheſ. 5. v. 25. Hebr. 13. v. 20.*

De Applicatione ſive fructu ſalutari meriti Chriſti hæc loqvuntur, *Matth. 1. v. 21. Joh. 11. v. 52. Rom. 11. v. 26. Epheſ. 5. v. 23. Hebr. 2. v. 10. c. 5. v. 19. c. 10. v. 14. c. 14. v. 2.*

SECTIO II.

De *impiis* & *reprobis* dicta illa loqvuntur, quæ docent, quod Chriſti meritum nomine acquiſitionis ad illos pertineat, ut ſunt: *Rom. 14. v. 14.* Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus eſt mortuus, *1. Cor. 8. v. 11.* Sic peribit frater tuus, qui infirmus eſt in ſcientia tua, pro quo Chriſtus fuit mortuus. Item *2. Pet. 2. v. 1. Heb. 10. v. 9.*

III. *CLASSIS.*

Quædam dicta ſunt *Indefinita*, ut quando dicitur, quod Chriſtus mortuus ſit pro MULTIS, ut *Eſa. 53. v. 12. Matth. 26. v. 28. Marc. 10. v. 45. Joh. 11. v. 51. Ebr. 2. v. 15. & 17.* it. *cap. 9. v. ult.*

USUS.

Uſus harum Regularum verus eſt *geminus*. *Unus* eſt *Theoreticus*, alter *Practicus*.

Theoreticus eſt, quod dicta Scripturæ de merito Chriſti diverſimodè loqventia, illis mediantibus rectè intelligi & dextrè explicari qveant.

Practicus eſt, quod ex illis Univerſalitas meriti Chriſti contra *Calvinianos* ὀφθαλμοφανερῶς demonſtrari poſſit. Nam in *prima Claſſe* expreſsè docetur, qvod Chriſtus ſit Salvator totius Mundi, & omnium in mundo hominum viventium: In *ſecunda Claſſe* docetur, qvod Chriſtus non tantùm Electorum (qvod etiam Calviniani concedunt) ſed etiam reproborum ſit Salvator (quod illi negant.) Si igitur Chriſtus & Electorum & reproborum eſt Salvator, utiqve Catholicus eſt Mundi Salvator: Quia præter Electos & reprobos tertium genus hominum dari neqvit.

§. III. ABUSUS.

Calviniani hiſce Regulis abutuntur ad *Particularitatem* meriti Chriſti probandam.

1. Enim proferunt *illa* Scripturæ *Loca*, quæ docent, Chriſtum mortuum eſſe pro *fidelibus* & *electis*.

℞. Verùm in vanum laborant: Nam ex Logicis notum eſt, qvod Axioma par-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ma particulare affirmatum axiomati univerſali affirmato non contrarietur, ſed potius ſubordinetur. Utrumqve enim Scriptura docet: 1. Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus, ut patet ex Claſſe prima. 2. Chriſtum mortuum eſſe non tantùm pro fidelibus ſive Electis, ſed etiam pro impiis & reprobis. Utrumqve igitur fideli corde credendum, neqve prius poſteriori eſt opponendum, præſertim cùm nullibi in illis dictis addatur particula excluſiva, quòd pro ſolis fidelibus & Electis Chriſtus ſit mortuus; neqve etiam per bonam conſeqventiam hoc ipſum ex illis deduci poſſit.

2. Afferunt illa Scripturæ Loca, quæ docent, Chriſti mortem & meritum *ſolis credentibus* prodeſſe & ſalutare eſſe.

℞. Sed & hîc Elenchum ἑτερο ζητήσεως committunt. Etenim ſtatus controverſiæ inter nos & Calvinianos non eſt de meriti Chriſti applicatione, ſed de ejusdem acquiſitione: Priori reſpectu illud particulare ab utraqve parte conceditur: poſteriori verò reſpectu illud univerſale eſſe à Calvinianis negatur, à nobis affirmatur. Hic igitur Rhodus, hic Saltus eſto; Hic igitur *Claſſis prima* dictorum Scripturæ Calvinianis eſt opponenda; quæ illis ſudes eſt in oculis: Deinde illa dicta Scripturæ, quæ in *Claſſe ſecunda Sect. II.* ſunt propoſita, de morte Chriſti pro impiis & reprobis præſtita illis ſimiliter ſunt opponenda, quippe quæ illorum ſententiæ è diametro contrariantur.

3. Addunt Scripturæ Loca, in quibus docetur, Chriſtum eſſe mortuum *pro multis*. Sed Axiomata hæc ſunt indefinita, ideoqve pro materiarum diverſitate modò axiomatibus univerſalibus, modò particularibus æquipollent. Nam Particula Multi modò γενικῶς, ut *Dan. 12. v. 2. Rom. 5. v. 19.* modò εἰδικῶς accipitur. Sed utravis harum ſignificatio recipiatur, orthodoxa ſententia nullo modo evertitur, quia dicta illa, quæ ab illis proferuntur in priori ſenſu Axiomatibus univerſalibus: in poſteriori verò ſenſu particularibus æquipollent. Sed tum Scriptura vel de meriti Chriſti acquiſitione loquitur indefinitè & non excluſivè, vel loqvitur non de re ipſa meriti acquiſitione, quæ univerſalis eſt, ſed de ejuſdem applicatione, quæ particularis, non ex Dei intentione, ſed ex hominum incredulitate.

Ex hiſce igitur Regulis Antilogiæ facilè conciliari poſſunt.

§. 112. ANTILOGIA XII.

MArc. 16. v. 15. & 16. inqvit Chriſtus: Ite in Mundum univerſum, & prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

zatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

1. Pet. 2. v. 7. 8. Chriſtus factus eſt Caput Anguli & lapis offendiculi iis, qui offendunt ad ſermonem immorigeri: εἰς ὃ, AD QVOD & poſiti fuerunt.

DUBIUM.

In Loco priori dicitur, quod Chriſtus juſſerit Apoſtolis prædicare Evangelium omni Creaturæ eum in finem, ut crederent & ſalvarentur: At in Loco poſteriori planè contrarium habetur, videlicet, quod immorigeri in illud ſint poſiti à Deo, ut in Chriſtum non credant. Unde ipſe Lapis offendiculi dicitur. Hinc Piſcator concludit, Miniſterium verbi divini apud majorem Judæorum partem fuerit inefficax, imò iis exitioſum, idq; ex intentione Dei.

℞. Dicta Scripturæ de vocatione Hominum loquentia explicant

PRIMO: *Dei conſilium*, idque in ſenſu vel *pleno:* quando ῥητῶς, expreſſè & explicitè conjunguntur; 1. Objectum, qui vocantur, videlicet omnes homines, nullo excepto, tum Electi, tum Reprobi. 2. Medium vocationis, ſcil. verbum Evangelii & Sacramenta, quæ ſine diſcrimine omnibus hominibus offeruntur. 3. Finis, quando finis & intentio Dei primaria & per ſe ſimul notificatur, videlicet ut pœnitentiam agant, Evangelio credant & in æternum ſalvi fiant.

Vel *Semipleno*, quando exprimitur vel objectum vocationis, vel objectum & Medium vocationis notificatur, ſed ſimul finis ῥητῶς & expreſſè non ponitur.

DEINDE: *Eventum*, qui conſideratur dupliciter:

I. *Ex parte Dei*, reſp. *Gratiæ primarius* eſt, quem Deus primò & per ſe intendit, ut homines convertantur & ſalvi fiant. Sic Evangelion dicitur Odor vitæ ad vitam. De hoc fine inquit Chriſtus *Joh. 12. v. 46.* Ego Lux in Mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Reſpectu verò *Iræ* eſt *ſecundarius*, quem Deus non πρώτως, ſed δευτέρως intendit. Quia Deus exercet Miſericordiam tanquam opus proprium: Iram verò tanquam opus alienum. De hoc Eventu Scriptura dupliciter loquitur:

Primò: Ἀρνητικῶς. Sic Chriſtus inquit *Joh. 12. v. 47.* Ego non veni, ut judicem mundum.

Secundò: Θετικῶς, *Joh. 9. v. 39.* In Judicium ego in hunc mundum veni, ut qui vident, cœci fiant, confer 2. *Theſſ. 2. verſ. 10. 11. 12. 1. Pet. 2. v. 7. 8. Luc. 2. v. 18.* Exemplum de Pharaone, *Rom. 9. v. 17.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Ex parte Hominum* alius finis eſt *ſubordinatus*, ut credere mendacio, *2. Theſſ. 2. v. 12.* alius *ultimatus*, videlicet ἀτιμία καὶ ἀπώλεια, Dedecus & interitus, *Rom. 9. v. 21. 22.*

Locus VII.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

§. 113. ANTILOGIA I.

ROm. 5. v. 20. Ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit gratia. *Matth. 20. v. 16.* Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

DUBIUM.

In *Loco priori* gratia Dei aſſeritur eſſe univerſalis: At in *Loco poſteriori* ſtatuitur eſſe particularis, & ſic vera inter duo illa Loca eſt Antilogia. Aut ſi hæc eſt tollenda: Huberi ſententia militabit, qui ita ex dicto *Rom. 5.* collegit: Si qui per Adamum fuerunt perditi, in Chriſto iterum reſtaurati, ſequitur, omnes eos, qui in Adamo fuerunt perditi: in Chriſto ad vitam æternam prædeſtinatos eſſe.

℞. 1. In Genere.

Locus prior loquitur de univerſali gratiâ & miſericordia Dei Patris, deque univerſali merito Chriſti Redemptoris. Sed *Locus poſterior* de Vocationis & Electionis Negotio. Priora duo pertinent ad Articulum Redemptionis: poſteriora ad Articulum Sanctificationis. Ibi viget Univerſalitas: Hic per accidens (nempe culpâ ſubjecti, cui fit applicatio) etiam regnat particularitas.

2. In Specie.

Rom. 5. Gratia Dei Patris & Meritum Chriſti Redemptoris dicitur abundare ſuper delictum, non quoad Electorum numerum, ſed quoad ἐνεργήματος καὶ χαρίσματος, h. e. quoad effectus præſtiti, donique à Chriſto acquiſiti abundantiam & præſtantiam. Etenim χάρισμα à Chriſto partum longè eſt excellius quàm Adami παράπτωμα & peccatum, idque dupliciter:

I. *Ratio-*

I. *Ratione* ποσότητος ſive *Quantitatis*: quia latiùs ſeſe extendit, ſicut inquit Apoſtolus *v. 16.* κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα: τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα, h.e. Judicium ſive reatus ex uno (ſcilicet peccato in condemnationem) Gratia autem (h. e. redemptionis beneficium) ex multis delictis in juſtificationem. Senſus hic eſt: Κατάκριμα ſive condemnatio ab Adamo fuit introducta non per multa, ſed per unum pecccatum. Siquidem non omnia Adami peccata poſteris ejus fuerunt imputata, ſed tantùm primum illud, quod ſubſequentium reſpectu Originale appellatur. Sed χάρισμα, h. e. gratioſa Chriſti redemptio ab omnibus peccatis præſtita eſt à Chriſto propter noſtram juſtificationem. Et ſicut non unum Adami παράπτωμα ſive peccatum poſteris Adami fuit communicatum: ita etiam non unum Chriſti χάρισμα, ſed omnia χαρίσματα, h. e. dona & bona à Chriſto præſtita, noſtri causâ ſunt præſtita. Tota enim obedientia Chriſti activa & facta non ſui, ſed noſtri cauſa eſt præſtita.

II. *Ratione* ποιότητος ſive *Qualitatis.* Quia cauſa præſtantior præſtantiores operationes edit. Jam verò Adam eſt homo merus: Chriſtus autem, licèt ſit homo verus, non tamen eſt homo merus, ſed ſimul Deus incarnatus. Chriſtus igitur Deus creator opus tum abundantius tum præſtantius edidit, hominem corruptum morte ſuâ reparando, quàm Adamus peccator hominem integrum ἀποστασίᾳ ſuâ depravando. Chriſti enim Juſtitia peccatis eſt abundantior & præſtantior *duabus* de *cauſis:*

Primo: *Quoad Remiſſionem.* Quia nullum eſt peccatum tantum, quod non propter Chriſti meritum remitti queat.

Secundo: *Quoad naturæ corruptæ reſtaurationem, peccatique detectionem.* Quia ſemper cum remiſſione peccatorum conjuncta eſt donatio Spiritus, qui naturam noſtram ſanctificat & peccatum mortificat in hâc vita inchoatè: in alterâ verò conſummatè. Unde patet, quod Huberus confundat in Loco Apoſtolico: Utriusque Principii videlicet Adami & Chriſti effectum ab utroque acquiſitum: & ſubjectum, cui fit applicatio, (nam aliàs etiam ex eodem medio *Huberiano* concludendum foret, juſtificationem noſtram univerſalem eſſe: quia Chriſti meritum eſt univerſale) ſed tantùm de utroque Principii effecto quoad acquiſitionem conſiderato. Et dicit, quod χάρισμα Chriſti ſit abundantius & præſtantius quàm παράπτωμα Adami, ut verbis formalibus Apoſtoli utar, quod ubi delictum abundavit, ibi gratia ſuperabundaverit.

Quod attinet locum *Matth. 20.* de illo ſtatim in Antilogia ſequenti dicturi ſumus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 114. ANTILOGIA II.

M*Atth. 20. v. 22.*. Multi ſunt vocati, pauci verò electi.
Rom. 8. v. 30. Quoscunque prædeſtinavit, hos & vocavit.

DUBIUM.

In Loco priori Vocati & Electi ratione Subjecti diſtingvuntur: In poſteriori verò pro hominis ἀντιστρεφούσοις æquè latè patentibus accipiuntur.

CONCILIATIO.

Vocati ſecundum ſenſum Spiritus S. in *quadruplici claſſe* ſunt conſtituti:

I. Quidam à DEO vocantur, ſed vocationem adſpernantur, & hi dicuntur κεκλημένοι, *Matth. 22. v. 3. 4. 5. 8. Luc. 14. v. 17. 18.* Hi quidem à Deo ſeriò ſunt vocati, voluntate non tantùm ſigni, ſed etiam beneplaciti, *Eſa. 65. v. 1. Matth. 23. v. 37. Prov. 1. v. 24.* Vocati igitur hi ſunt κατὰ πρόθεσιν τοῦ θεοῦ; quod autem vocati non veniunt, illud fit παρὰ πρόθεσιν τοῦ θεοῦ.

II. Quidam vocati in cœtu Eccleſiæ comparent, verùm non ex animo vero, ſed ſimulato & hypocritico: neque apud hoſce vocatio Dei παρὰ πρόθεσιν τοῦ θεοῦ propriâ hominum culpâ eventum non aſſequitur. Et hi non tantùm dicuntur κεκλημένοι, *Hebr. 9. v. 15.* Sed etiam κλητοὶ, *Matth. 20. v. 22.*

III. Quidam vocationis ἐπουρανίου fiunt participes, h. e. per verbum Dei regenerantur, Spiritu S. & fide donantur, illuminantur &c. Sed ad tempus credunt, poſtea verò deficiunt: neque initium fidei usque ad finem retinent contra Dei propoſitum & voluntatem, *Ebr. 3. v. 14.* Et hi non tantùm κεκλημένοι & κλητοὶ, ſed etiam verè πιστοὶ ad tempus dicuntur.

IV. Sunt denique pauci, qui non tantùm vocationi divinæ obtemperant, ſed in fide verâ uſque ad finem vitæ perſeverant. Et hi ſoli finem divinæ προθέσεως aſſeqvuntur: & κλητοὶ, h. e. vocati κατὰ πρόθεσιν τοῦ θεοῦ dicuntur. Quia non tantùm vocantur & juſtificantur, ſed etiam glorificantur.

Breviter: Vocati à Deo vel ſunt non venientes, vel venientes, ſed non credentes vel credentes, ſed in fide perſeverantes. Primi dicuntur κεκλημένοι. Secundi & tertii dicuntur κεκλημένοι & κλητοὶ. Quarti denique dicuntur κεκλημένοι & κλητοὶ ſecundum propoſitum Dei.

APPLI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Applicatio.

Chriſtus in parabolâ ſuâ *Matth. 20.* intelligit κλητȣ̀ς ſive vocatos ſecundi & tertii ordinis, uti ex ἐργασίᾳ Parabolæ patet. Omnes enim vocati vocationi obtemperant: quia vineam intrant, licèt non omnes voluntatem patrisfamilias expleant. Unde Chriſtus hoc Epiphonema exſtruit: Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

D. Paulus verò *Rom. 8.* intelligit vocatos quarti ordinis, h. e. juſtificatos & glorificatos. Et in hoc ſenſu vocati & prædeſtinati ſunt termini ἰσοδυναμȣ̃ντες ſive æquipollentes. Et de hiſce rectè Paulus pronunciavit: Quod prædeſtinavit, hos vocavit; Quâ gradatione D. Paulus ad diverſos Propoſiti divini gradus reſpicit, & actus prædeſtinationis tum ἀχρόνȣς tum ἐγχρόνȣς inter ſe confert: Quicunque enim ab æterno ſunt prædeſtinati, illi in tempore ſunt vocati: & quicunque ſunt vocati, illi ſunt juſtificati. Et quicunque ſunt juſtificati, illi ſunt glorificati, h. e. ſalvati. Hi igitur gradus ἔγχρονοι conjunctim conſiderati nullis competunt, niſi ſolis prædeſtinatis.

§. 115. Antilogia III.

Matth. 22. v. 14. Multi ſunt vocati.

1. Cor. 1. v. 26. 27. Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi claro genere nati, verùm quæ ſtulta ſunt ſecundum Mundum, elegit Deus.

Dubium.

In Loco priori vocati dicuntur multi. In Loco poſteriori vocati dicuntur non multi. Quæ reverâ ſunt ἀντιφατικά. Ideoque ſimul non poſſunt eſſe vera.

Conciliatio.

Ex datâ diſtinctione idem nodus ſolvi poteſt. Etenim in Loco priori vocati primi, ſecundi & tertii ordinis intelliguntur, ſicut ex ipſa Parabola patet. Nam dicitur *v. 2. 3.* Simile eſt regnum Cœlorum, factum homini Regi, qui fecit nuptias Filio ſuo, & emiſit ſervos ſuos καλῆσαι τȣ̀ς κεκλημένȣς, ut vocarent invitatos ad nuptias, & nolebant venire. At *v. 5.* & *6.* dicitur: Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negationem ſuam, reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Porrò dicitur *v. 11.* quod Rex ſit ingreſſus, ut videret diſcumbentes, & viderit hominem non veſtitum veſte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

nuptiali, qui juſſu Regis ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras eſt miſſus, *v. 13.* Et denique *v. 14.* ſubjungitur hoc Epiphonema: Multi ſunt vocati, ſed pauci electi. Unde patet, quod *Matth. 20.* per vocatos intelligantur vocati primi, ſecundi & tertii ordinis, h. e. qui κατὰ πρόθεσιν τοῦ θεοῦ ſunt vocati; vel uti Apoſtolus inquit: οὓς ἐξελέξατο ὁ θεὸς: Illi ſunt multi, hi verò pauci.

§. 116. ANTILOGIA IV.

1. COr. 1. v. 26. 27. Videte vocationem veſtram, fratres, quod non multi ſunt vocati.

Matth. 8. v. 11. inquit Chriſtus: Dico vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venturi ſint, & accumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob in Regno cœlorum.

DUBIUM.

In utroque Loco ſermo eſt de electis. De priori res plana eſt ex dictis. De poſteriori patet ex ipſo contextu. Nam dicuntur accumbere cum Abraham, Iſaac & Jacob in Regno Cœlorum: ubi non intelligitur regnum gratiæ, ſed gloriæ: Quod evidentius etiam patet ex oppoſitione. Quia ſtatim v. ſequenti ſubjungitur: Filii verò Regni (intellige φαινομένως ſic dicti) ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & ſtridor dentium. Quæ oppoſitio eſt ſalvandorum & damnandorum. Unde jam evidens eſt ἀντιλογία. Electi enim in Loco priori dicuntur non multi: in poſteriori verò dicuntur multi.

CONCILIATIO.

Electi *dupliciter* conſiderantur, 1. *In ſenſu abſoluto:* Et ſic Electi ſunt Cœtus innumerabiles. Sic dicitur *Rom. 9. v. 27.* Si fuerit numerus filiorum Iſraël, ut arena maris, reliquiæ ſalvæ erunt, *Apoc. 5. v. 11.* dicuntur millia millium eſſe Eccleſiæ filiorum, *Apoc. 7. v. 9.* Eccleſia triumphans dicitur turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, populis & linguis. Et hoc ſenſu accipiendum eſt locus *Matth. 8.* multi venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in Regno Cœlorum.

2. *In ſenſu comparativo:* Et ſic ſunt pauci. Hûc pertinent Scripturæ dicta, *Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 24.* Pauci ſunt, qui ingrediuntur per viam anguſtam, *Matth. 20. v. 22.* Multi ſunt vocati, pauci verò electi, *Eſa. 1. v. 9.* Eccleſia eſt paucorum, *Luc. 12. v. 32.* Eccleſia dicitur Grex puſillus. Et hoc modo intelligendus eſt locus prior *1. Cor. 1.* ubi Electi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ĉti dicuntur non multi. Hûc pertinet *regula D. Auguſtini*, quæ extat *in lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 3.* & *lib. 4. contra Creſcentium Gramm. cap. 53.* In Scripturâ S. nonunquam iidem pauci vocantur, qui & multi. At quomodo ſine ἀντιφάσει multi dicuntur & pauci? Reſpondet ibidem Auguſt. Multos quidem vocari per ſeipſos conſideratos: paucos verò in comparatione impiorum: Hæc D. Auguſt. Quæ regula certiſſimæ veritatis eſt, ut conſtat ex *Matth. 7. v. 14.* ubi Chriſtus inquit: Quod porta ducens ad vitam ſit anguſta, & pauci ingrediantur per eam: porta verò ducens ad interitum ſit lata & ſpacioſa, & multi ingrediantur per eam.

§. 117. ANTILOGIA V.

1. PEt. 1. v. 5. Virtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem.

v. 9. Reportantes veſtræ fidei finem, ſalutem animarum.

2. Pet. 1. v. 10. Studete fratres vocationem & electionem veſtram firmam facere per bona opera.

Item:

2. Tim. 2. v. 19. Firmum ſtat fundamentum Dei habens ſignaculum hoc: Novit Dominus, qui ſunt ſui, h. e. Dominus electos ſuos conſervat & ſuſtentat.

2. *Pet. c. 1. v. 10.* Firmam facite vocationem veſtram per bona opera.

DUBIUM.

In Loco *1. Pet. 1.* & *2. Tim. 2.* certitudo electionis & ſalutis noſtræ Deo æterno: *2. Petr. 1.* nobis & operibus noſtris adſcribitur.

CONCILIATIO.

In Loco *2. Pet. 1.* verba illa per bona opera in textu authentico non exſtant, ſed aſſumentum eſt papiſticum, ideoque veritati non præjudicant.

2. Quod ſi maximè verba illa admitteremus, nihilominus tamen loca illa allata optimè conciliari poſſunt. Accuratè enim diſtinguendum eſt inter certitudinem electionis & ſalutis noſtræ *abſolutam* & *ordinatam.*

Certitudo electionis & ſalutis noſtræ non eſt *abſoluta*, h. e. abſoluto Dei propoſito & decreto (quale Calviniani fingunt) dependens; *Sed* eſt *ordinata*, h. e. dependet à Dei propoſito, per Chriſtum in Evangelio nobis manifeſtato. Hoc autem Dei propoſitum totum ſalutis noſtræ ordinem includit: qui *dupliciter* conſideratur, tum *ex parte Dei*, tum *ex parte noſtri.*

Quando conſideratur *ex parte Dei*, *tria* continet *fundamenta*, quibus D. Bernhardus ſeſe erigere ſolitus fuit: 1. Bonam Dei voluntatem. 2. Dei virtutem & poteſtatem. 3. Dei fidelitatem.

Jam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Jam verò Deus vult omnes, qui in Chriſtum perſeveranter credunt, ſervare, quia illud promiſit. Poteſt eos ſervare, quia omnipotens eſt. Et reverà nos ſervabit, & per fidem in gratiâ inchoatâ conſervabit, quia fidelis eſt, & quæ promiſit, conſtanter ſervabit. *Verba Bernhardi*, quæ ponderibus ſunt prægnantia, hûc referre placet, quæ extant *ſerm. 3. de fragmentis 7. panum*: Tria conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit: Charitatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Murmuret jam, quantum volet, inſipiens ratio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta eſt gloria tua, quibus meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondebo: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia in charitate minima adoptavit me, quia verax in promiſſione, quia potens in exhibitione, licet eum facere quod voluerit. Hic eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quem nobis à patria noſtra in hunc carcerem usque demiſſum, firmitet obſecro teneamus, ut ipſe nos ſublevet, ipſe trahat & protrahat usque ad conſpectum gloriæ magni Dei, qui eſt benedictus in ſecula.

In eandem ſententiam venuſtè & eleganter *D. Aug.* ſcribit in *Pſal. 148.* verba ejus hæc ſunt: Erigit ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat, non ero, ubi promiſit, (Deus) promiſit nobis, quod ibi futuri ſimus, ubi ipſe eſt: Erimus cum illo. Quid tibi promiſit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede, plus eſt jam, quod fecit, quàm quod promiſit. Quid fecit? Mortuus eſt pro te. Quid promiſit? Ut vivas cum illo. Incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quàm ut in æternum vivas mortalis. Jam quod incredibilius eſt, tenemus. Hæc *D. Aug.*

Et de hoc ordine *ex parte Dei* conſiderato, loquitur D. Petrus in *1. Epiſt. c. 1.* quando inquit: Virtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem. Et D. Paulus *2. Tim. 2.* Firmum ſtat hoc fundamentum Dei, habens ſignaculum hoc: Novit Dominus, qui ſunt ſui.

Ordo autem certitudinis noſtræ Electionis & ſalutis *ex parte noſtri* eſt, ut conformiter ſecundum hoc Dei Propoſitum nobis in Evangelio revelatum, vivamus, quod tum fit, quando in Chriſtum credimus & piè vivimus. Chriſtus enim fundamentum ſalutis noſtræ eſt immotum, *Matth. 16. v. 18. Epheſ. 2. v. 12.* quem quisquis firma & conſtanti fide tenet, hunc nulla creatura à charitate Dei avellere poteſt.

Unde *Electi* in Scripturis *dupliciter* deſcribuntur:

1. Θετικῶς, h. e. poſitivè. Sic verè Diſcipuli Chriſti, ac proinde electi ſunt illi, qui in ſermone Chiſti manent, *Joh. 8. v. 31.* Qui per manent in

fide

fide fundati & ſtabiles, *Coloſſ. 1. v. 23.* Qui retinent fidem & bonam conſcientiam, *1. Tim. 1. v. 19.* Qui fideles reperiuntur usque ad mortem, *Apoc. 2. v. 10.* Qui initium fidei usque ad finem firmum retinent, *Hebr. 3. v. 6.* Qui perſtant in bono, *Rom. 11. v. 22.*

2. Ἀρνητικῶς, negativè: Sic Electi ſunt illi, qui ſe iterum non ſubducunt, *Heb. 10. v. 38.* Qui ſe non avertunt iterum à præcepto, *2. Pet. 2. v. 21.*

§. 118. Breviter:

Certitudo Electionis & ſalutis noſtræ invariabilis & immutabilis eſt, propter invariabilem & immutabilem promiſſionum divinarum veritatem, quas Electi conſtanti & perſeveranti fide amplectuntur: qui verò eas contemnit aut repellit, ille gratiâ Dei excidit, Spiritum S. amittit, fidem excutit, ac proinde electus non eſt. Et hûc pertinet, quod dicit Petrus *2. Ep. c. 1.* Studete fratres vocationem & electionem veſtram firmam facere. Cujus dicti hic ſenſus eſt: Si vos, ô Auditores mei, in curſu bonorum operum alacriter progrediamini, & dignè Evangelio vivatis, hæc fiducia in cordibus veſtris magis magisqve confirmabitur, quod ad κοινωνίαν & communionem vitæ æternæ à Deo vocati, atqve ad vitam æternam ſitis prædeſtinati: Qui enim Spiritu Dei aguntur, illi ſunt Filii Dei, *Rom. 8. v. 14.* Qui in ſermone Chriſti manent, ſunt verè Diſcipuli Chriſti, *Joh. 8. v. 31.* Illi ſunt verè electi, qui dignè ambulant vocatione, quâ vocati ſunt, *Epheſ. 4. v. 1.*

Simile.

Sicut ex fructibus bonis arbor bona cognoſcitur, inqvit Chriſtus *Matth. 7. v. 17.* Ita quoque nos utrum arbori vitæ & ſalutis oleæ per veram fidem inſecti ſimus, ex operibus bonis cognoſci poteſt.

§. 119. Antilogia VI.

Joh. 6. v. 39. Hæc eſt Voluntas Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam.

Joh. 17. v. 12. Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex iis periit NISI Filius ille perditionis.

Dubium.

In *priori Loco* dicit Chriſtus, quod neminem ex iis perdiderit, quos Pater cœleſtis ſibi dederit. At *Joh. 17.* dicitur, quod filius perditionis, h. e. Judas proditor perierit. Unde concludit *Samuel Huberus*, quod qui-

dam ex electis perire poſſint. Siquidem illi, qui Chriſto ſunt dati, ſint electi. Jam verò Judas proditor fuit in numero datorum, quia periit ex datis: Sicut diſertè verba Chriſti innuunt: Nemo ex iis periit, niſi Filius perditionis. Si igitur Judas ex numero datorum periit, utiqve in numero datorum fuit. στέρησις enim præſupponit ἕξιν. Si igitur in Numero datorum, h. e. Electorum fuit, ſequitur, quod quidam Electi perire poſſint.

℞. I. In utroq; Loco loqvitur Chriſtus de iis, qui dati ſunt Chriſto non γενικῶς, ſed εἰδικῶς, h. e. non generali, ſed ſpeciali modo, h. e. non loquitur de hominibus in genere, qui omnes dati ſunt Chriſto ad redimendum. In horum autem datorum numero Judas proditor neutiquam fuit. Etenim Electi Chriſto ſpirituali modo dati ita deſcribuntur *Joh. 15. v. 19.* quod non ſint de mundo: quod mundus illos odio habeat. Et *v. 29.* quod non pereant. Jam verò hoc de Juda proditore nullo modo dici poteſt. Ille enim de Mundo fuit (ſiqvidem ipſe Chriſtus eum Diabolum appellavit, *Joh. 6. v. 70.*) atque in æternum periit. E. Judas in numero datorum haud fuit.

II. Neqve huic aſſertioni contrariatur locus poſterior, in quo dicitur: Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius ille perditionis. Nam particula NISI h. l. non accipitur determinativè & limitativè, quaſi hæc Oratio ſit pendens, & priora illa verba (nemo ex iis periit) limitentur per poſteriora, (niſi filius perditionis) ita ut ſenſus ſit; quod Judas proditor quidem fuerit in numero datorum, ſed ex iis perierit. Nam hæc Explicatio è diametro pugnat cum illis, quæ paulò antè dicta ſunt: Ideoqve particula εἰ μὴ, NISI h. l. per Hebraiſmum accipitur adverſativè, pro ἀλλὰ vel ſed. Sic particulas Hebræas אם לא Im lo & כי אם Ci im, Græci interpretes interdum per ἐὰν μὴ converterunt, ut *Gen. 22. v. 26.* interdum per ἀλλὰ ut *Gen. 24. v. 38. Eſa. 59. v. 2.* & ἀλλ' ἢ, ut *2. Reg. 5. v. 17.* Non faciat ultra ſervus tuus holocauſtum & victimam Diis alienis, niſi Domino ſoli, h. e. non Diis gentium, ſed ſoli Domino Deo vero. Hinc factum eſt, ut etiam in N. T. particula illa ἐὰν μὴ καὶ εἰ μὴ ab Evangeliſtis & Apoſtolis pro ἀλλὰ uſurpata, *Matth. 12. v. 4.* David domum Dei introivit, & panes propoſitionis comedit, quibus veſci ipſum non erat licitum, neqve iis, qui cum ipſo erant, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μονοῖς, h. e. NISI Sacerdotibus ſolis, *1. Cor. 7. v. 16. 17.* Ecquis noviſti uxor, an virum ſis ſervatura: aut ecquid noviſti Vir, an uxorem ſis ſervaturus? εἰ μὴ NISI (ita vertit Eraſmus) meliùs autem SED, ut unicuique donum partitus eſt DEus, ita incedat, *Gal. 1. v. 7. & 8.* Miror vos ita citò transferri in aliud Evangelion, quod non eſt

aliud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

aliud, εἰ μὴ, Niſi (melius Sed) nonnulli vos turbant & volunt inverte-re Evangelion Chriſti, *Gal. 2. v. 16.* Non juſtificatur homo ex operibus Legis. Hic Locus non eſt ita accipiendus cum Pontificiis, quaſi dicendum ſit, nos non juſtificari ex operibus, Niſi per fidem, h. e. non ex operibus, ſed ex operibus fidem conſeqventibus: Vel: non, omnia opera fidem mereri, ſed ea tantùm, quæ ex fide naſcuntur. Verùm particula ἐὰν μὴ, Niſi, accipienda eſt pro adverſativa, pro Sed. Quam ſignificationem confirmant verba immediatè ſeqventia. Nam ita loqvitur Apoſtolus: Scimus, non juſtificari hominem ex operibus Legis, ἐὰν μὴ, Niſi, h. e. ſed per fidem JEſu Chriſti: Etiam nos in Chriſtum credimus, ut juſtificaremur ex fide JEſu Chriſti, & non ex operibus Legis. Unde Syrus Paraphraſtes hunc Locum ſicut & *verſ. 7.* habet אֶלָּא Ella, quam vocem Chaldæi cum Græcis communem habent. Neqve tamen in Lingva Hebræa & Græca apud authores ſacros, ſed etiam in Lingvâ Latina apud authores profanos talis ſignificatio particulæ Niſi locum habet. *Cic. lib. 13. Ep. fam.* De re nihil poſſum judicare, niſi illud mihi certò perſvadeo, te talem virum nil temerè feciſſe. *Ibid.* Nec cur illa tantoperè contendat, video, nec cur tu repugnes, Niſi tamen multò minùs tibi concedi poteſt, quàm illi, laborare, ſine cauſa. *Terent. in Andr.* Neſcio, Niſi Deos mihi ſat ſcio, iratos fuiſſe, qui auſcultaverim. Et in *Hecyra*: Niſi pol filium multis modis jam expecto, ut redeat domum: Ita etiam in Loco Johannitico particula Niſi adverſativè eſt explicanda pro ἀλλὰ vel Sed, ut ſit ſenſus: Non periit quiſquam ex Apoſtolis, quos Pater Filio ſuo dedit, ſed Judas periit: Vel ut Syrus Paraphraſtes juxta phraſin Hebræam notanter vertit: Non perdidi ex eis, ne unum quidem.

§. 120. ANTILOGIA VII.

1. *THeſſ. 5. v. 9.* Non poſuit nos DEus εἰς ὀργὴν, h. e. in iram, ſed εἰς περιποίησιν τῆς σωτηρίας, h. e. in acquiſitionem ſalutis.

Joh. 17. v. 12. Judas veſter Filius ἀπωλείας, h. e. perditionis.

DUBIUM.

Beza in N. T. in cap. 17. Joh. Evangeliſtæ Eraſmum Roterodamum caſtigat, quod vocabulum Græcum ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας reddiderit Filium perditum. Nam, inquit, qui perditum hominem dicit, ipſum duntaxat eventum ac miſeram conditionem declarat: ac Judas dicitur Filius perditionis, non modò quia periit, ſed etiam quia huic exitio erat deſtinatus ac devotus, ut manifeſtè liqvet ex iis, quæ ſcripta ſunt *Actor. 1. v. 16.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

cap. 4. v. 27. 28. Hæc *Beza.* Quare ex ſententia *Bezæ* Locus poſterior priori è diametro contradicit.

℞. Diſtinguendum eſt inter *ipſa Scripturæ Loca* & perverſa *hæreticorum* στρεβλώματα & corruptelas. Hæc duo Scripturæ Loca inter ſe collata, nullo modo pugnant: ſed poſterioris loci στρέβλημα & corruptela loca hæc per accidens pugnare facit, quæ tamen pugnantia tollitur, ſi verus ejus ſenſus evolvitur. Non enim Judas dicitur Filius ἀπωλείας h. e. perditionis in ſenſu Calviniſtico, q. ex abſoluto Dei decreto nullo reſpectu ad peccata habito; Judas ſit reprobatus. Etenim locus hic Johanniticus loquitur de perditione Judæ tum *ſpirituali* tum *corporali:* Quia Judas & corporaliter & ſpiritualiter perditus eſt. At Deus ipſe apud *Hoſ. c. 13. v. 9.* diſertè inquit: Perditio tua ex te eſt Iſraël, ex me tantùm ſalus. Neque tamen *Bezæ* ſententiam verba ſequentia, (ut impleretur Scriptura) confirmant. Etenim res quidem non ſunt propter prophetias, ſed prophetiæ fuerunt propter res futuras, quia tantùm qui prædixerat, futurum ſciverat, factum eſt, quia prædixit, ut verax eſt. Si enim aliter futurum fuiſſet, aliter quoque prædixiſſet: ideoque in talibus dictis particula *Ut* non eſt cauſalis, ſed eventualis, h. e. demonſtrativa, eventus alias cauſas conſequentes. Hûc pertinet elegans *Regula Damaſc.* quæ *exſtat lib. 4. D. O. F. c. 20.* Quædam in S. literis afferunt αἰτιολογικῶς, h. e. *cauſaliter*, quæ intelligenda ſunt ἐκβατικῶς, h. e. *eventualiter*, ut *Pſal. 51. v. 6. Luc. 7. v. 47. Joh. 9. v. 39. c. 12. Rom. 11. v. 32.* *In Specie* autem dicimus, quod loca illa, quæ Beza pro ſe allegat, ſententiam ejus haud ſtabiliant. Nam quando dicitur *Act. 1. v. 16.* Oportuit impleri Scripturam; quam prædixit Spiritus S. per os Davidis de Juda, ſciendum eſt, qvod prædictio nos æquè ac præſcientia Dei, neceſſitatem à priori rebus non afferant; ac proinde prædictio Davidis non conſtituitur cauſa proditionis Judæ: ſed tantùm Lucas Evangeliſta per vocem δεῖ vel *oportet* monſtrat eventum iſtius vaticinii infallibilem, q. d. Judas Chriſtum prodidit, planè ſicut Spiritus S. per os Davidis prædixit. Ideò enim, quia Spiritus S. Judæ proditionem futuram prævidit, eam prædixit, & ideò quia eam prædixit, infallibiliter ea eſt facta. Pari modo planè ἀπροσδιόνυσος eſt Locus *Act. 4. v. 27. 28.* Nam in eo non dicitur, qvod Deus impulerit Herodem, Pontium Pilatum aut Judæos, ut Chriſtum crucifigerent. Sed in textu habetur vocabulum γενέσθαι, h. e. fieri. Senſus igitur hic eſt: Qvod Herodes, Pontius Pilatus & Judæi convenerint ad faciendum, qvæcunqve Dei manus & conſilium prius decreverat FIERI. Hîc non habetur *Facere* ſed *fieri.*

§. 121. An-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 121. ANTILOGIA VIII.

ECcleſ. 9. v. 7. Vade, comede in gaudio panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quia placent Deo.

1. Joh. 3. v. 14. Nos ſcimus, quod tranſlati ſimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.

Eccleſiaſtæ 9. v. 1. Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.

DUBIUM.

Ex Locis duobus prioribus patet, quod nos in amore Dei ſimus, quia Deo placeamus, & à morte ad vitam tranſlati, h. e. regenerati ſimus. At in *Loco poſtremo* amor Dei erga nos in dubium vocatur. Unde Pontificii inferunt, de ſalute noſtrâ dubitandum eſſe.

CONCILIATIO.

Omnis Antilogia inter hæc Loca tollitur, ſi Locus poſtremus rectè explicetur. Senſus ejus hic eſt: Nos homines ex felicitate vel infelicitate aliorum hominum non poſſe colligere, quiſnam Deo ſit gratus vel acceptus: quis verò minus: quia externi illi eventus ſunt bonis & malis communes. Ex communibus autem firma argumenta deſumi neqveunt. In hanc ſententiam *Bernhardus* eleganter inqvit: Hic planè fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt & veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipſius Spiritum reveletur, & Spiritus ejus teſtificans perſvadeat Spiritui noſtro, quod Filii Dei ſimus, perſvadeat vocando & juſtificando gratis, per fidem &c. propter hoc, inquit *Bernhardus*, data ſunt ſigna quædam, & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit, eum eſſe in numero Electorum, in quo & ſigna permanſerint: propter hoc, inqvam, quos præſcivit DEus & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filii ſui, ut quibus certitudinèm negat, cauſa ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet gratiâ conſolationis. Hactenus *D. Bernhardus.*

II. Nos diſtingvimus inter *duplicem certitudinem Naturalem*, & *Supernaturalem*, Salutis noſtræ certitudo φυσικῶς ex externis eventibus haud cognoſci poteſt. Quia quæ ſunt communia bonis & malis, illa non poſſunt eſſe κριτήρια & infallibilia Electorum aut Filiorum Dei ſigna. Atqvi externi Eventus ſunt hominibus bonis & malis, Electis & reprobris communes. Ergò &c. Verùm certitudo ſalutis noſtræ ὑπερφυσικῶς dependet: 1. à promiſſionum divinarum infallibilitate. 2. à Sacramentorum qualitate. 3. Ab immota interni teſtimonii Spiritus S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

veritate. 4. à fidei juſtificantis proprietate. 5. Ex orationis efficacitate. Hûc pertinet dictum Apoſtoli Pauli graphicum & emphaticum, quod extat *Rom. 8. verſ. 38.* & *39.* ubi inquit: πέπεισμαι, perſuaſum eſt mihi, quod neqve mors, neqve vita, neqve Angeli, neqve principatus, neqve poteſtates, neqve inſtantia, neqve futura, neqve altitudo, neqve profunditas, neqve ulla alia creatura poterit nos ſeparare à Dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto.

OBJECTIO.

At dicunt Pontificii Apoſtolum loqvi de qvalicunqve exiſtimatione, non de fidei certitudine. Siqvidem vocabulum Græcum πέπεισμαι qvalemcunqve exiſtimationem aut perſvaſionem absqve fidei certitudine ſignificat. Sicut accipitur *Rom. 15. v. 14.* perſvaſum habeo, Fratres mei, & ipſe ego de vobis, qvod & ipſi pleni eſtis bonitate, impleti omnia ſcientiâ.

℞. Vocabulum πέπεισμαι *dupliciter* conſideratur:

I. *Abſtractivè*, & tum eſt vocabulum ἐκ πολλαχῶς λεγόμενον & ſic libenter concedimus, quod ſæpe perſuaſionem qualemcunqve aut opinionem probabilem ſignificet.

II. *Concretivè* vel materialiter, & ſic pro diverſitate materiæ diverſa gaudet ſignificatione. Etenim notum eſt hoc *axioma Logicum:* Vocabula ἐκ πολλαχῶς λεγόμενα pro diverſitate ſubjectorum diverſa obtinet ſignificata. Exemplum hoc eſto: *Mori peccato* aliter accipitur *de Renatis* & aliter de *non renatis. De Renatis* accipitur in bonam partem: Illi enim moriuntur peccato in caſu Dativo & *Activè:* quia ipſi mortificant peccatum, & peccata per Spiritum S. refrenant, *Rom. 6. v. 18.* Sed de *non renatis* accipitur in malam partem: hi enim mori peccato dicuntur in caſu Ablativo ſive *Paſſivè:* qui ipſi mortificantur peccato, ita ut nulla in ipſis ſit vita ſpiritualis, *Epheſ. 2. v. 1. 2.*

Idem etiam de voce πέπεισμαι judicium eſto. Nam hoc vocabulum πέπεισμαι de diverſis enunciatur ſubjectis, vel *de aliis*, vel *de nobisipſis.*

Quando *de aliis* uſurpatur, tum non apodicticam, ſed topicam, non fidei aut veritatis, ſed charitatis perſvaſionem, h. e. probabilem opinionem ſignificat. Etenim de proximo noſtro (quia καρδιογνῶσται non ſumus) non à priori, ſed tantùm à poſteriori, h. e. ex effectis ſive operibus judicare poſſumus: At opera ſæpe ſunt φαινόμενα καὶ ὑποκριτικά, h. e. apparent nobis bona, ſed in ſe ſunt hypocritica: ideoqve non fidem ſed tantùm opinionem in nobis gignunt, & ita accipitur *Rom. 15. v. 1.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Quando verò uſurpatur de *Nobisipſis*, tùm certam & immotam ſignificat perſvaſionem, h. e. indubitatam certitudinem: quæ certitudo fidei aut veritatis appellatur. Siquidem fundamento immoto & immutabili innititur, videlicet promiſſione DEI, juramentoqve immobili, *Hebr. 6. verſ. 17. 18.* Et teſtimonio Spiritus S. infallibili, quod ipſe præbet in cordibus noſtris, nempe quod Filii DEI ſimus, *Rom. 8. verſ. 16. 2. Cor. 1. v. 21. 22.*

§. 122. ANTILOGIA IX.

ROm. 11. v. 29 ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ, h. e. Dona quidem & vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum DEum pœnitere non poſſit.

Gal. 5. v. 4. Chriſtus vobis factus eſt otioſus, quicunqve per Legem juſtificamini.

Jerem. 18. v. 10. Si fecerit gens malum in oculis meis, pœnitentiam agam & Ego ſuper bono, quod locutus ſum, ut facerem ei.

DUBIUM.

Locum primum *Calviniani* nobis opponunt, indeqve probare ſatagunt, Electos non poſſe excidere gratiâ Dei, Spiritum S. & fidem amittere. Nam ita argumentatur *Pareus in Comment. ad Rom. dubio 17. pag. 729.* Dona Dei ἀμεταμέλητα namqve eripiuntur, nec amittuntur penitùs. At verò fides Electorum eſt donum Dei ἀμεταμέλητον. E. fides Electorum nunqvam penitùs deficit. At Locum ſecundum Orthodoxi Theologi opponunt Calvinianis, indeqve contra eos demonſtrant, homines verè renatos gratiam Dei amittere poſſe. Unde patere videtur, loca illa ſibi invicem è diametro eſſe contraria.

CONCILIATIO.

In hac Conciliatione notanda veniunt duo: *I. Explicatio. II. Applicatio.*

I. EXPLICATIO.

Locus Apoſtolicus *Rom. 11.* Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα vel intelligendus eſt *Abſolutè*, vel *Limitatè.*

Non *abſolutè* 1. Quia ſic Apoſtolus ſibiipſi contradiceret: Siquidem *v. 22. 23.* diſertè pronunciat, fieri poſſe, ut Romani iterum exſcindantur ex olea ſalutis, gratiæqve acceptæ jacturam faciant. 2. Pugnaret hæc ſententia cum totâ fidei ἀναλογίᾳ. Conſtat enim, quod DEus nullibi &

nunqvam

nunqvam cum hominibus iniverit fœdus aliquod gratiæ abſolutum, ſed ſemper limitatum & conditionatum, cujus DEus beneficia præſtat non abſolutè, ſed limitatè, non immediatè, ſed mediatè, nempe ſi homines conditiones pacti ſive fœderis obſervent, h. e. ſi in verâ fide & pœnitentiâ vivant, *Levit. 26. v. 11. 12.*

Ergò intelligendus eſt *limitatè*, ubi rurſus conſideratur *dupliciter*, *ex parte Dei*, & *ex parte Noſtri.*

Ex parte Dei: Sic DEus eſt ἀμεταμέλητος in ſua voluntate, & conſtans in promiſſionibus ſuis, h. e. DEus, quod ſemel dare decrevit, & dedit, non retrectat.

Ex parte Noſtri: Sic per Accidens dona Dei & beneficia ſunt κόινητα, h. e. ab Hominibus auferri poſſunt, quando homines in impœnitentia & in peccatis contra conſcientiam vivunt.

Quare accuratè diſtingvendum eſt inter τάξιν ſive *Ordinationem Dei* ab Hominibus obſervatam, & ab iisdem violatam. *Reſpectu priori* dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα. Ordo enim Dei & Decretum, quo ille conſtituit hominibus fidem dare, & datam conſervare in iis, qui mediis divinitùs ad hanc rem ordinatis utuntur: ex parte Dei nunquam mutatur (ſi modò homines ordinem iſtum divinitùs inſtitutum ſeqverentur) ſed conſtanter ſervatur absqve ulla προσωποληψία vel gentis, vel ſexus, vel ſtatus. Nulla enim hîc eſt diſtinctio apud Deum, ſed in omni gente, qui timet Deum, acceptus eſt ei, *Act. 10. v. 35.*

Reſpectu verò *poſteriori* dona Dei non ſunt ἀμεταμέλητα, h. e. homines impœnitentes & increduli gratiam Dei, Spiritum S. & Fidem amittere poſſunt, non culpâ Dei, ſed culpâ & incredulirate propria. Non enim in uno ſede commorantur Chriſtus & Belial: neqve ulla eſt communio lucis & tenebrarum, *2. Cor. 6. v. 14. 15.*

II. APPLICATIO.

Unde jam ὀφθαλμοφανερῶς videmus, quàm ἀλόγως argutetur Pareus. Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα, h. e. Deus eſt immutabilis & invariabilis in ſuis decretis & donis. E. homines incredulitate & ingratitudine ſuâ pactum Dei ex parte ſuâ non poſſunt irrita reddere, & dona accepta perdere. Quod quàm falſum ſit, ex dictis patet. Etenim promiſſiones Dei de donis Spiritualibus conferendis & conſervandis non ſunt abſolutæ, ſed limitatæ, h. e. certam conditionem habent annexam, *Rom. 11. v. 20. 21. 22. 23.* quia obſervata Dei voluntas impletur, ea autem non obſervata voluntas Dei non impletur, ſed impeditur & promiſſiones ejus ex parte hominum impœnitentium irritæ ſunt. Neque tamen hinc inferri poteſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

poteſt, Deum Deiqve voluntatem eſſe mutabilem. Nam quando Deus dona ſua ab incredulis aufert, hinc non divinæ voluntatis inconſtantia, neque ipſorum donorum, quæ cum conditione data ſunt, incertitudo, verùm hominum mutabilitas, incredulitas & ingratitudo arguitur.

Et hîc notanda eſt *Regula:* Promiſſiones ſpirituales fiunt cum incluſione fidei & pœnitentiæ: Deficientibus igitur fide & pœnitentiâ, mirum non eſt, promiſſionem quoque Dei ſuum non conſequi effectum.

Parei igitur argumentum quod attinet, laborat illud fallaciâ homonymias. Phraſis enim illa: *Penitus amittere dupliciter* accipitur: I. Significat amittere gratiam Dei, Spiritum S. & Fidem πλικῶς, h.e. *finaliter.* II. Significat eadem dona cœleſtia amittere ὁλικῶς, totaliter, ſed non πλικῶς, finaliter, verum ad tempus tantùm.

Prius nos ipſi negamus. Qui enim hoc modo fidem amittit, ille electus non eſt, quia definitio electionis ei non competit. *Poſterius* non affirmamus, illudqve ex Loco *Gal. 5. v. 4.* probamus, ubi vel ſola verba Apoſtolica h. l. contra Calviniſtas ſufficiant, nempe quod Paulus inquit: Chriſtus vobis (ſc. credentibus Galatis, nam in præcedente *cap. 4. v. 2.* de illis dixerat, quod Spiritum S. ex prædicatione fidei acceperint) factus eſt otioſus, quicunque per legem juſtificamini, à gratiâ excidiſtis.

USUS.

Hinc ſolidè confutari poſſunt Judæi, qui, quando premuntur quæſtionibus, quî fiat, quod Meſſias ipſorum factitius tamdiu emaneat, & non veniat, tum uti ſolent hoc effugio, fieri hoc propter ipſorum incredulitatem. Ubi nos rectè diſtingvimus inter *promisſiones DEI abſolutas* & *conditionatas*, vel *ordinatas.* De hisce quid ſentiendum ſit, ex dictis patet. Promiſſio autem de adventu Meſſiæ eſt abſoluta, & nullibi in Sacris ad hominum vel fidem vel incredulitatem adſtricta. Ideoqve Deus abſoluta ſuâ voluntate eam implevit, & implere voluit, nullaqve hominum incredulitas eam impedire potuit. Et de hiſce Dei donis & promiſſionibus (nam adventus Meſſiæ etiam Dei donum eſt, ſicut dicitur *Joh. 3. v. 16.* Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret) verum eſt etiam illud dictum Paulinum, *Rom. 11. verſ. 29.* Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα.

§. 123. ANTILOGIA X.

ROm. 8. v. 39. Perſvaſum eſt mihi, quod neqve mors, neqve vita &c. poſſit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu.

Rom. 9. v. 3. Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, h. e. Optarim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.

Calvinus exiſtimat, votum hoc Pauli inconſideratum fuiſſe: quia non tam qvid licitum aut poſſibile fuerit, qvam qvid ardentiſſimus fratrum amor dictaret, ſpectaverit, nec deliberatâ, ſed turbatâ qvaſi mente abreptus hæc dixerit: Qvomodo & Moſes illud votum *Exod. 32. v. 32.* accipiendum ſentit. Verùm impia eſt hæc *Calvini* ſententia. Hâc enim ratione dicendum foret, Zelum hunc Pauli οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, h. e. indiſcretum fuiſſe, eumqve variis modis peccâſſe, quod impiiſſimum. Neqve enim Apoſtolus hoc votum temerè effutivit, ſed deliberante conſilio dictante Spiritu S. qvi eſt Spiritus veritatis & mentiri non poteſt, ſcripſit. Siqvidem *v. 1.* ait, ſe non mentiri, ſed veritatem dicere in Chriſto, atteſtante ſibi conſcientiâ ſuâ in Spiritu S. unde etiam nullam ἐπανόρθωσιν ſive correctionem ſubjungit.

II. Neqve ſententia *D. Hieronymi*, qvæ habetur in Epiſtola ad Algaſiam Num. 121. probari poteſt, qvi ſentit, hæc Pauli verba (opto anathema fieri) tantùm ad corporalem mortem reſtringenda eſſe. Vult Apoſtolus in carne perire, inquit, ut alii ſalventur in Spiritu, vult ſangvinem ſuum effundere, ut alii conſerventur.

℞. Nam plus eſt anathema fieri à Chriſto, qvàm ſimpliciter mori: qvia mortui à Chriſto non ſunt ſeparati. Qvia qvi in Domino moriuntur, jam ſunt cum Chriſto, ſicut Paulus inqvit *Phil. 1. v. 23.* Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

III. Nos igitur dicimus: Votum hoc Pauli non eſſe categoricum. Etenim ἀνάθεμα εἶναι (uti Photius apud Oecumenicum explicat) eſt χωρισθῆναι καὶ ἀλλοτριωθῆναι, h. e. ſeparari & abalienari: ſive jam illud de ſeparatione damnationis æternæ, ſive de ſeparatione rejectionis temporalis accipiatur. Siqvidem in fine præcedentis capitis Apoſtolus diſertè dicit: Perſvaſum mihi habeo, quod neqve mors neqve vita &c. Sed eſt votum hypotheticum, licet non explicitum ſed tamen implicitum, ita ut ſubintelligatur ὑπόθεσις ſive conditio qvædam, videlicet ſi poſſibile eſſet, vel ſi mihi liceret; ita ut ſenſus ſit: Si poſſibile eſſet, aut ulla ratione fieri poſſet, ſe promptum paratumque eſſe anathema à Chriſto fieri pro Judæis, h. e. propriæ ſalutis ſuæ jacturam & diſpendium facere, ſive Chriſti conſpectu æternaque beatitudine privari, modo illa Judæis fratribus ſuis contingere poſſet. Et licèt hæc ὑπόθεσις ſive conditio in textu non ſit expxeſsè poſita; tamen eſt ſubintelligenda.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ligenda. Siquidem ejuſmodi vota ſemper præſupponunt præſupponenda, ſi videlicet illud illæſa Dei voluntate & ſalvâ pietate fieri poſſit. Sic etiam Moſes *Exod. 32. v. 31. 32.* cùm DEus propter μοσχολατρείαν populum Iſraëliticum delere vellet, pro illo apud Deum interceſſit in hæc verba erumpens: Obſecro Domine, peccavit populus iſte peccatum magnum, feceruntque ſibi Deos aureos: Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.

Neque putandum eſt, hæc vota fieri fruſtrà, quia ſint impoſſibilia. Etenim exprimunt talia vota incredibilem affectum Sanctorum Dei virorum erga homines vanos & profanos, quos pari ratione ſalvatos cupiunt, adeò ut affectus ille in eis ita exardeſcat, ut etiam ad impoſſibilia feratur. Quia Charitas omnia ſperat, *1. Cor. 13. v. 7.*

LOCUS VIII.
DE
CREATIONE.

§. 124. ANTILOGIA I.

G*En. 1. v. 1.* In principio creavit Deus cœlum & terram.
2. Cor. 12. v. 2. Paulus raptus eſt in cœlum tertium.

DUBIUM.

Moſes dicit *unicum* à Deo eſſe creatum cœlum: At Paulus *tertii* cœli mentionem facit.

CONCILIATIO.

In Scriptura S. triplicis cœli fit mentio, nempe Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.

Cœlum Naturæ eſt tota aëreæ & æthëreæ Regionis ab aquis & terra ad Lunæ usque orbem expanſio, omnesque ſphæras cœleſtes comprehendit, *Gen. c. 1. v. 14.* Fiant luminaria in firmamento cœli, *2. Reg. 21. v. 5.* Univerſa militia cœli.

Cœlum Gratiæ eſt ipſa Eccleſia, quæ hiſce in terris colligitur, ut *Matth. 20. v. 1.* Simile eſt regnum cœlorum &c. *Matth. 16. v. 19.* Tibi do claves Regni cœlorum.

Cœlum Gloriæ eſt Dei & beatorum habitaculum, *Matth. 6. v. 9.* Pater noſter, qui in cœlis eſt, *Phil. 3. v. 20.* Converſatio noſtra in cœlis eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Ubi tamen notandum, quod Cœlum gloriæ aliter de Deo & Chriſto, aliter verò de Creaturis, Angelis & hominibus beatis accipiatur.

Cœlum gloriæ quod Deo tribuitur, non ſignificat locum aliqvem creatum: quia Deus in tempore non ſibi ædificavit domum, in quâ habitaret, ſed ſignificat æternam, inviſibilem & omnipotentem Dei majeſtatem. Non enim in tempore demum Deus in cœlis habitare cœpit, ſed ab omni æternitate habitavit.

Cœlum verò gloriæ quando de Cœlicolis beatis uſurpatur, πρώτως ſignificat gloriam cœleſtem, æternamqve beatitudinem in beatâ DEI viſione conſiſtentem: δευτέρως conſignificat certum aliquod ποῦ, in quo beati cœlites exiſtunt. Hoc cœlum aliàs in Scripturâ dicitur Regio viventium, ut *Pſal. 116. v. 1.* Sinus Abrahæ, *Luc. 16. v. 22.* Paradiſus *Luc. 23. v. 43.* Paulus vocat cœlum tertium, in quod ſe raptum eſſe dicit, *2. Cor. 12. v. 2.* Quare autem tertium dicatur cœlum, non una eſt Theologorum ſententia. Quidam dicunt tertium dici cœlum διακριτικῶς, h. e. ut diſtingvatur à Cœlo *Naturæ* & *Gratiæ*. Alii ſtatuunt, quare tertium Cœlum dicatur à Paulo, num ratione Numeri, an verò ratione perfectionis, non poſſe explicari, neqve neceſſum eſſe ſcrupuloſè inqvirere.

§. 125. ANTILOGIA II.

GEneſ. 1. v. 5. Fuit veſpera, & fuit manè dies unus.
Eccleſiaſt. 43. v. 2. Sol ſi quando exoritur, denunciat diem.

DUBIUM.

Si Sol denunciat diem, ſicut dicitur in Loco poſteriori: quomodo tres primi dies ante Solem fuerunt?

Ex hoc Loco *Geneſ. 1.* Athei Scripturæ S. veritatem oppugnârunt hoc ariete: Nullus Effectus eſt ante ſuam cauſam. Quia ipſa recta ratio docet, quod unum conſtitutum ſive productum ſit poſterius principio conſtituente ſive producente. Jam verò dies eſt effectum Solis. Sol enim quando exoritur, diem producit. Ergò abſurdum eſſe videtur, quod Moſes dicit, quod tres primi dies ante Solem fuerint: quia Sol quarto demùm die creatus eſt: Si enim hoc credendum eſſet, abſurdum hoc ſtatuendum foret, Effectum fuiſſe ante ſuam cauſam, h.e. rem fuiſſe, antequam producta fuerit, quod ἄλογον καὶ παράλογον.

CONCILIATIO.

I. Diſtingvendum eſt inter *Naturam conſtituendam* & *conſtitutam*. In *Natura conſtituenda* dies illi tres Sole quidem fuerunt priores. Sed inde

non in-

non inferri poteſt, effectum fuiſſe ante ſuam cauſam. Siqvidem dies illi non fuerunt Effectum Solis, ſed primogeniæ Lucis. DEus enim, ſicut *Gen.1. v.3.* legimus, Lucem (quam Patres τὸ φῶς πρωτόγονον, h.e. lucem primogeniam appellant) primâ die creavit: quæ per univerſum hæmiſpherium ſparſa per divinam diſpenſationem diem effecit per expanſionem: tenebras verò indirectè induxit per contractionem: Poſteà verò die quarto in corpus ſolare aliaqve ſidera tanqvam καὶ δοχεῖα καὶ ὀχήματα, h.e. receptacula & vehicula ingeſta ordinariè diem oriendo & noctem occidendo produxit, illum directè & per ſe, hanc verò indirectè & per accidens: Non ſecus atqve candela in Muſæum illata lumen producit, educta verò tenebras indirectè inducit. Illud enim ſeqvitur candelæ præſentiam: hæc comitatur ejus abſentiam. Verùm in *Natura conſtituta* Sol eſt cauſa diei, eumqve exoriens denunciat. Unde patet, quod Athei iſti os in cœlum poſuerint & altiſſimo illuſerint, ſive ex inſcitiâ, ſive ex malitiâ. Non enim ex Moſis ſententia ſeqvitur Effectum ſuâ Cauſâ fuiſſe priorem. Licèt enim tres primi illi dies Sole fuerint priores, priores tamen ſuâ cauſâ non fuerunt. Non enim fuerunt effecta Solis: ſed primogeniæ lucis, quâ non priores, ſed poſteriores fuerunt. Hûc pertinet elegans Locus *Baſilii*, qui *Hom. 6. Hexam.* ita ſcribit: Tunc ipſa Lucis Natura producta eſt, nunc autem ſolare hoc corpus, ut primogenitæ. Vi diei vehiculum ſic præparatum eſt. Quemadmodum enim aliud eſt ignis, & aliud lucerna: ille quidem illuminandi vim hominis: hæc verò ad collucendum indigentibus facta: Sic etiam puriſſimæ illi ac ſinceræ & incorporeæ Luci vehiculum nunc Luminaria præparata ſunt.

II. Accuratè quoque diſtingvendum eſt inter dies *Naturales* & *Supernaturales*. Primi tres illi dies ante ſolem in Mundo exiſtentes non fuerunt dies naturales, ſed miraculoſi & ſupernaturales ex lucis primogeniæ, quæ tum in ſuperficie aquarum erat, expanſione. Sed dies ſubſeqventes artificiales à ſole creato ſunt producti ordinariè & naturaliter. Notandum enim eſt, quod Deus, qui mirabilis eſt in operibus ſuis: in cæteris rebus hanc creandi rationem tenuerit, ut prius conderet materiam, ac proinde eam formâ veſtiret, ordine videlicet, figura atque magnitudine unicuique rei impoſitis: ſic ut majoris cujusdam miraculi ſpeciem ederet: formam materiâ priorem protulit (forma enim Solis Lux primogenia eſt) eamque poſteà in materiam videlicet in corpus ſolare ingeſſit, ut diei oculus eſſet. Quare ſi Athei iſti tempus Creationis à tempore gubernationis: Articulum creationis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ab Articulo Providentiæ: Naturam Conſtituendam: Effectus Extraordinarios & miraculoſos ab ordinariis & phyſicis rectè diſtinguere didiciſſent, dente leonino hiſtoriam Moſaicam ab ipſo Spiritu Sancto profectam haud arroſiſſent.

§. 126. ANTILOGIA III.

GEn. 2. v. 1. Perfecti ſunt cœli & terra ſex diebus.
Eccleſ. 18. v. 1. Deus creavit omnia ſimul.

DUBIUM.

Si Deus SIMUL, h. e. uno temporis articulo omnia condidit, utique dici non poteſt, quod ſex dierum ſpatio Mundus cum omni ſuo exercitu fuerit conditus.

Ita *Auguſtinus* argumentatus eſt. Nam ille ex particula illâ *ſimul*, quæ *Syr. c. 18.* extat, concludere voluit, Deum uno temporis articulo omnia condidiſſe.

℞. I. *Pererius* Jeſuita *in Comment. in Gen. p. 58.* ita reſpondet: Verum & germanum illorum verborum Eccleſiaſtici intellectum reddit verbum Græcum ibi poſitum *κοινῆ*, quod noſter Interpres vertit Latinè SIMUL. Significat enim idem, quod pariter, ſeu communiter, vel univerſaliter; ut proprius ejus loci ſenſus ſit: Deum omnia pariter vel ſine ullius rei exceptione creâſſe. Similiter ut dicit Johannes de verbo divino, *Joh. 1. v. 3.* Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil. Quare vox illa Latina (SIMUL) non denotat eo loco *ſimultatem temporis* (ut putavit Auguſtinus) ſed *ſimultatem collectionis* vel *univerſalitatis*. Hæc *Perer.* Hæc notare debebant Jeſuitæ, quia Jeſuita Pererius non tantùm D. Auguſtinum, ſed etiam vulgatæ verſionis, quæ in Concilio Tridentino canonizata eſt, authoritatem rejicit.

II. Particula SIMUL accipitur *tripliciter*: 1. *χρονικῶς*. Sic notat *συγκαιρίαν*, h.e. collectionem temporis, non quaſi uno momento ſive temporis articulo DEus omnia condiderit (quia momentum non eſt tempus) neqve etiam longo temporum decurſu (hoc namqve pugnat cum hiſtoria creationis) ſed quod ſextidui ſpatio omnia in cœlo & in terrâ creârit. Unde D. *Baſilius* opus creationis *ἑξαήμερον* appellat.

2. Πραγματικῶς. Sic notat collectionem rerum, aut creatarum ſpecierum: Et idem ſignificat, quod univerſaliter. Quæ ſignificatio etiam in aliis Scripturæ dictis locum habet. Ut *Pſal. 14. v. 4.* Omnes declinaverunt, SIMUL inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, ne unus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

unus quidem, *Pſal. 49. v. 10.* Videbit, quod Sapientes moriantur, & Simul inſipiens & ſtultus pereant. Sic qvando dicitur, quod DEus creaverit omnia Simul, intelligitur de *rerum univerſalitate*, q. d. univerſa quæ *ſunt*, à Deo creata ſunt, nullo omninò excepto.

3. ὑλικῶς, h. e. *materialiter.* Sic referri poteſt ad primam illam & indiſpoſitam maſſam, quæ tota ſimul ex nihilo creata eſt, & poſteà ex eadem res univerſæ ſunt productæ.

§. 127. Antilogia IV.

Geneſ. 1. v. 31. Deus condidit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

Proverb. 16. v. 4. Deus condidit impium ad diem malum.

Dubium.

In Loco priori Finis creati hominis dicitur eſſe vita æterna. Etenim imago Dei, juſtitia & ſanctitas vera eſt, ſecundum Apoſtoli aſſertionem, *Epheſ. 4. v. 24. Col. 3. v. 10.* At juſtitia & ſanctitas vera cum vita æterna individuo nexu cohærent. Contra dies malus, ad quem impius conditus eſſe dicitur *Prov. 16. v. 4.* eſt damnatio æterna. Ex hoc igitur loco *Piſcator* & ejus aſſeclæ probare non erubeſcunt, quod Deus quosdam homines ad æternam damnationem condiderit, & in impiorum cordibus etiam malum operetur.

℞. Salomon in hoc loco non agit de fine creationis hominum in Adamo, quod videlicet Deus creet quosdam eo fine, ut ſint impii, vel quod malitiam in cordibus impiorum operetur, idque ſequentibus argumentis probamus.

Primo: Creatio hominis in Adamo eſt actus Dei, quo Adamum & omnes homines in illo ad imaginem ſuam condidit, *Gen. 1. v. 27.* Atqui hæc actio *Prov. 16. v. 4.* quâ Deus fecit impium ad diem malum, non eſt actus ille Dei, quo Deus Adamum & omnes in eo homines ad imaginem ſuam condidit. Ergò hæc actio *Prov. 16. v. 4.* quâ Deus impium fecit ad diem malum, non eſt creatio hominis.

Minor probatur.

Creatio enim hominis, de quâ loquitur Moſes, & Actio, de qua loquitur Salomon, differunt *quintupliciter:*

I. *Formaliter:* Quia alius eſt actus Dei creare hominem ad imaginem ſuam, & alius impium facere ad diem mali: qui duo actus per ſe non ſubordinati, ſed oppoſiti ſunt, ut manifeſtum eſt.

II. *Mate-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

II. *Materialiter* vel *Objectivè:* Quia creatio hominis in Adamo non verſatur circa impium: omnia enim valdè bona creata ſunt, *Gen. 1. v. 31.* Sed actio *Prov. 16.* verſatur circa impium.

III. *Finaliter:* Quia Creatio hominis in Adamo non tendit ad *diem malum*, vel (ut *Tremellius* & *Junius* voces Ebræas יוֹם רָעָה, habitâ ratione conſtructionis regiminis rectiùs reddiderunt) *diem mali.* Omnia enim hîc valdè bona & conſequenter creationis hominum in Adamo finis proprius & per ſe valdè bonus eſt: ſed hæc actio *Prov. 16. v. 4.* tendit ad diem mali.

IV. *Originaliter:* Nam in creatione hominum in Adamo nulla erat cauſa diei mali: At *Prov. 16. v. 4.* datur cauſa mali diei, impietas nimirum.

V. Χρονικῶς vel *ratione temporis:* Nam creatio hominum in Adamo tempore & naturâ prior eſt actione hâc, de qua agit Salomon: Siquidem lapſus Adæ (ex quo omnis impietas & dies mali fluxit) creationem jam abſolutam certo intervallo ſecutus fuit, *Gen. 3. v. 6.*

Secundo: Locus poſterior Salomonis: *Deus fecit impium ad diem mali*, intelligitur 1. vel *Materialiter*, quod DEus hominem abſolutè, id eſt ratione ſubſtantiæ ſine peccato & impietate conſideratum, ad diem malum creaverit. 2. Vel *Formaliter*, quod nempe DEus impium ut impium, id eſt ratione formæ & quoad impietatem creaverit. 3. Vel *Finaliter*, quòd DEus impium ut impium & propter impietatem ordinaverit & determinaverit ad diem malum ceu pœnam. Atqui *primum membrum* falſum eſt: quia dies mali juxta phraſin Spiritus S. non ſignificat peccata impii, ſed meritas peccatorum pœnas ſive temporales, ſive æternas, ſive utrasqve: omnis verò pœna præſupponit delictum, juxta univerſam Scripturam & juſtitiam omnem, divinam & humanam: homo verò in hoc primo membro tantùm ratione ſubſtantiæ, id eſt, abſolutè & ſine reſpectu peccati conſideratur. *Secundum membrum* itidem falſum eſt, quia 1. omne, quod DEus creavit & creat, eſt bonum: & ut Salomon in hoc ipſo *cap. 16. v. 15.* immediatè ſeqvente ait: *Abominatio Domini eſt omnis arrogans.* 2. Si DEus impium ut impium crearet, eſſet per ſe & prima cauſa omnis impietatis & omnium flagitiorum (quatenus ſunt talia) quæ ab omnibus impiis in toto mundo perpetrantur, quod blaſphemum. Ergò relinquitur *tertium membrum* eſſe verum & orthodoxum, quod nimirum DEus ex juſtitia ſua homines (ſuâ propriâ culpâ & malitiâ) impios juſto judicio ordinet, determinet, dirigat, reducat & trahat ad diem mali, ceu juſtas & promeritas pœnas, in qvibus juſtitia divina prædi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

prædicatur. Non igitur DEus facit impium, ut ſit impius: ſed quia ſuo vitio impius erat, DEus ipſum facit ad diem malum, hoc eſt, juſtè punit: Idqve propter ſemetipſum, hoc eſt, ut juſtus & ſapiens agnoſcatur & celebretur. Qui ſenſus hujus Loci Scripturæ dictis & exemplis innumeris eſt conſentaneus, & cum textu *Salomonis* apprimè convenit, qui in præcedentibus verbis capitis *16. Prov. non de rerum creatione, ſed divinâ providentiâ* haud obſcurè loqvitur. Providentia namqve Dei Vindicatrix eſt, quâ DEus delinqventes dignis pœnis afficit. Ipſe enim omnia novit & ab oculis ejus nihil eſt abſconditum. Unde omnia peccata punit, vel in hoc, vel in futuro ſeculo, tum quia eſt omniſcius, tum quia eſt juſtus.

Πόρισμα.

Ex dictis igitur patet, quod planè abſurda ſit Calviniſtarum hæc ſententia. Quia ſua explicatione Deum manifeſtè peccati cauſam & authorem ſtatuunt. Creatura enim Creatoris effectum eſt. Et contra Creator Creaturæ cauſa. Si igitur de Impii creatione, quâ talis eſt, hoc dictum accipiatur, uti verè ſonat Calviniano ſenſu acceptum: quicquid tandem prætendant: certè impius, quâ talis, Dei creantis effectus erit.

§. 128. ANTILOGIA V.

G*En. 1. v. 26.* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Pſal. 33. v. 6. Verbo (h. e. Filio) *Jehovæ* (Dei Patris) Cœli firmati ſunt, & *Spiritu oris* ejus (h. e. Spiritu S.) omnis exercitus (ſtellæ) eorum.

DUBIUM.

In hiſce Locis Creatio *omnibus tribus Perſonis* SS. Trinitatis *conjunctim:* At in Symbolo Apoſtolico SOLI Patri tribuitur.

CONCILIATIO.

Creatio conſideratur *dupliciter: 1. Abſolutè. 2. Relatè.*

ABSOLUTE, h. e. quoad ipſum actum agendi. Et ſic *omnibus tribus perſonis* æqualiter competit. Quia una & indiviſa trium Perſonarum Deitatis eſt Eſſentia: & opera Dei ad extra ſunt indiviſa, h. e. non uni Perſonæ Deitatis propria, ſed toti Trinitati communia. Jam Creatio eſt opus Dei ad extra: ſiquidem Creatio eſt primum opus, quo Deus ex arcana ſuæ Majeſtatis ſed prodiens Creaturis ſeſe manifeſtavit. E. non eſt opus unius Perſonæ, ſed toti Trinitati commune. Non autem hinc ſequitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tres eſſe Creatores: quia nomen Creatoris eſt nomen officii, quod divinæ eſſentiæ tribuitur communiter: & perſonæ unicuique in Eſſentia Deitatis ſingulariter. Ubi Linguæ Hebrææ commendatur felicitas, quæ ita enunciat בָּרָא אֱלֹהִים, h. e. Dii (Perſonæ Trinitatis) creavit. Ubi numerus pluralis cum verbo ſingulari conjunctus denotat creationem tanquam actionem unicam tribui tribus Perſonis Deitatis, quæ propterea non tres Creatores, ſed unus Creator ſunt dicendæ, quia Creatio eſt unica.

Quando verò Creatio conſideratur RELATE, h. e. quoad modum & ordinem agendi, tum *Patri* aſſignatur ut plurimum duplici quidem de cauſâ:

I. *Reſpectu originis:* Quia ipſe uti eſt fons & principium Filii & Spiritus S. Ita quoqve eſt principium operationum divinarum, videlicet creationis, Conſervationis, gubernationis.

II. *Reſpectu ordinis:* Quia Pater eſt prima in SS. Trinitate Perſona: Ideoqve creatio ipſi rectè tribuitur. Etenim Creatio eſt primum opus, quo Deus ſe, ex arcana ſuâ ſede prodiens, exteriùs creaturis manifeſtavit. Ut enim Deus, qui naturâ eſt inviſibilis, etiam à viſibilibus poſſet cognoſci Creaturis, opus factum eſt à Deo, quod opificem inviſibilitate ſuâ manifeſtaret, uti *D. Ambroſius ſuper c. 1. Epiſtolæ ad Rom. pag. 14.* loquitur.

§. 129. ANTILOGIA VI.

GEneſ. 8. v. 22. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non ceſſabunt.

Zach. 14. v. 6. 7. Et erit in die illa: non erit Lux, ſed frigus & gelu. Et erit dies una, quæ nota eſt Domino; non dies neque nox, & in tempore veſperi erit Lux.

DUBIUM.

Prior Locus emphaticum de Providentia Dei ſuppeditat teſtimonium. Ex hac enim temporum diſtinctione & viciſſitudine non tantùm hominum, ſed etiam animantium ſalus & incolumitas dependet. Sementis facit, ut Meſſem futuram ſperemus: Meſſis, ut victum habeamus: Frigus, ne torpeſcamus, Æſtus, ut maturitatem frugum expectemus: Æſtas, ut nos recreemus; hyems, ut terram quieſcere ſinamus: Dies, ut opera cultus divini vocationisque noſtræ exeqvamur: Nox denique, ut exoptatâ quiete fruamur, feſſaque membra recreemus. En providentiæ bonitatisque divinæ argumentum!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Neque hanc providam paternamque Dei curam *Locus poſterior* abnegat aut in dubium vocat. Etenim non intelligendus eſt φυσικῶς, ſed πνευματικῶς. Lux veræ agnitionis Chriſti haud fulgebat, charitas in animis hominum refrixerat, confuſio dogmatum in Theologia Scholaſtica erat, ut verè neqve dies, neqve nox in Eccleſiâ Chriſti appareret, donec tandem ſub Mundi veſperam Lux Evangelii per Lutherum eſt exorta, qui convertit cor Patrum ad filios, & Filiorum ad Patres, qvod de temporibus ultimi ſeculi prædixerat Malachias *cap. 4. v. 6.* Confer *Jer. 51. v. 48. Dan. 12. v. 44. 2. Theſſ. 2. v. 9.* Hic eſt Angelus ille volans per medium cœli, habens evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens voce magnâ: Timete Deum & date illi honorem: Quia venit hora Judicii ejus, & adorate eum, qvi fecit cœlum & terram & mare, & fontes aquarum, *Apoc. 14. v. 6.*

§. 130. ANTILOGIA VII.

G*Eneſ. 1. v. 1.* In Principio creavit Deus cœlum & terram.

Matth. 19. v. 4. Ab initio Deus fecit hominem, maſculum & fœminam fecit eos.

Confer. *Marc. 10. v. 6.*

DUBIUM.

Moſes aſſerit, Jehovam à principio creâſſe *cœlum & terram*: At Chriſtus in duobus Locis poſterioribus ait, *hominem* ab initio eſſe creatum, qvod veritati haud conſentaneum eſſe videtur: ſiquidem ex hiſtoria Moſaica conſtat, qvod Deus hominem, omnibus creatis & abſolutis in cœlo, terra & mari, ultimo loco ſive ſexto die creaverit, & poſteà ab opere ſuo quieverit.

℞. *Principium* conſideratur *dupliciter*: Eſt enim vel ἄχρονον vel ἔγχρονον.

Principium ἄχρονον eſt Principium increatum omni principio carens, & omnibus eſſendi principium ſuppeditans, illudqve 1. eſt ſolus Deus. 2. æternitas, *2. Theſſ. 2. v. 13. Prov. 8. v. 22.* item *1. Joh. 1. v. 2.* Sed de hoc Principio hoc loco non eſt quæſtio.

Principium vero ἔγχρονον eſt principium principiatum ſive principium temporis: illudqve eſt vel *creationis* vel *productionis.*

I. *Initium* Creationis in *duplici* accipitur *ſenſu:*

PRIMO *in ſenſu generali, abſoluto ſive collectivo*, h. e. ſecundum latitudinem, h. e. ſignificat initium creationis & omnium creaturarum

ἐν ἑξαημέρῳ h. e. ſpatio 6. dierum ſimul creatarum: earumque principium originis & ordinis ſimul inſinuat, h. e. deſcribitur in *1. & 2. cap. Gen.* quod omnes res creatæ originis ſuæ initium in creatione acceperint, & ſimul ſucceſſio qvædam rerum ſimilium, ejusdemve eſſentiæ exprimitur. Hinc *Syr. 18. v. 1.* dicitur, qvod Deus creaverit omnia SIMUL, ſive in principio, h. e. ſex dierum ſpatio. Vid. hujus Loci de Creatione Antilog. III. ubi pleniùs hunc Syracidis locum explicavimus.

Deinde *in ſenſu ſpeciali, relativo ſive diſtributivo*, h. e. ſecundum ſtrictam ſignificationem ſignificat principium ſive initium creationis cujuslibet rei creatæ in ſpecie, ſive ſignificat initium Originis, qvo qvælibet res creata eſſe cœpit. Et hîc notandum eſt *axioma:* Principium ἔγχρονον creationis pro diverſitate rerum creatarum ſignificationem ſortitur diverſam. Diverſum autem cujuslibet rei creatæ initium ex *1. & 2. cap. Gen.* eſt petendum.

II. *Principium* ἔγχρονον *ratione productionis* conſideratum pro rerum productarum diverſitate diverſam ſortitur ſignificationem vox principii. Significat enim *initium*

1. *Ordinationis*, *Matth. 19. v. 8.* Ab initio (h. e. in primævâ Conjugii ordinatione ſive Inſtitutione) non erat ſic.

2. *Ordinis* vel *Introductionis*, quo ſenſu uſurpatur *Sir. 25. v. 33.* A muliere initium factum eſt peccati, & *1. Tim. 2. v. 13. 14.* Adam prior formatus eſt, deinde Eva: & Adam non fuit deceptus: (ſcil. prior) ſed mulier ſeducta obnoxia facta eſt transgreſſioni.

3. *Reformationis* vel *reſtaurationis*, ut *1. Joh. 1. v. 1.* Vetus hoc præceptum eſt ſermo ille, quem audiſtis ab initio. Ubi initium vel principium ſignificat inſtaurationem legis aut formationem populi Iſraëlitici in gentem ordinatam ac Eccleſiæ conſtitutam, quod factum eſt in eductione ex Ægypto.

4. *Concionis* vel *prædicationis* Evangelii, ut *Joh. 6. v. 64.* dicitur: Chriſtum noviſſe ab initio, quinam non crederent. Et *Joh. 16. v. 4.* inquit Chriſtus: Hæc volui vobis dicere *initio*, quia vobiscum fui. In quibus locis per *initium* notatur prædicatio Chriſti.

APPLICATIO.

Ex datâ diſtinctione apparet, alio modo vocem *initii* intelligendam in Moſe, quàm in Matthæo, nec tamen inter ſe pugnare loca illa, ſed optimè convenire. Nam Moſes loquitur de Principio ἐγχρόνῳ in ſenſu ſpeciali, relativo ſive diſtributivo, h. e. de primo temporis puncto, in quo Deus res creare cœpit, & ante quod nec tempus, nec motus, nec mobile ul-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

bile ullum fuit, ſed ſolus Deus in æternitate exiſtens: ſimulq; ſeriem operis indicat, q. d. in principio creavit Deus Cœlum & terram, id eſt, prima, quæ creavit, fuerunt cœlum & terra. Chriſtus verò loquitur de Principio Creationis, in ſenſu generali, abſoluto & collectivè accepto, ut videlicet per principium vel initium denotet fluxum illius puncti per primos ſex dies, quibus Deus totum opificium cœli & terræ creare abſolvit.

§. 131. ANTILOGIA VIII.

G*En. 1. v. 31.* Deus vidit, quæ fecerat, & ecce erant omnia valdè bona. *Rom. 8. v. 20.* Deus ſubjecit creaturam Vanitati.

DUBIUM.

Si DEus omnia valdè bona condidit, quomodo creaturam vanitati ſubjecit, & quidem non tantùm hominem, qui peccavit: ſed etiam univerſam creaturam, quæ non peccavit.

℞. Diſtingvendum eſt inter *Statum* Creaturarum *Naturalem* & *Præternaturalem.*

Creaturæ *in Statu Naturali* ſuo initio creatæ fuêre bonæ, ſicut dicitur *Gen. 1.* h. e. absqve ulla deformitate, corruptione aut noxa: Sed *poſt lapſum* Protoplaſtorum ex juſto Dei judicio omnes Creaturæ vanitati ſunt obnoxiæ. Sicut dicit Paulus *Rom. 8. v. 20.* ματαιότητι vanitati creatura ſubjacet non volens ἐχ ἑκῦσα, ſed propter illum, qui ſubjecit illam iſti vanitati. Hîc ματαιότης, h. e. vanitas ſignificat fluxam & vanidam creaturarum conditionem, cui opponitur conſtans & integra Natura & recto tramite ad finem ſuum pertingens, quo modo in initio eſt creata. Sed propter hominem, ejuſqve peccatum vanitati eſt ſubjecta. Unde non ſine cauſa Apoſtolus addit, quod Creatura ſubjaceat vanitati, ἐχ ἑκῦσα, h. e. non volens: Quæ verba per προσωποποιίαν ſunt accipienda, & ſignificant, quod creaturæ non naturali ſuâ inclinatione (ſic enim omnes res naturaliter ad ſui conſervationem vergunt) ſed præter naturalem propenſionem vanitati ſubjacent, idqve διὰ τὸν ὑποτάξαντα, ut loqvitur Apoſtolus, h. e. propter DEum ſubjicientem, ſub cujus τάξει ſunt omnes creaturæ, eiqve obedire coguntur. Et huic vanitati Creaturas ſubjecit DEus ſtatim poſt Hominis lapſum: ubi DEus hominem hiſce verbis alloqvitur, *Gen. 3. v. 17. 18.* Maledicta eſt terra propter te: Spinas & tribulos tibi ferat. Ubi notandum, quod ſpinæ etiam ante lapſum fuerint productæ à terrâ, ſed absqve hominis moleſtia & noxa: poſteà verò ceſſerunt in hominis maledictionem; ut in agris hominis laborem eludenent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

rent. Unde pulcherrimâ voce Spinæ in lingvâ קוֹץ dicuntur à rad. קוֹץ Chald. קָץ nauſeam habuit, nauſeavit, faſtidivit, abhorruit, moleſtum fuit: Quia poſt lapſum homini factæ ſunt faſtidium, abominatio & nauſea, Ita accipitur illa vox *Num. 21. v. 6.* Anima noſtra קָצָה Targ. עָקַת afflicta eſt vel nauſeam habet in pane iſto. Luth. reddidit: Unſer Seelen eckelt für dieſer loſen Speiſe. Ad hanc quoque vanitatem omnium Creaturarum reſpiciens Eva filium ſuum ſecundogenitum vocat Abel vel Hebel. Hebel enim vel Abel ſignificat vanitatem ſive rem vanam & vilem, quæ nihil eſt & non ſubſiſtit, ſed citò evaneſcit aut deſinit. Et pulcherrimè eadem vox Hebel *μετωνυμικῶς* halitum oris hyemalis vel vaporem citò evaneſcentem, item ventum vel auram ſignificat: cui homines hominumqve vitæ aſſimilatur, *Eſa. 57. v. 20.* Omnes iſtos tollet Ruach, ventus, auferet habel, halitus. *Pſal. 39. v. 6.* Hebel eſt omnis homo, *Pſal. 144.* Homo la Hebel halitui ſimilis eſt. *Pſal. 90. v. 10.* Conſumimus dies noſtros ſicut hege Targ. habel, halitum. *Jacob. 4. v. 14.* Quid eſt vita veſtra? ἀτμὶς, vapor enim eſt ad exiguum apparens, poſteà verò evaneſcens.

USUS.

Uſus Vanitatis Creaturarum *triplex* eſt: *Theoreticus*, *Pædeuticus* & *Paræneticus*. I. Uſus *Theoreticus* rurſus *duplex* eſt, ex parte DEI & ex parte Noſtri.

Ex parte DEI eſt, ut agnoſcamus ex hâc vanitate, cui creaturas Deus propter peccatum ſubjecit, magnitudinem tum peccati, tum juſtiſſimæ iræ divinæ, quam Deus nobis ob oculos ponere voluit, quando non tantùm ipſos homines peccantes, ſed etiam creaturas ἀλόγους, non peccantes propter hominum peccata vanitati ſubjecit.

Ex parte Noſtri, ut diſcamus hanc creaturæ vanitatem non eſſe naturalem, ne creaturam incuſemus, ſed præternaturalem, & adventitiam, non eſſe γεννητὴν, ſed ἐπιγινόμενον, uti pulchrè loquitur D. Baſilius.

II. Uſus Pædeuticus ex parte Chriſti eſt, ut diſcamus immenſum Chriſti erga nos amorem & charitatem, quando ipſe pro peccato protoplaſtorum noſtrorum ſatisfactionem præſtiturus coronâ ſpineâ coronari, & miſerrimè noſtri causâ cruciari voluit. Scribit enim Pindarus *Art. 33. Paſſ.* quod in corona illa ſpineâ fuerint ſeptuaginta & ſeptem ſentes, quarum quælibet habuerit 3. acies, qvæ fecerint Chriſto mille vulnera. Hoc ſummum Chriſti beneficium agnoſcamus, proqve eo gratias agamus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

III. *Uſus Paræneticus* ſimiliter *duplex* eſt: *Primus*, ut diſcamus metuere tremendum Dei judicium, quod cùm univerſæ creaturæ incumbat propter alienam culpam, quantò gravius incumbet, inque interitum deprimet omnes homines impios & improbos non reſipiſcentes propter culpam propriam. *Alter* eſt, ut diſcamus fugere peccata: quæ non tantùm hominem peccantem damnationi, ſed etiam univerſam creaturam vanitati ſubjecerunt.

DUBIUM.

Quærit *Chryſoſtomus*, num injuriam patiatur Creatura, quod propter nos patiatur? Reſpondet: Minimè: Quia propter hominem erat creata.

§. 132. ANTILOGIA IX.

GEn. 1. v. 16. DEus fecit duo luminaria magna, (h.e. Solem & Lunam.) *Ibid.* DEus fecit *Luminare majus*, ut præeſſet diei, (h.e. Solem,) & *Luminare minus*, ut præeſſet nocti, (h.e. Lunam.)

DUBIUM.

Si Sol & Luna ſunt Luminaria magna, uti primùm Moſes dicit: Quomodo igitur Sol Luminare magnum eſt: & Luna Luminare minus. Hæc enim videntur ἀσύςατα eſſe, neqve ſimul conſiſtere poſſe. Unde ἄθεοι Scripturæ Sacræ veritatem ex hoc Loco oppugnârunt, ut *Celſus*, *Lucianus*, *Julianus Apoſtata*, *Porphyrius*, *Apelles*, aliiqve.

℞. Sol & Luna conſiderantur 1. *in ſenſu conjuncto*, ſic ſimul dicuntur Luminaria Magna, in reſpectu ad reliquas cœli ſtellas. 2. *in ſenſu disjuncto*, ſic Sol dicitur *Luminare magnum abſolutè*, quia reverà reſpectu ſui Luminare magnum eſt, non tantùm reſpectu Lunæ, ſed etiam reſpectu reliquarum ſtellarum, propter magnam apparentiam, magnam corporis molem & magnam lucis copiam. *Luna* dicitur *Luminare minus comparatè*, ſcilicet reſpectu Solis propter minorem apparentiam, minorem corporis molem & efficaciam.

DUBIUM.

Non videtur credibile tantam eſſe Solis magnitudinem, videtur enim hoc ipſum cum omni ſenſu pugnare.

℞. Diſtingvendum inter *Judicium ſenſus* κατ᾽ ὄψιν, ſecundum quem Ruſtici ſenſuum mancipia indicant, & *Judicium Rationis* κατὰ κρίσιν, ſecundum qvem eruditi & rerum Phyſicarum periti judicant.

Locus IX.
De
ANGELIS.
§. 133. Antilogia I.

Psal. 104. v. 4. dicitur de Spiritibus Creatis: Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis.

Eſa. 63. v. 8. dicitur de Chriſto: Angelus faciei ejus ſervavit eos.

Matth. 11. v. 10. dicitur de Johanne Baptiſta: Ecce ego mitto ἄγγελον μȣ, Angelum meum ante faciem tuam, qui præparaturus eſt viam tuam ante te.

Dubium.

In tribus hiſce Locis *vox Angeli* de ſubjectis diverſis enunciatur. Ubi dubium, quo ſenſu diverſè illa ſuppoſita Angeli ſint dicenda. Nam vox Angeli aut eſt nomen officii aut nomen naturæ. Si eſt nomen naturæ. Ergò etiam Chriſtus naturâ eſt Angelus, id quod Photiniani contendunt. Sin verò eſt nomen officii, quomodo dici poteſt, quod ſit nomen naturæ vel eſſentiæ, quando de Spiritus Creatis enunciatur.

Conciliatio.

Vox Angeli *dupliciter* accipitur, ratione Termini à Quo, & ratione Termini ad Quem.

Ratione Termini à Quo hæc vox ab officio ſic dicta, & ſignificat nuncium ſive Legatum. Græcè dicitur Ἄγγελος, h. e. nuncius, Legatus, ab ἀγγέλλω nuncio, annuncio. Hebraicè dicitur Malach, quam vocem alii deducunt ab הָלַךְ transpoſitâ literâ ה & eadem in א mutata, ut ſit, qui mandatum habeat à ſuo Domino eundi ad aliquid annunciandum vel efficiendum. Alii q. מַה לָּךְ: Quid tibi, h. e. quid novi affers, dici exiſtimant. Alii de radice an ſit propria, an aliunde deducta, diſputare nolunt. Sed etymon quod attinet, nuncium nomen trahere arbitrantur à מְלָאכָה, h. e. opere, quod is agenda mittentis exequatur, vel quod illius quodammodo opus ſit.

Ratione Termini ad Quem dupliciter accipitur: γενικῶς καὶ εἰδικῶς.

I. γενικῶς vel *in genere* ſignificat nuncium vel Legatum ſimpliciter, & ſic nudum officii nomen eſt, quomodo non tantùm de hominibus, ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

etiam de Filio Dei tum ἀσάρκῳ, tum ἐνσάρκῳ enunciatur. Hic enim in V.T. in forma Angeli Patribus apparuit, voluntatemque Dei illis patefecit, & in N.T. in plenitudine temporis homo factus, tanquam Angelus fœderis fœdus inter Deum & homines morte & ſangvine ſuo confirmavit, *Ebr. 9. v. 15.*

II. Εἰδικῶς vel *in Specie* vox Angeli conſiderata de Spiritibus creatis enunciatur, & tum diverſo reſpectu & officii & eſſentiæ nomen eſt. Ratione originis eſt nomen officii; ratione ſignificationis eſt nomen tum naturæ, tum officii: illam enim πρώτως, hanc δευτέρως notat. Non ſecus atqve vox Deus πρώτως denotat ſubſtantiam; δευτέρως poteſtatem, ſive officium divinum, (intellige, quando hæc vox propriè, non metaphoricè accipitur.) Evidenter hoc demonſtrari poteſt ex Loco *Pſal. 104. v. 4.* ubi dicitur: Qui facit Angelos ſuos Spiritus & Miniſtros ſuos flammam ignis. Hîc Angeli ponuntur loco ſubjecti, deque illis dicitur, quod Deus illos faciat Spiritus, h. e. ventos, ſicut explicat Lutherus, & miniſtros ſuos flammam ignis לוֹהֵט Targ. מְצַלְהֲבָא flammantem, fulgura diſcurrentem.

Hîc de Perſonis Angelorum nomina officii prædicantur. Similiter *Ebr. 1. v. 13. 14.* Angeli Spiritus adminiſtratorii dicuntur. Hîc Angeli ab adminiſtratoriis Spiritibus diſtingvuntur. Ergò ſubjectum & prædicatum idem non ſignificant. Jam verò prædicatum eſt nomen officii. Ergò non ſubjectum (h. l.) quia ſubjectum & prædicatum ſemper formaliter diſtingvuntur: Aliàs enim prædicatio identica foret.

Neqve authoritas Patrum nobis contrariatur, qui dicunt, quod *vox Angeli* ſit nomen officii, non naturæ. Contrà verò *vox Spiritûs* nomen ſit naturæ, non officii. Ita enim inqvit *Auguſtinus*, & ex eo *Iſiodorus:* Quæris nomen ejus naturæ? Spiritus eſt. Quæris officium? Angelus eſt. Actionis igitur nomen eſt Angelus. Nam agendo, h. e. aliquid nunciando Angelus ſive nuncius appellatur. Cùm mittitur, eſt Angelus: cùm autem per ſe & qualis ſit conſideratur, Spiritus eſt. Etenim

1. Loqvuntur illi de vocum origine, non verò de formali utriusqve ſignificatione.

2. Vox Angeli eſt nomen officii in *ſenſu disjunctivo*, h. e. qvando à voce Spiritûs diſtingvitur. Sed in *ſenſu compoſito* eſt nomen non nudi officii, ſed naturæ ſimul. Quia Angelus definitur, quod ſit Spiritus creatus, intelligens, per ſe ſubſiſtens, à Deo conditus, ut DEum celebret, & homini inſerviat.

3. Aliud eſt, quando nomina Angelorum inter ſe conſiderantur: & aliud eſt, quando cum hominibus vel Chriſti vel Hominum comparantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

rantur. Ibi vox Angeli accipitur formaliter & abſtractivè: hic verò formaliter & concretivè: ibi notat officium: hîc verò connotat ipſam naturam & ſuppoſitum.

§. 134. ANTILOGIA II.

EBr. 1. v. 14. Angeli omnes Adminiſtratorii ſunt Spiritus, qui in Miniſterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis.

Job. 9. v. 13. Sub quo curvantur, qui portant orbem, h. e. Angeli, qui motu ſuo cœleſtem Mundum circumvehunt.

DUBIUM.

Si Angeli ſunt à Deo conditi, ut miniſtrent hominibus ſalutis hæredibus: quomodo illi portant orbem. Nam ita Locum poſteriorem explicat *Pererius Comm. in Gen. lib. 2. q. 5.* Fingit enim ipſe non à ſe moveri cœlos, ſed ab Angelis, & *Connimbr. lib. 2. de cœlo cap. 5. q. 5. art. 4.*

℞. Officia hæc diverſa Angelorum nullo modo pugnarent, ſi in Scripturis S. utraque manifeſtata. Jam verò de poſteriori Scriptura tacet. Ergò tantum merum figmentum illud nos repudiamus.

Officia autem vera Angelorum Bonorum reſpectu triplicium Subjectorum conſiderantur, vel *reſpectu Dei*, vel reſpectu *Chriſti*, vel reſpectu *Noſtri*.

I. *Reſpectu DEI.* Angeli boni inſerviunt Deo *duplici modo:*

1. ψαλμωδία, h. e. *hymno* & *præconio.* Quia eum ejusqve majeſtatem divinam atque gloriam laudant & glorificant in omnem æternitatem.

Exempla V. T. *Job. 38. v. 7.* Ubi tu eras, cùm me laudabant Filii Dei? *Eſa. 6. v. 2. 3.* Seraphim clamabant alter ad alterum dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.

Exempla N. T. Angeli in honorem Chriſti recens nati præclarum carmen cantabant genethliacam: Gloria in excelſis Deo, pax in terra, & hominibus bona voluntas, *Luc. 2. v. 13. 14. Apoc. 7. v. 11. 12.* Omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & Seniorum & quatuor Animalium & procubuerunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes: Amen, Benedictio, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. Λειτουργία, h. e *Miniſterio.* Quia miniſtrant Deo Domino ſuo.

PRIMO: IN FORO *POLI*, uti patet

Tum ex Titulis. Nam dicuntur λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ, h. e. Miniſtri Dei facientes voluntatem ejus, *Pſal. 103. v. 20. 21.*

Tum ex Exercitiis. Quia dicuntur STARE CORAM DOMINO, *1. Reg. 22. v. 19. Eſa. 6. v. 1. 2. Dan 7. v. 10. Luc. 1. v. 19. Apoc. 7. v. 11.* Quâ phraſi perpetuum Angelorum, quod Deo præſtant, miniſterium exprimitur. Nam ſtare coram aliquo crebrò in Sacris ſervire vel miniſtrare alicui ſignificat, uti patet ex *Gen. c. 41. v. 46. Dan. 1. v. 5. 1. Reg. 16. v. 21. Num. 3. v. 6. Judic. 20. v. 28. Pſal. 135. v. 2.* Hoc autem Miniſterium ſuum Angeli ſummâ cum agilitate & ſedulitate expediunt. Unde etiam Alæ illis tribuuntur, *Eſa. 6. v. 2.*

SECUNDO: IN FORO *SOLI* miniſtrant Deo triplici reſpectu:

1. Ut LEGATI vel PRAECONES Dei voluntatem nunciantes hominibus, iisque vel *vigilantibus*, ut Abrahæ, *Gen. 18. v. 2.* Monoæ, *Judic. 13. v. 3.* Danieli Prophetæ, *Dan. 9. v. 21.* Zachariæ, *Luc. 1. v 11.* Virgini Mariæ *Luc. 1. v. 27.* vel *Dormientibus*, ut Jacobo Patriarchæ, *Gen. 28. v. 12.* Joſepho, *Matth. 1. v. 20.*

2. Ut MILITES. Quia perpetuas contra Satanam excubias agunt, & contra eos pugnant, *Pſal. 34 v. 7. Dan. 10. v. 13. & 20. Apoc. 12. v. 7.*

3. Ut VINDICES. Quia juſſu Domini Zebaoth vindictam de impiis & Deo Creatori ſuo refractariis ſumunt. Sic Deus per Cherubim Protoplaſtos noſtros è Paradiſo ejiciebat, *Gen. 3. v. 24.* Bileamo Pſeudoprophetæ Angelus Domini reſiſtebat, *Num. 22. v. 22.* Angelus unus in exercitu Regis Sennacheribi milites 185000. interficiebat, *2. Reg. 19. v. 35.* Angelus Domini unus uno triduo 70000. ſubditos Davidis trucidabat, *2. Sam. 24. v. 15.* &c.

II. *Reſpectu CHRISTI.* Sic Angeli boni ſimiliter Chriſto capiti & Domino ſuo dupliciter inſerviunt:

I. Λατρεία, h. e. *ipſum adorando.* Adorârunt enim eum

PRIMO in ſtatu exinanitionis in Eccleſia militante, *Hebr. c. 1. v. 6.* Et adorent eum omnes Angeli. Confer *Pſal. 97. v. 7.* & *Luc. 2. v. 13.*

Deinde in ſtatu Exaltationis in Eccleſia triumphante, *Phil. 2. v. 9. 10. Apoc. 5. v. 11. & 12. cap. 7. v. 11. 12.*

II. Λειτουργία, h.e. *miniſterium ei præſtando:* Nam Angeli apparuerunt 1. In Chriſti conceptione & nativitate, *Luc. 2. v. 9. & 13. Matth. 1. v. 20.* 2. In infantia ejus, *Matth. 2. v. 13.* 3. Miniſtrârunt ei

runt ei, cùm tentatus à Sathana glorioſè eum viciſſet, *Matth. 4. v. 11.* 4. Miniſtrârunt ei in agone, *Luc. 22. v. 43.* 5. In reſurrectione ſex Angeli apparuerunt, *Matth. 28. v. 2. Marc. 16. v. 5. Luc. 24. v. 23. Joh. 20. v. 12.* 6. Miniſtrârunt ei in aſcenſione ad cœlos, *Act. 1. v. 10.* 7. Apparebunt quoque & miniſtrabunt ei in glorioſo ad judicium adventu, *Matth. 25. v. 31. Marc. 8. v. 38. c. 13. v. 27. Luc. 9. v. 26. 1. Theſſ. 4. v. 16. 2. Theſſ. 1. v. 7.*

III. *Reſpectu NOSTRI.* Angeli inſerviunt hominibus, uti ex loco ſuprà allegato patet. In Specie *autem* hominibus inſerviunt *duobus modis:*

1. Ut Duces eos dirigentes, ne incidant in malum culpæ. Dirigunt enim eos

Primo: *In via veritatis*, ne errent in doctrina veritatis, id quod ex hiſtoria Danielis patet, *Dan. c. 8. v. 16. 17. c. 9. v. 21. 22. cap. 10. v. 12. 14.*

Secundo: *In viâ Sanctitatis*, ne ceſpitent in vita, juxta illud *Pſalmi 91. v. 11. 12.*

2. Ut Custodes. Quia Angeli cuſtodiunt homines in via calamitatis, ne malis pœnæ ſubruantur, & excubias pro illis agunt, ne à Satana decepti vincantur, ſed ſub patrocinio atque protectione eorum ab omnibus malis & periculis tuti ſint atque immunes, *Pſal. 34. v. 7.* & *Pſal. 91. v. 11. 12.* Ita ſancti Angeli Homines in omni vitæ Statu velut cuſtodes protegunt atqve defendunt:

I. *In Statu Eccleſiaſtico* cuſtodiverunt Eliam à tyrannide Jezabelis, *1. Reg. 19. v. 5.* Eliſæum à violentia exercitus Syrorum, *2. Reg. 6. v. 23.* Petrum Apoſtolum à virulentia Herodis, *Act. 12. v. 7.* Paulum Apoſtolum in naufragio, *Act. 27. v. 44.*

II. *In Statu Politico.* Angelus Domini Regem Ezechiam & totum Regnum Juda à Sennacheribi tyrannide liberavit, *Eſa. 37. v. 36. 2. Par. 32. v. 21.* Angelus Domini tres Socios Danielis, Sadrach, Meſach & Abednego in media ignis ardentis flammâ in fornace Babylonica mirabiliter cuſtodivit, *Dan. 3. v. 25.*

III. *In Statu Oeconomico.* Angeli Domini cuſtodiverunt Jacobum Patriarcham, cum uxoribus & liberis, & tota familia à furibundi Eſavi tyrannide, *Geneſ. 32. v. 28.* Angeli Domini cuſtodiverunt Joſephum & Mariam cum puerulo JESU à tyrannide immanis tyranni Herodis, *Matth. 2. v. 12.*

Ex dictis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Ex dictis jam patet, quomodo Locus prior *Heb.1.v.14.* de Angelorum officio rectè ſit explicandus.

DE LOCO POSTERIORI.

Ad Locum poſteriorem reſpondemus tripliciter:

I. *Rhetoricè* per ἐπιωλήζιν. Meritò ridendi ſunt Jeſuitæ cum hoc ſuo [illegible] figmento. Fingunt enim Angelos Spiritus liberrimos Cœlum humeris ſuis portare non ſecus ac Poëtæ fabulati ſunt Atlantem cœlum humeris ſuis exceptum portâſſe: alii ad imitationem veri poëtici Atlantis ſimulachrum hominis bicorporis ſculpſerunt formâ gibboſâ, more eorum, qui onera dorſo geſtant, columnas ædium aut ipſum ædificium ſuſtinens. De quo ſalsè Martialis: *Non aliter ridetur Atlas cum compare gibbo.* Ita quoqve bajuli illi cœlorum Jeſuitici tanquam Atlantes Poëtici meritò ſunt ridendi: quippe de quo Scriptura Sacra verbum habet nullum.

II. *Grammaticè:* Vitium in vulgatâ verſione commiſſum eſt. Textum Hebr. ita reddidit *Arias Montanus:* Sub eo incurvaverunt ſe *Ozerei Rahab:* Adjutores ſuperbiæ: Alii Adjutores fortitudinis. Per Adjutores autem ſuperbiæ vel fortitudinis Magnates & Potentes in mundo intelliguntur, qui ſuâ potentiâ elati altos gerunt Spiritus, quaſi cœlum humeris ſuis portent. Verùm vel hi tandem coram Deo ſe incurvare, h.e. humiliari coguntur. Lutherus rectè reddidit: Unter Jhm müſſen ſich beugen die ſtoltzen Herren. Et in gloſſa marg. addit: Die ſtoltzen Juncker / die ſich auff ihre Macht verlaſſen / und jederman helffen können.

III. *Logicè:* Pervertunt Jeſuitæ in hoc dicto tùm Subjectum, tùm Prædicatum. Subjectum eſt *Ozerei Rahab*, hoc à Jobo in malam partem, à Jeſuitis verò in bonam partem pro Angelis bonis accipitur. Vox enim רַהַב ſignificat tumor, elatio, ſuperbia à rad. רָהַב invaluit robore & potentia, robuſtus, magnificus, inſolens fuit, ſuperbivit, *Eſa. 3. verſ. 5.* יִרְהֲבוּ invaleſcent pueri contra ſenem. Targ. יִשְׁלְטוּן dominabuntur. *Job.26.v.12.* Et in prudentia ſua percuſſit רַהַב ſuperbiam. LXX. τὸ κῆτος Cœte. Al. Reges ſuperbos. Deinde Jeſuitæ prædicatum *Tachetaſſ Schachatu* reddiderunt *propriè*, ſub eo curvantur (quâ loqvutione moles geſtationis & bajulationis inſinuatur) cùm ſit accipiendum *metaphoricè*. Sub eo incurvaverunt ſe, h.e. humiliare ſe coram DEO coacti ſunt. Planè ſicut dicitur *Phil. 2.v.10.* quod in Nomine JEſu flectat ſe omne genu cœleſtium, (Angelorum in cœlis) terreſtrium & inferorum, h.e. ipſorum

rum Diabolorum hominumqve improborum, h. e. omnes in univerſum, & boni & mali JEſu Chriſti potentiam agnoſcere cogentur.

§. 135. ANTILOGIA III.

1. REg. 22. v. 19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum Cœli ei aſtantem à Dextris & Siniſtris.

Matth. 18. v. 10. Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Ebr. 1. v. 14. Omnes Angeli ſunt λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα, h. e. ſunt adminiſtratorii Spiritus, qui in miniſterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis.

DUBIUM.

Si omnes Angeli Deo adſtant à Dextris & Siniſtris, ſicut dicitur in loco primo. Et ſemper vident faciem Patris cœleſtis: Quomodo *dici poteſt, quod omnes Angeli ſint adminiſtratorii Spiritus*, qui in miniſterium emittuntur in terram. Nam aut dicendum eſt, *Angelos eſſe ubique* (quia ſi aſtant Deo in cœlis & ſimul ſunt in terris, non poſſunt non ubique eſſe) aut *diverſos eſſe Angelorum ordines*, quorum quidam dicuntur Aſſiſtentes, h. e. qui ſemper aſſiſtunt Deo, quidam verò miniſtrantes, qui in miniſterium hominum à Deo ablegantur, quod Jeſuitæ contendunt.

℞. *Reformati & Jeſuitæ* mirè hîc ſeſe torquent. *Sohnius in Exegeſi Auguſtanæ Conf. pag. 558.* ita reſpondet: 1. Viſionem ibi proponi *1. Reg. 22.* non rei geſtæ hiſtoriam. 2. Per ἀνθρωποπάθειαν ſub imagine alicujus terreni Regis & Monarchæ conſideranda nobis proponitur providentia Dei omnia adminiſtrantis: ac nihil aliud ſignificatur, quàm Deum omnia providentiâ ſuâ regere & gubernare, omniaque ad nutum ipſius præſtò eſſe & parere. Hæc Sohnius.

Gocl. in Prodr. Philoſoph. p. 77. de Loco *Matth. 18.* ita ſcribit: Angeli cùm in terris ſunt, vident faciem Patris cœleſtis non per præſentiam, ſed per internam contemplationem ſeu intuitionem.

Scalig. in Exerc. tria officia Intelligentiis tribuit. Primum eſt, inquit, primarum aſſiſtere: Alterum eſt aliarum mitti ad certa myſteria & miniſteria. Tertium eſt movere orbes. At *diſtinctio illa Scaligeri non tantùm* ἄγραφος, ſed etiam ἀντίγραφος. Nam aſſiſtere Deo promiſcuè omnibus Angelis tribuitur, uti ex *1. Reg. 22.* patet, quod omnis cœli exercitus Deo aſtiterit à dextris & ſiniſtris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Deinde: Similiter alterum officium, videlicet mittere ad certa myſteria & miniſteria, omnibus Angelis ſine diſcrimine tribuitur, *Ebr. 1. v. 14.* ubi omnes dicuntur eſſe λειτουργικὰ πνεύματα, h. e. adminiſtratorii Spiritus. Similiter manifeſtatio myſteriorum divinorum non certo Angelorum ordini, ſed toti multitudini exercituum cœleſtium, h.e. Angelorum tribuitur, *Luc. 2. v. 13.* ubi dicitur: Et ſubitò facta eſt cum Angelo πλῆθος ςρατιᾶς ἐρανίου, multitudo exercituum cœleſtium laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo: Pax in terra, & hominibus bona voluntas, *Luc. 2. v. 13.*

Tertiò: Angeli illi, qui à Deo in terram mittuntur hominibus in miniſterium, nihilominus Deo aſſiſtere dicuntur, *Matth. 18. v. 10.* Angeli eorum in cœlis SEMPER vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Quartò: Inde tamen non ſequitur Angelos eſſe ubique. Etenim ὁμωνυμία eſt in voce cœli.

§. 136. ANTILOGIA IV.

M*Atth. 18. v. 10.* Angeli ſemper vident faciem Patris cœleſtis. *Rom. 8. v. 20.* Paulus indefinitè ſcribit: Vanitati creatura eſt ſubjecta, & *v. 22.* Omnis Creatura ingemiſcit.

DUBIUM.

Si Angeli ſemper vident faciem Patris cœleſtis, h. e. ſunt in gloria & beatitudine cœleſti conſtituti. Quomodo vanitati ſunt obnoxii, ſicut Apoſtolus *Rom. 8.* de Creatura indefinitè loquitur. Unde etiam *Chryſoſtomus*, *Theophylactus* & *Ambroſius vocem* κτίσεως ſive Creaturæ de omni Creatura rationali & irrationali interpretantur. Præterea Angeli boni in bonitate confirmati ſunt Spiritus immutabiles, *quomodo igitur dici poteſt, quod ingemiſcant aut doleant?*

℞. DE LOCO PRIORI.

In hoc Loco Chriſtus de *duplici* Angelorum *officio* loquitur:

PRIMUM eſt, quo funguntur *reſpectu Dei*, in cujus conſpectu nunquam non adſtant, & Patris cœleſtis faciem, quæ eſt ipſius divina eſſentia, gloria & majeſtas, absqve fine (διὰ παντὸς ſc. χρόνου, per omne tempus, in omnem æternitatem) vident. Ubi per *Viſionem Dei* tota Angelorum beatitudo exprimitur, cujus præcipua pars in perfectiſſimâ & jucundiſſimâ Dei viſione conſiſtit. Hinc *coram Domino* STARE dicuntur, *1. Reg. 22. v. 19.* Micheas vidit omnem exercitum cœli aſſiſtentem à dextris & ſiniſtris, *Eſa. 6. v. 1. 2.* Eſaias Propheta vidit DEum ſedentem in ſolio excelſo & ſubli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

& ſublimi: & Seraphim ſtantes ſuper eo, *Dan. 7. v. 10.* Daniel vidit Antiqvum dierum ſedentem ſuper ſolio, & millia millium (Angelorum) miniſtrantium Deo, & decies centena millia, ſtantes coram Deo.

Luc. 1. v. 19. Angelus Gabriel ad Zachariam inqvit: Ego Sto in conſpectu Dei. *Apoc. 7. v. 11.* Omnes Angeli ſtabant in circuitu throni. Quâ phraſi perpetuum Angelorum miniſterium, quod Deo præſtant, & inenarrabilis eorum beatitudo, quam ex viſione DEI percipiunt, exprimitur.

Secundum Angelorum *officium*, quod hoc Loco deſcribitur, eſt, quo funguntur *reſpectu fidelium*, ſiquidem ad DEI emittentis nutum atqve juſſum etiam infantibus à ſervitio & miniſterio ſunt. Nequaquam igitur dici poteſt, Angelos bonos in ſuâ Perſonâ conſideratos vanitati eſſe ſubjectos, quia in principio à Deo in bonitate & veritate conditi; & jam in eadem immutabiliter confirmati æternâ beatitudine fruuntur.

DE LOCO POSTERIORI.

De Loco poſteriori notandum, *quod diverſæ* ſeſe offerant Theologorum ſententiæ: I. Quidam, ut *Auguſt. lib. 83. q. 67.* negat *vocem* Creaturae ad Angelos extendendam. II. Alii, ut ex Patribus quidam, & nonnulli recentiores Theologi per vocem Creaturæ etiam Angelos intelligendos eſſe ajunt. Verùm cùm *Angeli ſunt duplices*, *boni* & *mali*, dicimus, de *malis Angelis* hunc Locum *intelligi neque poſſe* neque *debere*. Nam de talibus Angelis loquitur Apoſtolus, qui ſpem liberationis habent. Atqui Angeli mali non habent ſpem liberationis: quia æternis tenebrarum catenis vincti ſunt atque ligati, uti affirmat Judas in Epiſtola ſuâ *v. 6.* Ergò de Angelis malis hic Locus intelligi non debet.

Dubium.

At dubitare quis meritò poſſet, quomodo de Angelis bonis in cœleſti gaudio & beatitudine conſtitutis, dici poſſit, qvod *vanitati ſint ſubjecti.* Quia σιδηρόξυλον eſſe videtur, eſſe beatum, & tamen miſeriæ atque vanitati obnoxium.

℞. *Angeli boni dupliciter* conſiderantur: 1. προσωπικῶς, h.e. *in ſua perſona*, & ſic in ſe & in natura ſua ſunt incorruptibiles, ac proinde dici non poteſt, qvod vanitati ſint ſubjecti, hoc enim cum glorioſo ipſorum ſtatu è diametro pugnaret. 2. Διακονικῶς, h.e. quatenus *in miniſterio* ſunt, & ſic rectè dici poteſt, qvod vanitati ſint ſubjecti, non quidem ſuæ, ſed hominum. Quia hominibus non tantùm Electis, ſed etiam reprobis multâ vanitate refertis inſerviunt, eosque & res eorum

custo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

cuſtodiunt, ubi ſæpe videre coguntur ipſos bonis ſuis non rectè uti ad Dei gloriam, ſed abuti ad Creatoris ignominiam. A quâ tamen vanitate in die ἀποκαταστάσεως πάντων *Act. 3. v.26.* liberabuntur.

Similiter Angeli συστενάζειν καὶ συνωδίνειν, h. e. ingemiſcere & condolere dicuntur non κυρίως, ſed ἀνθρωποπαθῶς. Sicut etiam Genua, *Phil. 2. v.10.* & Linguæ, *1. Cor. 13. v.1.* per ἀνθρωποπάθειαν iisdem tribuuntur. Et ſicut Angeli ob hominum piorum pœnitentiam dicuntur lætari, *Luc. 15. v. 10.* Ita quoque ob impiorum impœnitentiam & peccata continuata dicuntur contriſtari. Neque hæc aſſertio eorum perfectionem aut beatitudinem tollit ſeu imminuit. Quia ſicut cruciatus & dolor Diabolorum poſt hanc vitam erit major futurus: Ita quoque gaudium Angelorum majus erit. Qvia ipſorum miniſterium, qvod in Eccleſia militante exercent, in Eccleſia triumphante ceſſabit, *1.Cor. 15.v. 24.*

§. 137. ANTILOGIA V.

2. P*Et.2.v.4.* Deus Angelis, qui peccaverant, non pepercit.
Joh. 8. v. 44. Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.

DUBIUM.

In priori Loco Petrus πληθυντικῶς dicit, Angelos peccâſſe. At *Johannes Evangeliſta* aſſerit μοναδικῶς, Diabolum homicidam ab initio fuiſſe. Unde dicendum videtur, nomen plurale Angelorum per nomen ſingulare Diaboli explicandum eſſe; licèt formâ ſit plurale, tamen ſignificatione eſſe ſingulare. Ac proinde non multos, ſed unum Diabolum peccâſſe.

CONCILIATIO.

I. *Tria* ſunt *Scripturæ Loca*, quæ de lapſu Angelorum malorum diſertè loqvuntur, videlicet *Joh. 8. v. 44. 2. Pet.2. v. 4.* Et *in Epiſt. Jud. v.6.* Licèt Locus primus de Diabolo loqvatur μοναδικῶς, reliqua duo πληθυντικῶς: nulla tamen hîc eſt pugnantia, ſed Locus primus ex ſecundo & tertio eſt explicandus, ſicut fidei analogia requirit.

II. Vox Diaboli accipitur διττῶς: 1. μεταφορικῶς. Sic ſemper ἀτόμως ſive de uno individuo accipitur, & hominem malum veritatiq; adverſantem ſignificat. Ita Chriſtus *Joh.6.v.70.* Judam, & Petrum paſſionem diſſvadentem Sathanam vocat, *Matth.16.v.23.* Sic David *2. Sam. 19. v. 22.* Joabum Sathanam appellat: quia volebat quaſi invito Rege inficere Semei culpam deprecantem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. Vox Diaboli κυρίως accepta non tantùm ἀτόμως, ſed etiam συναγωγικῶς, h. e. non tantùm pro uno individuo, ſed etiam pro toto corpore accipitur, ut h. l. Hûc gemina referri poteſt Regula:

PRIMA: *Nomen terminatione ſingulare* ſæpe *ſignificatione eſt plurale.*

ALTERA eſt: Quando Scriptura ſacra *ſingulari numero utitur pro plurali*, tum ſæpe plus ſingularitate ſignificat, quàm pluralitate.

Poſteriorem hanc regulam, quæ meritò obſervanda, *Auguſtinus* in libris Locution. de Geneſi & Exodo aliquot Exemplis illuſtrat. Neſcio, inquit, lib. 2. locut. de Exodo, quomodo per loquendi conſvetudinem imbutus ſenſibus hominum ſæpe plus videtur, quod ſingulariter, quàm quod pluraliter dicitur. Nam plus accipitur, cùm dicitur, verbi causâ, eſt illic miles, quàm ſunt iſtic milites: eſt illic piſcis, quàm ſunt illîc piſces. Exempla verò ſacra, quæ ponit ibi *Auguſtinus* ad Lingvam ſanctam examinata, non quadrant. Nos ſeqventia *Exempla* adducimus: *Exod. 15. v. 21.* inqvit Maria Prophetiſſa ſoror Aaronis: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: EQVUM & ADSCENSOREM ejus dejecit in mare. In Lingva ſancta habetur סוס & רֹכְבוֹ LXX. reddiderunt ἵππον καὶ ἀναβάτην. Hîc per numerum ſingularem innumerabilis equorum multitudo ſignificatur. Sic *Dan. 8. v. 3. 5.* nominibus ſingularibus Leonis, Urſi, Arietis, Pardi multos Reges intelligit. Et D. Paulus *2. Theſſ. 2. v. 3.* Per hominem peccati, & Johannes Apoſtolus *2. Ep. v. 7.* Per impoſtorem & Antichriſtum non ſingularem aliqvem hominem, ſicut *Bellarminus* Jeſuita fingit *lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2.* Sed quoddam quaſi corpus multorum impoſtorum & improborum deſignat. Sic vox peccati, quando peccatum originale notat, non unum in individuo peccatum, ſed totam peccatorum colluviem notat, ut cum *Joh. 1. v. 29.* dicitur: Ecce Agnus Dei, qui tollit τὴν ἁμαρτίαν, peccatum mundi. Unde D. Paulus *Rom. 6. v. 6.* peccatum originale ſignificanter corpus peccati appellat. Quia eſt ſentina & colluvies peccatorum in homine, quæ totum hominis corpus non ſecus ac lepra occupavit & infecit, ita ut in toto hominis corpore nulla ſit ſanitas à vertice uſqve ad plantam pedis. Eodem modo vox Diaboli non individualiter vel numericè, ſed collectivè eſt accipienda, ſicut fidei analogia reqvirit.

III. Dici etiam poteſt quod nomen μοναδικῶν Diaboli *Joh. 8. v. 44.* non ſignificet Diabolum *excluſivè*, ſed *authoritativè*, h. e. ſignificet Diabolorum Principem, ita tamen, ut reliqui Diaboli non excludantur, ſed includantur. Et hoc inſinuatur, quando *Geneſ. 3. v. 15.* vocatur *ſemen ſerpentis.* Hîc per *ſemen ſerpentis* tota Diaboli intelligitur Familia, non

quaſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

quaſi Diaboli generent aut generentur: (quia Diaboli ſunt Spiritus, qui non ſunt ἀγέννητοι neqve ἀγένητοι: neqve etiam γεννητοὶ, ſed γένητοι, h.e. non generantes aut geniti, ſed creati & facti) Verùm hâc voce ἀρχὴ & Principatus indigetatur, quod unus Diabolorum ſit ſupremus, qui in ſcriptis Evangeliſtarum Beelzebub vocatur, cujus principatum ſequitur reliqua ſpiritualium diabolicorum caterva. Atqui ita cohors, virtus & poteſtas regni Sathani ſemen ſerpentis ſignificatur. Clariùs hoc ipſum eluceſcit ex myſtica pugna Michaëlis & Draconis *Apoc. 12.* deſcripta, ubi *verſ. 12. 13. & 14.* ita legimus: Væ habitatoribus terræ & maris: quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet. Et poſtqvam vidit Draco, quod projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aqvilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie ſerpentis.

Patet igitur ex dictis, quod *Locus Johanniticus* ſecundum fidei Analogiam explicatus cum *Loco Petrino* nullo modo pugnet, ſed amicè eidem conſonet.

LOCUS X.
DE
HOMINE AD IMAGINEM DEI condito.

§. 138. ANTILOGIA I.

GEn. 2 v. 15. Poſuit Deus hominem in horto Eden, ut coleret & cuſtodiret eum.

Gen. 3. v. 19. Quia paruiſti voci uxoris tuæ, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.

DUBIUM.

Labor Adamo ab ipſo Deo impoſitus fuit *in ſtatu integritatis*, unde etiam *Hiob. c. 5. v. 7.* inquit: ſicut avis creata eſt ad volandum, ita homo ad laborandum. Quomodo ergò *in ſtatu corruptionis* Labor eidem eſt injunctus: propter παράβασιν tanquam pæna ſeu maledictio & afflictio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Conciliatio.

In labore conſideranda ſunt duo: 1. γυμνασία, h.e. *animæ & corporis exercitatio* 2. γυμνασίας κακία, h. e. moleſtia adjuncta, ſive *animæ & corporis defatigatio. Ante lapſum* labor fuit quaſi luſus & liberale exercitium cum ſumma animi & corporis voluptate & jucunditate conjunctum, à Deo creaturæ ſuæ injunctum, ſicut pater tenero filio omni copia fruenti, ne inſolens fiat, parvam quandam & congruam curam excogitat: ſic Dominus Adæ operationem & cuſtodiam horti præcepit, ut eum voluptate & jucunditate placidè hæc duo perageret, quæ proclivitatem ad lapſum morarentur ac impedirent, ut *Chryſoſt. hom. 14. in c. 2. Gen.* loquitur. *Poſt lapſum* verò ad laborem hæc appendix valdè oneroſa à Deo eſt adjuncta, nempe moleſtia & defatigatio, orta ex imbecillitate virium, quæ præſentiſſimum & quotidianum eſt teſtimonium iræ Dei adverſus lapſum. In *ſtatu integritatis* labor fuit facilis & jucundus, poſt *lapſum* eſt difficilis, injucundus & moleſtus. Tædium enim affert & vires corporis animiq; aufert. Labor *ante Lapſum & poſt lapſum differt*

1. *Ingreſſu*, *ante lapſum* Homo 1. rationem operandi ſciviſſet. 2. promptam voluntatem opera exequendi habuiſſet. 3. facultas ei fuiſſet faciendi ea, quæ intendiſſet. *Poſt lapſum* rerum invertitur ordo: 1. mens eſt obſcurata. 2. voluntas propter peccatum facta eſt ſerva & affectuum luxuriantium tumultui ſubjecta. 3. facultas ſæpe ita eſt imminuta, ut, licèt rationem modumque calleamus, & voluntatem promptam habeamus, facultate tamen & viribus deſtituamur.

2. *Progreſſu*, *ante lapſum* fuiſſet ſumma in labore jucunditas; *poſt lapſum* comes laboris aſſiduus eſt moleſtia & defatigatio miſerrima, adeò ut non ſecus ac ferrum uſu conſumitur: ita vires animi & corporis noſtri labore affligantur & conterantur.

3. *Egreſſu*, ante lapſum fructus laborum ſequutus fuiſſet ſemper exoptatus. Vid. *Luth. in comm. ſuper Geneſ. p. 18. & 19.*

§. 139. Antilogia II.

Gen. 1. v. 27. Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

1. Cor. 15. v. 47. Primus homo eſt de terra terrenus.

Dubium.

Prior locus arguit hominem eſſe immortalem, ſicut etiam ex *Sap 2. v. 23.* patet, ubi dicitur, quod Deus condiderit hominem inexterminabilem. At in *loco poſteriori* homini adſcribitur mortalitas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

CONCILIATIO.

In conciliatione horum locorum duo ſunt notanda: 1. *Diverſitas ſubjectorum.* 2. *Diverſitas Statuum.* *Locus prior* loquitur de *toto homine* & *toto hominis.* Totus enim homo ſecundum animam & corpus creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Πρώτως enim homo conformis Deo creatus erat ſecundum animam quoad juſtitiam, ſanctitatem & veritatem, ſicut explicat Paulus *Col.3.v 10. Eph.4.v.14.* Δευτέρως autem Deo conformis erat quoad corporis impaſſibilitatem & immortalitatem, quia *Sap. 2, 23.* dicitur, quod Deus creaverit hominem ἐπ᾽ ἀφθαρσίᾳ in incorruptibilitate (quæ nihil aliud erat, quàm immortalitas) & ad imaginem propriæ ſimilitudinis fecerit eum. Sed *locus poſterior* loquitur de homine ſecundum corpus conſiderato. Hujus enim reſpectu eſt è terra & exiſtit terrenus.

Deinde *locus prior* loquitur de *ſtatu integritatis*, & exprimit hominis dignitatem & excellentiam originalem: at *locus poſterior* loquitur de *ſtatu corruptionis*, & exprimit hominis conditionem & ſtatum corruptibilem, uti patet ex Apoſtoli *ſcopo & diſſertatione.* Apoſtolus Paulus *v. 44.* diſſerit *de duplici ſtatu* corporum noſtrorum, præſente & futuro: *præſens* eſt ψυχικὸς, animalis, *futurus* ſubſequens eſt πνευματικὸς, ſpiritualis: priorem accepimus ab *Adamo* primo, poſteriorem ab Adamo poſtremo. Hoſce autem duos Adamos inter ſe confert Apoſtolus tanquam duo principia ſive duas cauſas procreantes omnium hominum quoad ſtatum vitæ naturalis præſentem, & quoad ſtatum vitæ ſpiritualis futurum. *Oppoſitio* autem illa duplex eſt:

I. Opponuntur ſibi invicem ratione ſtatus & *conditionis, v.45.* factus eſt primus homo Adam in animam viventem: extremus Adam in Spiritum vivificantem, h. e. ſpiritualem ac vivificam virtutem nactus eſt ſecundum carnem; poſt reſurrectionem accepit Chriſtus corpus ſpirituale, h. e. Spiritu Dei plenum pro ſe & pro nobis, h.e. Chriſti corpus non tantùm ſpirituale eſt factum ratione ſui, ſed etiam ut noſtra corpora ſpiritualia efficere poſſit.

II. *Ratione Originis & affectionis, v.47.* Primus homo eſt de terra terrenus, ſecundus homo eſt ipſe Dominus de cœlo. *Adam* dicitur de terra *terrenus* 1. *Ratione originis*, quia originem duxit ex terra. 2. *Ratione ſubjecti* ſive loci, quia in terra à DEO fuit collocatus. 3. *Ratione objecti & finis*, quia terram colere debuit. 4. *Ratione eventus*, quia ad terrenam vitam, terrenas moleſtias, terrenam denique mortem & conditionem fuit condemnatus voce Dei dicentis, *Gen. 3, 17.* In Sudore vultus tui comedes de terra cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, donec revertaris in terram, ex qua ſumptus es.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Chriſtus verò eſt *Dominus de cœlo*, h. e. ille non eſt tantùm verus homo ex Maria Virgine natus, ſed ſimul Dominus de cœlo, quia cum Filio, qui eſt Dominus cœli, unam perſonam conſtituit, ita ut jam non ſolus Dei Filius, ſed etiam ſecundus homo dicatur Dominus de cœlo per communicationem Idiomatum.

III. *Reſpectu generationis v. 48. 49.* Qualis terrenus ille, tales & hi, qui terreni ſunt, & qualis ille cœleſtis, tales & ii, qui cœleſtes ſunt. Et qvemadmodum geſtavimus imaginem terreni: geſtabimus & imaginem cœleſtis. Hic filii Adami terreni & cœleſtis inter ſe comparantur, ratione qualitatum diverſarum, ſive ratione vitæ animalis & ſpiritualis. Sicut enim Patres diverſi ratione qualitatum: ita filii eorum ſic diſtingvuntur, quia filii indolem parentum referre ſolent. Adamus ergò terrenus poſt lapſum fuit ipſe animalis, generabilis, corruptibilis, mortalis, terræ deditus: Contrà verò Adamus ſecundus, quippe homo cœleſtis poſt reſurrectionem ſpiritualis, glorioſus, incorruptibilis, & immortalis fuit, ergò tales quoqve filios generabit.

Quare nos, quamdiu hîc vivimus, imaginem Adami terreni, ad cujus imaginem gignimur, geremus, & vitam animalem vivemus, hoc eſt, generabilem, corruptibilem, mortalem, cibo potuqve indigebimus &c. Poſt reſurrectionem verò imaginem Adami cœleſtem geremus, h. e. ingenerabiles, incorruptibiles & immortales erimus, & cibo potuqve haud indigebimus, ſed ἰσάγγελοι futuri ſumus.

APPLICATIO.

Sed hinc nullo modo ſequitur, ut vult *Socinus*, Adamum fuiſſe *mortalem naturaliter*, quia ex terra fuerit formatus. Nam S. Scriptura utrumqve de Adamo enunciat, tum quod fuerit ex terra formatus, tum quod fuerit immortalitate à Deo in creatione donatus. Sed hoc tantùm inde ſequitur: *Adamum* aliter fuiſſe *immortalem in ſtatu innocentiæ*; & aliter ipſum & nos futuros immortales in *ſtatu gratiæ*; illa fuit immortalitas conditionata: hæc abſoluta; illa fuit potentia non moriendi: hæc fuit impotentia moriendi: aliam ergo in Adamo immortalitatem perdidimus, aliam verò in Chriſto recuperavimus.

Scriptura loquitur *de Adamo dupliciter*: 1. *in ſenſu abſoluto*, quando in ſtatu primo à DEO conditus conſideratur reſpectu ſui, ſic immortalis fuit non quidem abſolutè, ſed conditionatè. 2. In *ſenſu comparativo*, quomodo opponitur ſecundo Adamo, qui eſt Adam cœleſtis, ſic conſideratur immortalis.

§. 140. An-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 140. ANTILOGIA III.

SAp. 2. v. 23. Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.

Eſa. 40. v. 17. Omnes gentes quaſi nihil & minùs quàm nihilum & vacuum æſtimatæ ſunt ab eo. Cui ergò ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?

℞. *Diſtingvendum* 1. *inter comparationem* ἰσότητος, h.e. *æqualitatis vel paritatis.* Sic inter Deum & creaturas nulla eſt comparatio ſive proportio. Hûc enim pertinet dictum illud *Eſ. 40. v. 15.* Ecce gentes quaſi ſitulæ ſtilla, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes gentes qvaſi nihil &c. Quod autem additur: cui ſimilem feciſtis Deum? Hæc verba non negant omnem Dei ſimilitudinem cum creaturis, ſed talem, qvalem gentes fingebant, qvæ imagines formabant, qvibus Dei ſubſtantiam exprimere volebant. Id qvod Deus juſtiſſimè reprehendit. 2. *Diſtingvendum inter comparationem* ὁμοιότητος, h.e. *ſimilitudinis.* Sic homines Deo ſunt ſimiles, ſicut dicitur *Sap. 2.* cui conſonat illud, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Confer *Col. 3. v. 10. Epheſ. 4. v. 24.*

Conformitas vel eſt *ſubſtantialis*, de hac loqvitur Eſaias; vel *Accidentalis*, de qua ſermonem facit liber *Sap. 2.*

§. 141. ANTILOGIA IV.

GEneſ. 3. v. 22. Ecce Adam factus eſt qvaſi unus ex nobis, ſciens bonum & malum.

1. Cor. 15. v. 45. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem. *v. 47.* primus homo de terra terrenus.

DUBIUM.

Si Adam eſt quaſi una ex perſonis SS. Trinitatis, qvomodo dici poteſt, ipſum eſſe de terra terrenum, inque animam viventem factum? ſicut Paulus inqvit *1. Cor. 15.*

℞. Duplex loquendi genus eſt: *Proprium & Figuratum. Proprium* loqvendi genus eſt, qvando videlicet κτ' τὸ ῥητὸν, ſive ut ſonant verba, accipiuntur. *Figuratum* eſt, qvando verba ad alium ſenſum transferuntur. Ex hac diſtinctione Loca hæc φαινομένως contraria facilè conciliari poſſunt. Poſterior locus propriè; prior verò figuratè, h. e. ironicè eſt accipiendus. Ironicè enim Deus inqvit: Ecce Adam &c.

contra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

contrarium enim ſentit. Tantum enim aberat, ut Adamus Apoſtata factus eſſet ſicut Deus, Deove ſimillimus, ut longè factus eſſet diſſimillimus, quia larvâ diaboli horrendâ qvaſi perſonatus & deformatus.

DUBIUM.

At Ironia eſt *ſpecies irriſionis & illuſionis*, ideoqve in Deum vix quadrare videtur. Siqvidem Deus clementiſſimus neminem illudit aut irridet, ſed potiùs de miſeria hominum condolet, *Luc. 7. v. 13. & 19. v. 41.*

℞. *Ironia* eſt *duplex: σαρκαστικὴ, illuſoria*, qvando qvis petulanter & præfractè alii ſubſannat. Sicut *Judæi* Chriſtum ſarcaſticè irrident, qvod ſe Filium Dei dixerit & tamen morte execranda illi moriendum ſit, *Matth. 27. v. 40.* Talis Ironia in Deum non cadit, neqve talis hoc loco eſt intelligenda, quia eſt Scopticorum, cavillatorum & impiorum propria. Deinde eſt *ironia ἐπογιωστικὴ καὶ ἐπανορθωτικὴ, exprobratoria*, qvâ quis ingrati animi crimen aliis exprobrat. Tali ironiâ utitur Deus hoc loco. Siqvidem *Adamo exprobrat* 1. *Inobedientiam*, qvod diaboli verbis potiùs quàm ſuis fidem adhibere voluerit. 2. *Superbiam*, qvod divinitatem nefariè affectaverit. 3. *Miſeriam*, qvod, cum Deo ſimilis eſſe voluerit, diabolo ſimilis factus ſit: cum divinitatem affectaverit, etiam illam amiſerit, ad qvam creatus ſit, imaginem, in juſtitia & ſanctitate conſiſtentem. Et hæc *ironica exprobratio* non eſt aliena à Deo, ſiqvidem Adamo *non hoſtiliter* ſubſannavit, ſed pro morbi neceſſitate violentiùs remedium adhibuit. Etſi enim Adam hâc ſuâ calamitate miſerrimâ vehementer confuſus eſſet, attonitusqve in conſpectu Dei Judicis tremendi ſtaret, attamen mali cauſam non ſatis expendebat, Dominus ergò ipſe hâc ironicâ exprobratione cor ipſius pungere penitusqve confodere voluit, ut ſorte ſuâ contentus eſſe diſceret, eaqve, quæ DEI ſunt, non appeteret.

DUBIUM *ſecundum*.

At *Ironia* cum *mendacio* videtur eſſe conjuncta, quia autem in DEum non cadit mendacium: Ipſe enim eſt verax & ſermo ejus Veritas.

℞. *Ironia exprobratoria*, de qua hic loquimur, mendacium non eſt, quia definitio mendacii * eidem non competit, quin potius hæc ironia magnam in hoc loco habet gratiam, nam tecta vituperatio ſemper venuſtior eſt quàm apertum convitium. Non ergò omnis Ironia ſaluberrimum conſilium excludit, ſed ſæpiſſime hoc ipſum pleno ore proponit. Etenim ironia non tantùm adhibetur in Deciſionibus, ſed etiam in reprehen-

* Mendacium eſt diſconvenientia cordis, oris & operis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

prehenſionibus juſtis, ſeriis & gravibus, in querelis, in admiratione, commiſeratione &c. Quæ omnia illuc tendunt, ut quemvis, qui in propoſito vel aberravit, vel certè aliàs ſibi nimium tribuit, officii ſui admoneamus, & verbis aliquomodo vel amicis vel etiam amaris ad veram deducamus metæ palæſtram. Ita etiam Dominus ſalubriter h. l. uſus eſt ironiâ.

LOCUS XI.

DE

PROVIDENTIA DEI.

§. 142. ANTILOGIA I.

SAp. 11. v. 25. Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; neque enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.

Rom. 9. v. 13. inqvit Apoſtolus ex *Malach. 1. v. 13.* Jacob dilexi, Eſavum odio habui.

Dubium.

Ex Loco poſteriori Calviniani abſolutum reprobationis decretum exſtruunt.

Conciliatio.

Diſtingvendum eſt inter *odium Moraliter* & *Logicè acceptum. Morali odio*, h. e. inimico reprobationis & damnationis odio DEus nullam creaturam odit, ſicut *Sap. 11.* ſcriptum extat, & hac ratione confirmari poteſt: Quemcunqve DEus odio inimico odit, ille eſt peccator; quia aliàs DEus injuſtus foret, ſi quenquam ſine cauſa odiſſet: Atqui Eſavus, antequàm natus eſſet & quicquam mali feciſſet, non erat peccator, ergò Deus Eſavum, antequam natus eſſet & quicquam mali feciſſet, inimico odio non odit. Sed Dominus odit, antequam natus eſſet, *odio Logicè* ſive in *ſenſu comparativè* accepto, ipſum non tanto amore proſeqvutus eſt atqve Jacobum, fratrem ejus, cui jus primogenituræ poſtpoſito Eſavo contulit. Et hoc odium non erat inimicum reprobationis & damnationis odium, ſed tantùm *ad temporalia* ſe extendebat, ſicut ex *Malach. 1. v. 2. 3. 4.* clarum eſt, ubi tanquam in propria ſede odium hoc ad vaſtationem Idumeæ reſtringitur: nullo autem verbo ad inimicum & hoſtile reprobationis æternæ odium extenditur. Vide ipſa Prophetæ verba *v. 2. & ſeq.* Jam verò ſi in hoc Loco prophetico, Jacob dilexi, Eſau verò odio habui, per dile-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ctionem æterna dilectio: per odium autem hoſtile reprobationis odium intelligendum eſt, conſeqvens foret non tantùm Jacobum, ſed etiam totam Jacobi poſteritatem ad vitam æternam eſſe electam: contrà verò Eſau & totam ejus poſteritatem ad damnationem reprobatam eſſe, ratio eſt, quia verba illa à Propheta ad poſteritatem tùm Jacobi, tum Eſavi extenduntur, uti ex clara Textûs litera patet. At conſeqvens eſt falſum. Nam non totam Jacobi poſteritatem electam & ſalvatam eſſe à Calvinianis conceditur, & ſic ex utraqve parte extra controverſiam eſt: Similiter certum eſt totam Eſavi poſteritatem non eſſe reprobatam & damnatam.

§. 143. ANTILOGIA II.

JOb. 14. v. 5. Determinati ſunt dies hominis, conſtituiſti terminos ejus, quos præterire non poſſunt.

Pſal. 55. v. 24. Impii non dimidiabunt dies ſuos.

DUBIUM.

Si ergò Impii vitam ſuam abbreviare poſſunt, Deus illis non conſtituit certum vitæ terminum.

CONCILIATIO.

Conſtitutio termini dupliciter intelligi poteſt: 1. *prout eſt in ordinatione divina*, & ſic termini vitæ hominis præteriri non poſſunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia eſt infallibilis. 2. *prout eſt in effectu exteriori* in quantum ex naturalibus cauſis eſt periodus certa vitæ hominis, & in aliquibus major & minor ſecundum varietatem complexionis. Et ſecundum hoc termini vitæ poſſunt anticipari per malum regimen, gladium vel aliam occaſionem.

LOCUS XII.
DE PECCATO.

§. 144. ANTILOGIA I.

ROm. 8. v. 1. Nihil damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto JEſu.

1. Joh. 1. v. 8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas non eſt in nobis.

DUBIUM.

Joh. Apoſt. diſertè inquit de ſe & aliis fidelibus, quod habeant peccatum: Jam verò omne peccatum eſt damnabile, quomodo ergò Pauli enunciatum poterit eſſe verum?

CON-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

CONCILIATIO.

Peccatum abſolutè & in ſe ſemper eſt damnabile, *relatè* verò conſideratum piis in Chriſto non eſt damnabile, h. e. actu nos non damnat.

EXCEPTIO.

Bellarminus inquit: non opus fuiſſe ab Apoſtolo doceri, quod renati nondum reipſa ac actu ſint damnati, cum ſententia damnationis feratur demum poſt hanc vitam.

℞. Diſting. inter *damnationis ſententiam & ſententiæ damnatoriæ manifeſtationem.* Renati ſæpiùs propter peccatum inhærens & undique nos circumſtans, ut loquitur Paulus *Ebr. 12. v. 1.* ſententiam damnationis ſæpe metuunt. Nam ſicut Johannes Evangeliſta *c. 3. v. 36.* de incredulis nunquàm converſis dicit: Qui non credit in Filium, ira Dei μένει ſuper ipſum; ita Ap. Paulus *Col. 3. v. 6.* dicit de credentibus in peccatis contra conſcientiam viventibus: propter hæc ira Dei ἔρχεται, venit ſuper filios incredulitatis. Quare qui ſunt ſub gratia, ſi peccata contra conſcientiam committunt, ita Deum offendunt, ut ira Dei veniat ſuper ipſos, & ne tales actiones committant, Apoſtolus monet *Col. 3. v. 6.* Hoc autem loco *Rom. 8.* animos eorum adverſus metum damnationis erigit, quia inſiti ſunt Chriſto, inque eum credunt, qui autem credit in Chriſtum, ille non venturus eſt in judicium, *Joh. 3. v. 18.* contra verò qui non credit, ille jam judicatus eſt, licèt interim manifeſtatio ſententiæ hujus damnatoriæ extremo judicio reſervetur. Unde patet, quod peccatum in ſe ſit damnabile, non tamen actu pios damnet, quia reatus per fidem tollitur, licèt non à concupiſcentia ipſa, tamen à credente perſona.

§. 145. ANTILOGIA II.

P*Sal. 51. v. 6.* inquit David: Tibi ſoli peccavi.

2. Sam. 12. v. 9. Nathan propheta mandato Dei ad David dicit: Quare contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu ejus? Uriam percuſiſti gladio, & uxorem ejus accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio Filiorum Ammon.

DUBIUM.

In priori loco David dicit ſe *ſoli Deo* peccâſſe, at in poſteriori contrarium dicit Nathan, quod expreſsè peccaverit *in Uriam & conjugem* ejus Bathſabeam, illum innocentem trucidando; hanc verò nefariè ſtuprando.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

℞. *Peccatum conſideratur tripliciter:* 1. *Materialiter*, qvando eſt *actus vitioſus*, h. e. *partim injurioſus:* Sic homo directè peccat non in Deum, ſed in hominem vel proximum, ut ex inductione exemplorum patet, *Gen. 20. v. 9.* dicit Rex Abimelech ad Abraham &c. *Gen. 41. v. 1.* de pincerna Pharaonis &c. partim *ignominioſus*, quia peccatum cedit in Dei ignominiam & obſcurat Dei gloriam, *Rom. 2. v. 24.* Priori modo David peccavit in *Uriam*, intellige directè, vide *2. Sam. 1*[illegible]*. v. 9. 10.* Poſteriori modo peccavit *in Deum.* Nam inquit Nathan ad Davidem v. 9. contempſiſti verbum Domini v. 10. eo, quod deſpexeris me, vid. textum v. 14. blaſphemare feciſti nomen Domini.

2. *Formaliter*, qvando peccatum conſideratur ut ἀνομία: Sic David peccavit contra ſolum Deum tanquam Legislatorem ſummum.

3. *Finaliter*, quando peccatum notat *obligationem ad pœnam.* Sic diſting. *eſt inter Perſonas privatas*, quæ peccant Deo & homini, quia à Deo & hominibus ad ſupplicium rapi poſſunt: & *perſonas publicas*, qvalis fuit David, qvi ſummus in ſuo regno fuit magiſtratus, qui habebat jus majeſtatis & ſuperiorem non agnoſcebat: ſic ſoli Deo peccavit, unde 2. *Sam.* 12. v. 13. peccavi Domino.

REGULA.

Homo qui peccat contra hominem directè, ille qvoqve contra Deum peccat indirectè & ex conſequenti, *Num. 5. v. 6. Ratio* deſumitur 1. *ex hominis creatione:* Homo namque eſt DEI imago, idcirco qui peccat contra proximum, ille quoque indirectè & ex conſequenti peccat contra Deum, cujus ille eſt imago, vid. *Gen. 9. v. 6.* 2. ex *DEI præceptione:* Deus in prima Decalogi tabula dilectionem ſui, in ſecunda verò dilectionem præcepit. Hæc autem duo præcepta indiſſolubili vinculo ſunt copulata, ut qui violat unum, ex conſequenti violet alterum, quia ſecundum præceptum eſt ſimile priori, inquit Chriſtus *Marc. 12. v. 31.* Hinc Joſephus Potipharis uxori ipſum ad adulterium ſollicitanti reſpondit: Quomodo poſſum hoc tàm magnum malum facere & peccare in Deum meum, *Gen. 39. v. 9.*

§. 149. ANTILOGIA III.

1. THeſſ. 5. v. 9. Deus non poſuit nos in iram.

Exod. 9. v. 16. Rom. 9. v. 17. Dicit Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam.

CONCILIATIO.

Dictum prius loquitur de voluntate Dei antecedente, poſterius loquitur de voluntate Dei conſequente.

De Loco

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

De Loco *Exod. 9.*

1. Hic Locus conſideratur *finaliter*, quia Apoſtolus inquit *Rom. 9.* εἰς τῦτο. Hoc autem intelligendum non *de malo culpæ*, ſic non poſuit Pharaonem, h. e. non creavit, aut excitavit, aut impulit illum ad peccandum, nam hæc ſententia per ſe eſt impia, quippe Deus non poſuit nos ad iram; ſed de *malo pœnæ*, ſic Deus poſuit Pharaonem ad puniendum, h. e. cum Pharao Dominum ex ferocia & malitia non poneret ante oculos, ut eum timeret, *Exod. 8. v.32. Exod. 9 v.35.* Dominus tanquam iratus judex poſuit eum ante ſe, ut eum puniret.

2. Obſerv. *REGULA.*

Deus in Sacris loquens introducitur

1. Ut *Pater benevolus*, omnibus hominibus gratiam ſuam offerens, obedientibus verò tanquam Filiis piis eam conferens. 2. Ut *Judex ſeveriſſimus*, homines præfractos & contumaces gratiæ ſuæ in Evangelio oblatæ contemptores graviter puniens, ſic dicitur hoc loco Deum poſuiſſe Pharaonem, h e. conſervaſſe, neque ſubitò deleviſſe eum, ut magis puniret, & potentiam ſuam in illum oſtenderet.

DUBIUM.

1. At inquit D. Paulus εἰς τῦτο ἐξήγειρά σε: Hoc verbum activam ſignificationem habet.

℞. Hoc verbum ex fontibus Ebraicis eſt explicandum.

2. Obſtat *particula* ἵνα, ut, quæ notat cauſam finalem. Quænam ergò ſunt media illius excidii? utique Dei ordinatio.

℞. *Medium non abſolutum*, creatio & excitatio, ſed *ordinatum*, videlicet Pharaonis conſervatio, ſive Dei tolerantia, quâ inductus eum conſervavit, illum in finem, ut eum Domino magis magisq; ſeſe opponentem tandem everteret. Quare particula UT non eſt ἀντιπολογικὴ, ſed πραγματικὴ, h. e. conſequentiva vel ordinis. Vide plura in Q. an Deus ſit cauſa peccati, Antilogiæ IV. adjunctam.

§. 147. ANTILOGIA IV.

1. THeſſ. 5. v. 9. Deus nos non poſuit ad iram.
Job. 7. v. 19. Quare poſuiſti me contrarium tibi.

℞. *Dictum prius* intelligendum eſt *de ipſa rei veritate.* Nam reverà Deus nos non poſuit ad iram, quia Chriſtus ſe poſuit nobis in ſalutem. *Dictum poſterius* intelligendum eſt de *Jobi loquentis infirmitate.* Jobus nam-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

que in calamitate conſtitutus, imaginatus eſt ſibi, quod Deus ſe poſuerit tanquam Scopum calamitatum & ærumnarum.

REGULA.

Pii in Sacris literis duplicem ſuſtinent perſonam in cruce conſtituti, nam interdum introducuntur loquentes πνευματικῶς, *ſecundum Spiritum* ex vera cordis humilitate, quando juſtiſſimum Dei judicium agnoſcunt; interdum σαρκικῶς, quando loqvuntur ex *carnis infirmitate.*

§. 148. *Q. An Deus ſit cauſa peccati?*

℞. Quando Scriptura videtur Deum peccati cauſam facere, tum dicta ſunt explicanda dupliciter:

I. γραμματικῶς. 1. *Negativè*, quando gratiam ſuam non confert. Sic dicitur Deus *indurare*, quando non emollit, juxta Regulam Hebræorum: Sæpe nomina & verba affirmativa pro contrariis negativis. Sic amare vitam eſt eam non exponere periculis. 2. *Privativè*, quando gratiam antea conceſſam aufert. 3. *Permiſſivè.* Actio enim ſæpe permittenti tribuitur. Theodoretus: Pharaonem non divina potentia, ſed patientia obduravit. 4. *Objectivè*, quando Deus verbum offert, miracula oſtendit & ſic ad Pœnitentiam vocat. Sic Deus dicitur indurare *per Accidens*, hoc eſt, non effectivè ſed objectivè, non ſecus atque Lex dicitur operari peccatum, *Rom. 7. v. 8.* 5. *Declarativè*, verba enim Activa crebrò non rei effectionem, ſed effectæ declarationem ſignificant, *Jer. 1. Jac. 2. v. 24.* Sic Deus induravit Pharaonem, h. e. multis prodigiis oſtendit, cor ejus extremè impium & penitus induratum eſſe. 6. *Directivè.* Peccatis limites ponit, eaque ad bonum finem perducit.

II. πραγματικῶς. Locutiones Dei proficiſcuntur 1. Ex *Miſericordia*, & non ad pernitiem, ſed ſalutem hominum intendunt, ideoq; huc non pertinent. 2. *Ex juſtitia* νομοθετικῆ, *Regulativè*, ut præcepta Decalogi. Hæc non præcipiunt malum, ſed bonum, ideoq; ex his Deus peccati cauſa argui non poteſt; δικαστικῆ, *vindicativè*, eæq; *præceptivæ: permiſſivæ, Exod. 11. v. 2.* Deus permiſit Iſraëlitis, ut vaſa ab Ægyptiis commendatò acciperent, *Zach. 13. v. 7.* Framea, inquit Deus, evigila adverſus Paſtorem & percute Paſtorem, *Joh. 13. v. 27.* Quod facis, fac citius, *2. Sam. 12. v. 11.* Ego ſuſcitabo &c. & *declarativæ, Jer. 1. v. 10.* Conſtitui te, ut evehas & deſtruas &c. *Eſ. 6. v. 10.* Incraſſa cor populi hujus, *Zach. 11. v. 13.* projice illud pretium ad figulam &c.

LOCUS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

LOCUS XIII. DE

SERVO HOMINIS ARBITRIO.

§. 149. ANTILOGIA I.

ECcleſ. 15. v. 14. Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilii ſui &c.

Joh. 15. v. 6. Sine me nihil poteſtis facere.

DUBIUM.

In loco priori homini liberum arbitrium tribuitur ſimpliciter; In poſteriori verò eidem derogatur totaliter.

CONCILIATIO.

Locus Eccleſ. 15. intelligendus eſt *de Statu integritatis*, quod adjunctus προσδιορισμὸς luculenter evincit, Lutherus rectè reddidit: Er hat den Menſchen von Anfang erſchaffen und ihm die Wahl gegeben ꝛc. In hoc autem ſtatu homo *ἀναμάρτητος* erat.

NB. Liberum Arbitrium deſcribitur 1. *Formaliter*, quod homo potuerit DEum agnoſcere, ipſius voluntatem explere, illum diligere, eique adhærere liberè & ſuâ ſponte. 2. *Modaliter*. Summa hæc dignitas homini collata fuit ſub mutabili conditione, h. e. Arbitrium ejus nondum erat determinatum, h. e. in ſenſu diſtinctivo potuit eligere vel bonum vel malum, & mandata creatoris ſui ſervare vel violare. Verùm homo per ſpontaneum ſuæ libertatis abuſum à mandatis ſui creatoris ſeſe avertit, atque ad Satanæ ſuggeſtiones ſeſe convertit, & hac ratione ab integritate concreta defecit.

Locus Joh. 15. loquitur de hominibus in ſtatu corruptionis conſtitutis, qui ſine Chriſto nihil in rebus ſpiritualibus præſtare poſſunt.

§. 149. ANTILOGIA II.

MAtth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.

Joh. 6. v. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

DUBIUM.

In priori loco homini libera tribuitur facultas ad Chriſtum veniendi: in poſteriori verò eidem detrahitur.

CONCILIATIO.

In priori loco deſcribitur, qvid facere debeamus, ut requiem animarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

marum noſtrarum inveniamus; nempe ut ad Chriſtum veniamus, ſed inde non ſequitur, qvod nos per nos ad Chriſtum venire qveamus. Etenim à præcepto ad actum implendi ex parte noſtri non valet conſeqventia.

2. Nullo modo ex loco inferri poteſt, quod in noſtris viribus ſit poſitum, ſed hoc indicatur, quod Chriſtus per hanc invitationem in nobis efficaciter operari velit, ſi modò nos ipſi vocanti non contradicamus & reſiſtamus, ſicut ipſe conqveritur *Eſ. 65. v. 2. Matth. 23. v. 37.*

3. Duo hæc accuratè ſunt diſtingvenda, venire ad Chriſtum & non venire ad Chriſtum. Illud præſtare per nos ſine Chriſto non poſſumus, hoc verò poſſumus. Voluntas enim noſtra ad bonum ſpirituale eſt mortua, ad malum verò operoſa.

In *loco poſteriori Joh. 8.* deſcribitur corruptio naturæ noſtræ extrema & voluntas Dei erga nos benefica.

§. 150. ANTILOGIA III.

JEr. 10. v. 23. Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus, neque viri eſt, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.

Act. 14. v. 15. Deus in præteritis ætatibus ſivit omnes gentes viis ſuis incedere.

DUBIUM.

In loco priori ſimpliciter negatur hominem poſſe viis ſuis incedere: in poſteriori verò idem affirmatur.

CONCILIATIO.

Prior locus δίχως conſiderandus: εἰδικῶς de actionibus ſpiritualibus. 2. γενικῶς, non tantùm de ſpiritualibus, ſed etiam de politicis & civilibus.

Poſterior locus loquitur de viis malis, quibus incedere Dominus gentibus permiſit, h. e. ſicut David explicat *Pſ. 81. v. 13.* Deus dimiſit eas ſecundum cogitationes cordis eorum in adinventibus ſuis. Neque tamen hinc Calviniſmus ſtabilitur, quod Deus gentes vel neglexerit, vel ex abſoluto quodam decreto, ut in æternum exitium ruerent, devoverit. Etenim quod ἔασις, h. e. permisſio iſta utrumque videlicet neglectum & abſolutum reprobationis decretum excludat, verba ſequentia luculenter evincunt: Statim enim additur: Quamvis οὐκ ἀμάρτυρον, h. e. expertem teſtimonii ſe ipſum non reliquerit. Unde patet, quod licèt Deus gentiles violentiâ quadam ad cognitionem ſui haud impulerit, attamen non reliqverit ſe ipſum ἀμάρτυρον, ſed manifeſtisſima ſuæ majeſtatis in Natura expreſſerit, quorum χειραγωγίᾳ & manuductione adjuti ad veram

veri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

veri Dei agnitionem pervenire potuiſſent, ſicut *Act. 17. v. 27.* luculenter explicatur. Præterea aliud eſt velle, aliud permittere gentes incedere viis ſuis, non illud, ſed hoc de DEO enunciat Evangeliſta Lucas. Quod autem Deus ex abſoluto quodam Reprobationis decreto noluerit eas viis ſuis peſſimis incedere, h. e. relicto Deo creatore idolis & ſculptilibus adhærere, ex *Pſ. 81.* antea allegato doceri poteſt. Ibi enim dicitur *v. 13.* & dimiſi eos ſecundum cogitationes cordis eorum, ibant in adinventionibus ſuis: Quos tamen Deus voluntate antecedente voluit, ut in viis Domini ambularent, ut habetur in eodem Pſalmo v. 14. Si populus meus audierit me, Iſraël ſi in viis meis ambulaverit.

§. 151. ANTILOGIA IV.

ROm. 1. v. 25. Gentes ex viſibilibus mundi operibus DEum cognoverunt.

Eſa. 65. v. 1. & *Rom. 10. v. 20.* Deum eſſe inventum à Gentibus non quærentibus.

Matth. 7. v. 7. Quærite & invenietis.

DUBIUM.

1. Si DEus invenitur à quærentibus, quomodo ergò Eſaias & Apoſtolus Paulus dicere poſſunt, quod DEus à gentibus non quærentibus ſit inventus. 2. Si gentes DEum non quæſiverunt, ſicut Paulus ex Eſaia Propheta inqvit, *Rom. 10. v. 20.* quomodo gentes ex viſibilibus Mundi operibus DEum agnoverunt? Si eum cognoverunt, eum invenerunt, & ſi eum invenerunt, utiqve eum quæſiverunt, quia cognitio præſupponit inventionem & inventio inquiſitionem.

CONCILIATIO.

Inquiſitio Dei *triplex* eſt:

1. *Naturalis*, quando homo ſeqvens ductum Lucis naturæ, quæ accenſa eſt in Libro tum naturæ tum creaturæ. Sic homo inquirit Deum & invenit, ut videat eum, non quoad faciem, ſed quoad poſteriora ſive veſtigium, h. e. quod ſit Deus & qualis ſit, *Rom. 1. v. 20.* ex operibus DEI æterna Dei potentia & divinitas νοούμενα καθορᾶται dum intelliguntur, pervidentur, h. e. quaſi in ſpeculo conſpiciuntur. Et hæc notitia Dei à D. Paulo *Rom. 1. v. 25.* ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ vocatur. Licèt autem gentes verum Deum cognoverint, non tamen eum ſicut Deum glorificaverunt, ſed in cogitationibus ſuis evanuerunt, ſicut addit Apoſtolus Paulus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. *Literalis.* Sic etiam homo ex reliqviis Imaginis divinæ Deum inveſtigare poteſt: Sed hæc etiam langvida eſt, imperfecta & tandem nulla, h. e. planè evaneſcit, niſi Spiritus lumen gratiæ accendat & Luciferum in cordibus eorum exoriri faciat.

3. *Spiritualis.* Sic nemo Deum ſalutariter quærere & invenire ex propriis viribus poteſt, quia mortui ſumus in peccatis *Eph. 2. v. 5.* Gentes ambulabant in vanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à vita Dei propter ignorantiam, quæ eſt in illis, per obdurationem cordis ipſorum, *Epheſ. 4. v. 17, 18.* ſedent in tenebris & in umbra mortis, *Luc. 1. v. 79.* imò ſunt ipſæ tenebræ, *Eph. 5. v. 8.*

Diſtingvendum tamen hîc eſt inter Homines renatos & non renatos. De *non renatis* verum eſt, quod modò dictum, quia enim illi ſunt tenebræ & obtenebratam mentem habent: quomodo ergò Deum, qui inhabitat lucem inacceſſibilem, *1. Tim. 6. v. 16.* videre poſſunt, DEus enim non cognoſcitur ſine Deo? DEus accendit in mente noſtra lumen gratiæ, ut ipſum, qui verum Lumen eſt, per fidem in verbo quærere & invenire, ipſiusqve faciem videre poſſimus. Quod verò *Renatos & jam converſos* attinet, illi ſpiritualiter DEum in verbo quærere poſſunt, & quærunt, ipſius faciem vident, non tamen ex viribus naturalibus & propriis, ſed ex viribus à Spiritu ſancto in ipſis excitatis. Huc pertinet dictum Chriſti, *Joh. 15. v. 5.* Sine me nihil poteſtis facere.

APPLICATIO.

Hinc jam evidenter conſtat, quomodo Paulus ex *Eſaia* dicat: Deum à gentibus non quærentibus inventum eſſe. Gentes enim licèt DEum ex fabrica mundi cognoverant, cognitum tamen non glorificabant, ſed ſuis ſpeculationibus indulgentes veritatem Dei, h.e. veras de Deo notitias ſuffocabant, inqve mendacium convertebant, dum Deum non ibi quærebant, ubi quærere debebant, videlicet in Verbo, quod ille ſemper tanquam trophæum ſive vexillum, *Eſa. 11. v. 12.* ſuſpendit, ut omnes terræ gentes catervatim accurrant, ibiqve Deum quærant, ſi fortè eum palpent & inveniant, *Actor. 17. v. 27.*

§. 152. ANTILOGIA V.

R*om. 1. v. 25.* Gentes habuerunt ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ.
Pſ. 116. v. 11. & *Rom. 3. v. 4.* omnis homo mendax.
Joh. 7. v. 16. Qui quærit gloriam ejus, qui me miſit, verax eſt.

DUBIUM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Dubium.

Si Gentes habent in ſe ἀλήθειαν τ̃ Θεȣ̃, h. e. veritatem Dei, ſicut dicitur *Rom. 1.* & omnis, qui quærit gloriam Dei, eſt verax, quomodo omnis homo dici poteſt mendax?

Conciliatio.

Tria in hominibus ſunt agendi principia: Φύσις, σὰρξ καὶ πνεῦμα, Natura, Caro & Spiritus, juxta quæ triplicem illi ſubeunt reſpectum.

I. *Reſpectu* Φύσεως homines conſiderantur ut homines: & talia opera ex principiis naturalibus prodeuntia propriè neqve ex fide, neqve ex incredulitate, ſed ex natura fieri dicuntur: ut philoſophari, politicam ſocietatem adjuvare, ad cognitionem Dei aſpirare; Quare conceptus Gentilium, quos de Deo habuerunt, ἀλήθεια τ̃ Θεȣ̃, h. e. veritas Dei à Paulo dicuntur, *Rom. 1.*

II. *Reſpectu* σαρκὸς, h. e. carnis homines conſiderantur ut carnales vel animales, ut loqvitur Paulus *1. Cor. 2. v. 14.* h. e. quatenus non ſunt renati. Talia opera, quæ ab illis fiunt, ſunt peccata, quia non ex fide, ſed ex carne vel incredulitate proficiuntur. Hoc reſpectu omne figmentum cordis humani dicitur eſſe malum inde uſq; à pueritia, *Geneſ. 6. v. 6.* & *8. v. 21.* & Φρόνημα τῆς σαρκὸς dicitur inimicitia adverſus Deum, *Rom. 8. v. 7.* Hoc reſpectu omnis homo mendax eſt, quia in negotio ſalutis nihil veri de Deo cogitare poteſt, quandoquidem omnis in tenebris & in umbra mortis ſedet *Luc. 1. v. 19.* & obſcuratum habet intellectum, *Eph. 4. v. 18.*

III. *Reſpectu* πνεύματος καὶ πίστεως conſiderantur homines ut ſpirituales & fideles, iique rurſus conſiderantur κοινῶς καὶ ἰδίως, h. e. communiter & ſingulariter. 1. *Communiter conſiderantur*, quâ ſunt *Renati*, h. e. in ſtatu Gratiæ conſtituti, in quo ad imaginem Dei, quæ in juſtitia, ſanctitate & veritate conſiſtit, *Eph. 4. v. 24.* renovantur. Quia autem renovatio renatorum non eſt undiquaque perfecta, ſed tantùm inchoata; inque iis perpetua inter ſpiritum & carnem manet lucta, ideoque quando carnem ſeqvuntur, nonnunquam ad mendacium feruntur, quando autem Spiritu Dei aguntur & reguntur, eatenus linguam refrenant, ne vana & profana loquatur, ſed ea, quæ ad Dei gloriam & hominum ſalutem ſpectant, & hoc reſpectu veraces exiſtunt, ſicut Chriſtus inquit *Joh. 7. v. 18.* 2. *Singulariter* conſiderantur Homines, quando *Dei Legati* ſunt extraordinariè & immediatè vocati. Hi in *vita* errare potuerunt, ſed in *Doctrina*, quam prædicarunt & literis conſignarunt, infallibilitatis privilegio gaviſi ſunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

NB. *Diſtingui* poteſt inter *hominem ſibi relictum* & ex ſe loquentem; & inter *hominem à Spiritu Sancto* gubernatum & ſecundum hujus impulſum loquentem: Illius reſpectu eſt mendax, hujus reſpectu eſt verax, & ſic David & Paulus loquuti ſunt ex inſpiratione, ille ut Propheta Dei, hic ut Apoſtolus Chriſti, & ſic verba illorum non ſunt fallacia verba, ſed veracia, quippe à Spiritu Sancto profecta & inſpirata, qui eſt Spiritus veritatis.

Mendaces dicuntur homines duplici modo: 1. Phyſicè vel *Naturaliter*, quando proclives ſunt ad mentiendum. Sic omnes homines naturâ ſunt mendaces, quia proclivitatem naturalem ad mentiendum omnes habent. 2. *Ethicè vel moraliter*, qui habitum mentiendi ſibi acquiſiverunt & actu ipſo mendacium committunt, à quo temperare ſibi plurimi poſſunt, adjuti vel naturæ bonitate, vel fideli inſtitutione, vel Spiritus Sancti aſſiſtentia ejusve ſpeciali gratia.

LOCUS XIV.
DE
CHRISTO MEDIATORE.

§. 153. ANTILOGIA I.

GEn. 1. v. 1. In principio creavit Deus cœlum & terram.
Pſ. 40. v. 7. In capite libri ſcriptum eſt de me.

DUBIUM.

In *Pſ. 40.* dicit Meſſias de ſe: in capite Libri ſcriptum eſt de me. Ita enim LXX. Interpp. textum Ebræum reddiderunt; & Paulus Epiſt. ad Hebræos *cap. 10. v. 7.* planè eodem modo reddidit: At in initio capitis primi Geneſ. planè nulla fit mentio Meſſiæ, ſed creationis cœli & terræ. Textus Ebræus ita ſonat: Pereſchit para Elohim ſchamajim.

CONCILIATIO.

ψευδοερμηνεία in loco Pſ. commiſſa fuit à *Patribus*, qui neglecto fonte rivulos ſectati ſunt, quia in verſione LXX. Interpp. habentur illa verba: ἐν κεφαλίδι βιβλίου, in quorum explicatione mirificè ſe torſerunt. 1. Nonnulli intellexerunt primum caput Geneſ. ubi legitur: In principio creavit DEus cœlum & terram. Ita Auguſtinus & alii, qui *Principium* de Filio Dei interpretati ſunt, quoniam Chriſtus Principium dici-

tur, *Pſ.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tur, *Pſ. 110. v. 3.* & *Joh. 8. v. 23.* ſed hæc interpretatio eſt ἀπροσδιονύσως. Nam licèt quoad fidei analogiam verum ſit, quod Chriſtus ſit ac dicatur Principium, attamen ſi Moſis ſpectemus διάνοιαν, nullo modo ibi per Principium Chriſtus intelligi poteſt, quia Chriſtus eſt Principium ἄχρονον, non ἔγχρονον. At Moſes de Principio non ἀχρόνῳ, ſed ἐγχρόνῳ loqvitur. 2. Divus Auguſtinus alibi exponit de Principio *Libri Pſalmorum*, ubi dicitur de Chriſto: In lege Domini voluntas ejus. 3. D. Hieron. & Chryſoſtomus intelligunt per caput Libri *initium Evangelii ſecundum Johannem*, ubi ſcriptum eſt: In principio erat Verbum, & *v. 14.* verbum caro factum eſt. 4. Alii per caput Libri intelligunt *Librum Vitæ*, quia juxta Textum Hebræum intelligitur hoc loco Volumen clauſum & convolutum; at Liber vitæ, in quo nomina Electorum ſunt ſcripta, eſt clauſus, quippe nemo illum hoc tempore poteſt legere, ſed conſtare tamen, inqviunt, in capite ejus libri, Chriſtum ſcriptum eſſe, ejusqve paſſionem & mortem. Sed 5. *Vera ſententia* hujus Loci hæc eſt: In capite Libri, h. e. *in toto Volumine Biblico* ſcriptum eſt de me. Hanc autem ſententiam probo dupliciter: I. *Ex Libri Loco præſente*, quia non dicit hoc loco Meſſias in perſona Davidis: In capite *Libri primi*, vel in capite *primo Libri*, ſed γενικῶς inqvit: *In capite Libri.* Caput ergò totum Volumen Biblicum ſignificat, ſicut Chryſoſtomus, Theodoretus & Euthymius hunc locum rectè explicant. Deinde ex textu Hebræo hæc ſententia ulterius ita confirmatur; in quo habetur vox מְגִלָּה, quæ ſignificat Volumen, membranam ſive chartam, in qua aliquid ſcribitur, & poſtquam inſcriptum eſt, membrana illa ſive charta convolvitur & in rotundum complicatur.

Antiquitùs enim Volumina in Cylindri morem complicabant, ſicut etiamnunc Judæi in Synagogis ſuis Thora, h.e. Legem membranæ inſcriptam & complicatam habent. Item quinque Libros alios ita complicatos habent, quos in Synagogis certo anni tempore totos perlegere ſolent: 1. eſt Schir haſchirim, h. e. Canticum Canticorum. 2. Ruth. 3. Eka, h. e. Threni Jeremiæ. 4. Koheleth, h. e. Eccleſiaſtes. 5. Megillah Eſether, h. e. Liber Eſther: Hinc *Lucæ cap. 4. v. 17.* legimus, cum Chriſto in Synagoga Nazarethana liber Eſaiæ Prophetæ traditus eſſet, quod illum explicavit: Et *v. 20.* librum complicatum reddidit Miniſtro. In Græco textu duo Emphatica verba habentur, videlicet ἀναπτύξας καὶ πτύξαι, quorum illud convolutum vel complicatum explicare; hoc verò explicatum convolvere vel complicatum ſignificat.

Deinde patet *ex fidei Analogia* ſive ex Scripturarum collatione. Ex Scriptura enim conſtat, Chriſtum eſſe totius Scripturæ S. ſcopum & finem

unicum. Hinc dicitur Finis Legis *Rom.10.v.4.* & *Joh.5.v.39.* inquit ipſe Chriſtus ad Judæos: Scrutamini Scripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. *Luc.24.v.44.* dicit ad Diſcipulos Emaunticos: Oportet impleri, quæ ſcripta ſunt in libro Moſis, Prophetarum & Pſalmis de me. Et *Actor. 10. v.43.* inqvit Petrus: Huic (JEſu) omnes Prophetæ teſtimonium exhibent, quod remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum. Nam illa præcipua Spiritus ſancti, qui per Prophetas locutus eſt, intentio fuit, ut Chriſtus illis Prophetarum faſciis quaſi involutus in toto terrarum orbe circumferretur, ut hac ratione præfiguraretur Chriſtum totius Scripturæ S. divinitus inſpiratæ ſcopum eſſe.

Senſus ergo Loci præſentis hic eſt: In capite Libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam Deus, h. e. omnes Prophetæ ὁμαθυμαδὸν, h. e. uno ore unanimiqve conſenſu de me vaticinati ſunt, me in mundum venturum, tuamqve voluntatem, ô Pater, promptiſſimè impleturum, Legi me ſubjiciendo proqve genere humano patiendo & moriendo.

Dubium.

At dicat aliquis: Apoſtolum in *Epiſt. ad Ebræos* hunc Locum ita reddidiſſe: ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. Quare hîc ſcrupulum remanet: aut Textum Ebraicum in hoc Pſalmo eſſe corruptum; aut ſi hoc non, Epiſtolam ad Ebræos non eſſe canonicam. Quia pugna & Antilogia inter hæc duo loca eſt manifeſta: ac proinde cùm ἀντιφάτικα ſimul non poſſint eſſe vera, alterutrius ſcripti authoritas in dubium vocari videtur.

℞. Nullo modo concedimus *Epiſtolam ad Ebræos Pſalmiſtæ contradicere*, ſed potius inter utrumqve harmonia eſt ſvaviſſima. Nam κεφαλὴ, h. e. *caput* in Lingva Græca & Latina non tantùm ſignificat librorum initium, ſed etiam partes librorum principales, ſive ſumma capita, ad quæ reliqua omnia referri ſolent. Nam ἀνακεφαλαίωσις ſive *Recapitulatio* eſt methodica omnium eorum, quæ fusè dicta ſunt, in ſummam redactio ſive digeſtio. Unde etiam capita Librorum diſtingui ſolent juxta ea, ad quæ revocantur partes principales Librorum. Ita κεφάλαιον accipitur *Ebr. 8. v. 1.* κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα &c.

Cæterum eorum quæ dicimus, illud eſt caput, h. e. non tantùm recapitulatio & ſumma, ſed etiam principalis pars & præexcellentia, quod talem habemus Pontificem, qui conſedit ad dextram throni Majeſtatis

in cœlis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

in cœlis. 2. Quando LXX. Interpp. dicunt ἐν κεφαλίδι βιβλίε, tum *Megillah* acceperunt pro *Gilgoleth*, quæ vox ſignificat cranium à figura ſphærica & per Synechd caput & hominem & ſummam. Pugnantia ergò hìc nulla, quia utrumqve vocabulum, nempe *Megillah* & *Gilgoleth* ab eadem radice derivatur, videlicet à Galal, quod ſignificat ex ſumma ad imum volvere, convolvere, complicare; caput ergò libri idem quod ſumma omnium Librorum Biblicorum. Proinde ſicut *Gilgoleth* ſignificat ſingula capita perſonarum, *Exod.16.v.16.* Ita *Megillah* ſignificat ſingula capita Librorum.

§. 154. ANTILOGIA II.

J*Oh.1.v.29.* Chriſtus dicitur Agnus Dei, tollens peccata mundi.
Lev.16.v.7. Chriſtus per duplicem hircum adumbratus fuit.

DUBIUM.

Agnus eſt animal mundum & innocens, quo Chriſti ſanctitas & innocentia præfigurata fuit. Quomodo ergo per *Hircum* animal immundum præfigurari poterit, cum Chriſtus nullum unquam peccatum fecit, neque dolus in ipſius ore inventus, *Eſ.53.v.9.1.Pet.2.v.22.*

℞. 1. *In Genere.* Chriſtus dupliciter conſideratus fuit in ſtatu exinanitionis, & quidem 1. in ſenſu *abſoluto* & ratione ſui. 2. In ſenſu *relativo* & ratione noſtri, quando peccata noſtra in ſe ſuſcepit. Hoc reſpectu per duplicem Hircum præfiguratus fuit.

2. *In Specie.* Chriſtus Agnus Dei dictus eſt propter duplicem conſiderandi modum: 1. *Phyſicum*, h.e. propter proprietatum, quæ ſunt inter Chriſtum & Agnum propriè ſic dictum, convenientiam. 2. Myſticum. Sic dicitur Chriſtus Agnus Dei Originaliter, Materialiter, Formaliter & Finaliter. Videatur diſputatio Autoris de Chriſto Agno Dei.

§. 155. ANTILOGIA III.

E*Br.1.v.3.* Poſtquam Filius Dei per ſemet ipſum peccata noſtra purgaſſet, conſedit in dextra Majeſtatis in excelſis.
Joh.1.v.29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.
Ebr.9.v.14. Sangvis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, purgabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis.

DUBIUM.

In primo loco dicitur, quod Filius Dei ante aſcenſionem in cœlos peccata noſtra purgaverit; in ſecundo habetur, quod ea adhuc tollat, & in tertio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tertio ſtatuitur, quod illa adhuc purgaturus ſit. Ex quibus videtur Photinianiſmus ſtabiliri poſſe, qvi ſtatuunt, Chriſtum adhuc in cœlis peccata noſtra expiare.

℞. I. *Photiniani* negant Chriſtum in hiſce terris peccata noſtra expiaſſe & affirmant illum in ſtatu exaltationis illa expiare : quod dogma blaſphemum expreſſè refutatur ab Apoſtolo *Ebr. 1. v. 3. & Ebr. 9. v. 24. 25. 26.*

II. *Purgatio ſive ablatio peccatorum noſtrorum* eſt 1. *præterita*. Hæc peracta eſt à Chriſto in ſtatu exinanitionis & pertinet ad Articulum Redemptionis. 2. *Præſens*. Hæc adhuc peragitur in ſtatu exaltationis conſtituto, & durabit usque ad finem mundi.

§. 156. ANTILOGIA IV.

ROm. 1. v. 3. Filius Dei factus eſt Filius Davidis ſecundum carnem. *Matth. 9. v. 6. & paſſim* vocatur Chriſtus Filius hominis.

Gal. 1. v. 2. Paulus vocatus eſt non ab homine, neqve per hominem, ſed per JEſum Chriſtum.

℞. Sæpe Scriptura Sacra loqui videtur *in ſenſu abſoluto*, cùm tamen loquatur *in ſenſu alieno*. Sic Apoſtolus Paulus negat ſe vocatum eſſe ab homine & per hominem non *in ſenſu abſoluto*, quia ſtatim addit, ſe vocatum eſſe per JEſum Chriſtum reſuſcitatum ex mortuis. Si ergò ex mortuis reſuſcitatus fuit, utique homo fuit, quia homo moritur & homo ex mortuis reſuſcitatur : Sed Paulus loquitur *in ſenſu relativo*, nempe ex mente calumniatorum, qui mendacium hoc ſpargebant, quod Paulus ab homine (mero & nudo) non verò ab ipſo Deo vocatus eſſet, quo crimine falſo vocationem ejus labefactare conabantur. *Senſus* eſt, non ſum vocatus ab homine nudo & mero, ſed à θεανθρώπῳ JEſu Chriſto, qui licèt ſit homo verus, non tamen eſt homo merus, ſed in unitate perſonæ Deus & Homo.

§. 157. ANTILOGIA V.

APoſt. Petrus 1. Ep. 3. v. 15. 16. monet : Eſtote parati ad reſpondendum cuilibet petenti rationem ejus Spei, quæ in vobis eſt, cum manſuetudine & reverentia.

At huic præcepto Apoſtolico *praxis Chriſti eſt contraria*, qui à Pontifice Summo de doctrina & diſcipulis interrogatus confeſſionem ſubterfugit & directè de doctrina reſpondere noluit. Nam *Joh. 18. v. 21.* inquit : quid me interrogas? interroga eos, qui audiverunt, quid locutus ſim ipſis.

℞. Verba

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

℞. Verba Petri dextrè ſunt intelligenda. *Senſus* eſt, quod omnia *legitimè* exigenti à nobis rationem fidei noſtræ confiteri eam teneamur, quoties gloria Dei & ſalus Eccleſiæ poſtulat, inprimis quando Magiſtratus inqviſitionem inſtituunt, tum cum omni lenitate & reverentia confeſſionem edere debemus, ne illos contemnere videamur, cujus rei illuſtria exempla habemus in Stephano, *Act. 7. v. 2.* & Paulo, *Act. 22. v. 1.* & *c. 26. v. 23.*

At *Caiphas* non legitimo modo & ordine Confeſſionem doctrinæ à Chriſto exigebat. Quærebat enim ille ex Chriſto de doctrina tanquam *clandeſtina & ſeditionis ſuſpecta.* At Chriſtus v. 20. nervoſis verbis utrumqve quæſitum potenter elidit: 1. *à docendi modo*, nempe quod locutus παῤῥησίᾳ, h.e. palàm & apertè. 2. à ſubjecto, h.e. auditoribus, quibus locutus ſit, nempe mundo, h.e. non paucis, ſed omnibus hominibus in Mundo locutus ſit. 3. *à Loco*, in quo docuerit, eoq; tam *poſitivo*, quod docuerit in Synagoga & in Templo, ubi omnes Judæi conveniunt, quæ publica ſunt loca ad docendum & concionandum deſtinata; tùm negativo, nempe quod in occulto locutus ſit nihil. Quare jam confidenter ſubjungit v. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audiverunt, quid locutus ſim iſtis &c. quæ verba non ſunt *tergiverſantis*, *aut confeſſionem detrectantis* (quia ad hoc Chriſtus in mundum venit, ut teſtimonium veritati perhiberet, ſicut Chriſtus poſteà ad Pilatum in prætorio inquit v. 37. Quam Confeſſionem D. Paulus bonam confeſſionem appellat, *1. Tim. 6. v. 13.*) ſed ſunt verba *increpantis*. Increpat enim Chriſtus Pontificem ſummum, quod proceſſum & ordinem non obſervaret. *Judex* enim inter crimina occulta & manifeſta accuratè diſtinguere debet.

Quando *Crimina ſunt occulta*, tum inquiſitionem inſtituere debet, atque 1. amicam & fraternam admonitionem præmittat, ſi ſuſpicio occaſionem præbuit. 2. Inquiſitio fiat, ſi confirmentur ſuſpiciones, neque dubium eſt, quin hic ipſe ordo fori uſitatus fuerit in Synagogis, quia & Chriſtus hanc formam ſequitur *Matth. 18.*

Quando verò *Crimina ſunt notoria & manifeſta*, tum judicis officium non eſt reum interrogare, & quid fateatur vel non fateatur explorare, ſed crimen illi diſertè debet proponere, propter quod in vincula ſit conjectus, vel ad tribunal pertractus: Si reus id negaverit, teſtibus eſt agendum & facinorum convincendus. At nihil horum *Caiphas* egit. Non enim Crimen aliquod certum Chriſto objicit, neque teſtes contra eum producit, ſed inſidioſis quæſtionibus in cauſa manifeſta egit, quare præpoſteri proceſſus à Chriſto accuſatur, quod ordinem haud obſervet, inquiens:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Quid me interrogas? interroga eos, qui audiverunt, quid locutus ſim ipſis. Propter duas autem cauſas Chriſtus alios interrogandos eſſe reſpondet: 1. Quia ſibi enarranti non credant. 2. Quia malefici ſic ſoleant de ſuis occultis conſiliis & machinationibus interrogari: ſe verò non tantùm propalàm, ſed etiam in celeberrimo Orbis theatro docuiſſe & egiſſe, quæ docuerit & egerit.

DUBIUM.

At quomodo Chriſtus inquit: ſe in *occulto* docuiſſe nihil: cum tamen *Matth. 10. v. 27.* contrarium extet: ubi Chriſtus ad diſcipulos inquit: Quod *dico vobis in tenebris*, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Si ergò Chriſtus in tenebris ſuis diſcipulis aliquid dixit, utique in occulto docuit. Similiter *Marc. 4. v. 10.* Chriſtus cum eſſet καταμόνας, h.e. ſolus, diſcipulis parabolas explicaſſe legitur.

℞. *Doctrina Chriſti* διττῶς conſideratur:

I. *Accidentaliter & occaſionaliter*, quoad locum & prædicandi modum: tum certum, quod Chriſtus interdum in ædibus privatis vel in ſolitudine aut itinere ad diſcipulos ſuos ſermonem, quando occaſio ita tulit, de rebus ſalutis inſtituerit, arbitris remotis. Et hoc ſenſu intelligendum eſt, quando Chriſtus Matth. 10. inquit: quod diſcipulis ſuis in tenebris & in aurem locutus ſit.

II. *Eſſentialiter* doctrina Chriſti non eſt occulta vel clandeſtina, ſed publica, idque *quadruplici reſpectu*:

1. *Originaliter*, quia ipſe è ſinu Patris prodiens eam manifeſtavit. Chriſtus autem non privatus, ſed publicus & Catholicus Mundi Doctor fuit, quia ab ipſo Deo Patre in Baptiſmate & in transfiguratione in monte pro mundi doctore proclamatus & renunciatus eſt, *Matth. 3. v. 17. & 17. v. 5.* Hinc *Eſai. 45. v. 19.* Chriſtus tanquam verus & æternus Deus dicit: Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebras. Ubi LXX. οὐκ ἐν κρυφῇ λελάληκα: quare Chriſtus hæc verba apud Joh. Evangeliſtam coram Pontifice repetens remittit illum ad locum Eſaiæ & docet ſe eſſe verum illum Deum creatorem cœli & terræ, v. 7. Deum Iſraëlis, v. 3. Deum Iſraël Salvatorem, v. 15. qui per Prophetam Eſaiam hæc verba olim protulit, eademque in propria perſona h. l. repetit.

2. *Materialiter*. Doctrina Chriſti in ſe & per ſe, ſi ipſum doctrinæ genus ſpectes, non fuit doctrina occulta & clandeſtina, quia non fuit quibusdam tantùm in occulto propoſita, ſicut Eleuſina Sacra, ſed publicè omnibus, qui modò audire voluerunt, prædicata; Nullum enim dogma

Chriſtus privatim docuit, quod non etiam publicè docuerit, materia enim dogmatum fuit eadem, licèt alia atqve alia docendi fuerit forma; Chriſtus enim non prædicavit ἄλλο καὶ ἄλλο, h. e. aliud & aliud, licèt prædicaverit ἄλλως, h. e. alio modo, privatim & publicè.

3. *Finaliter.* Doctrina Chriſti non fuit occulta, ſed publica, quia licèt interdum pro re nata, aut occaſione oblata privatim aliquid & in occulto docuerit, non tamen illud ſtudio occultandi fecit.

4. *Inſtrumentaliter.* Quia Chriſtus expreſsè Diſcipulis dedit mandatum, *Matth. 10. v. 27.* ut, quod in tenebris ipſis dictum erat, in lumine dicerent, & quod in aurem audierant, ſuper tecta prædicarent. Ubi notandum, quod adagium illud: prædicare ſuper tecta, ſignificet publicè & palàm concionari. Sicut ſolent præcones, cum populo aliquid proclamant. Habebant enim Judæi tecta plana, ut, quicquid ibi rerum gereretur, à tranſeuntibus tum conſpici, tum audiri poſſet, *2. Sam. 12. v. 11.* & *cap. 16. v. 22.*

§. 158. ANTILOGIA VI.

M*Atth. 1. v. 25.* Chriſtus vocatur Primogenitus. Hinc oritur Quæſtio: An Maria peperit Filios. Aff. ex natura relatorum. Nam omne primum habet reſpectum ad ſecundum. E.

℞. Primogenitus dicitur Chriſtus 1. *Relatione ſimplici*, vel ratione Matris, quia illa ante Chriſtum nullum peperit, & ſic Chriſtus dicitur Primogenitus.

2. Non *relatione compoſita*, h. e. non tantùm reſpectu Matris, ſed etiam reſpectu Fratrum, inter quos ſit Primogenitus.

§. 159. ANTILOGIA VII.

M*Atth. 9. v. 1.* dicitur, Chriſtum veniſſe in ſuam Civitatem.

At *Matth. 8. v. 20.* ipſe Chriſtus fatetur, ſe non habere, ubi caput reclinet.

CONCILIATIO.

Per Chriſti Civitatem intelligitur per Synechdochen generis pro ſpecie Capernaum, ſicut Marcus Matthæi abbreviator & in nonnullis enucleator ſive Interpres hanc Civitatem expreſsè Capernaum nominat, *cap. 2. v. 1.* Dicitur autem *Capernaum Chriſti Civitas non* πολιτικῶς ἢ κυβερνητικῶς, *ratione Politicæ gubernationis*, quia regnum ejus non fuit de hoc mundo, *Joh. 18. v. 36.* neqve habuit proprias ædes, proinde ipſe conqveritur *Matt. 8. v. 20.* Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; at Filius Hominis non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

habet, ubi caput reclinet. Unde *Joh. 1. v. 14.* de ipſo dicitur, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, habitavit inter nos, ſcilicet in vili & paupere tiguriolo.

Verùm *Capernaum Civitas Chriſti* appellatur duplici reſpectu:

I. *Oeconomicè*, h. e. *propter habitationem*, quia Chriſtus in hac urbe *Civis* fuit, & jus Civitatis habuit. *Matth. 4. v. 13.* dicitur, quod Chriſtus poſt captivitatem Johannis Baptiſtæ in Galilæam ſeceſſerit, & relicta Nazareth in Civitate Capernaum habitaverit. Ibidem quoqve δίδραχμον à Chriſto tanqvam cive exigitur & perſolvitur, *Matth. 17. v. 27.* Unde Chryſoſtomus *homil. 30. in cap. 9.* ſcribit: Bethlehem ipſum tulit: Nazareth educavit: ſed Capernaum ſuſcepit & domicilium præbuit.

II. *Eccleſiaſticè*, h. e. *propter publicam Miniſterii ſedem*, quippe 1. ibi plurimas habuit conciones, & exorſus eſt prædicationem Evangelii, dicens: Agite pœnitentiam, appropinqvavit enim regnum Cœlorum, *Matth. 4. v. 17.* 2. Ibidem quoqve Chriſtus plurima & maxima edidit miracula. Imò ipſe Chriſtus gratiam huic Civitati exhibitam magnopere deprædicat, quando eam uſqve ad cœlum exaltatam eſſe affirmat, *Matth. 11. v. 23.*

§. 160. ANTILOGIA VIII.

E*ſ. 53. v. 7.* Non aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcit, & non aperuit os ſuum.

Contra in hiſtoria legimus apud *Joh. 18. v. 23.* quod Chriſtus non obmutuerit, ſed os ſuum aperuerit, quando à ſervo ſummi Pontificis in maxilla percuſſus ita dixit: Si male locutus, teſtificare de malo; ſin benè, cur me cædis?

℞. Nulla inter hæc loca eſt pugna. Nam vaticinia Prophetica loqvuntur de admiranda Chriſti *Patientia*, nempe quod ſicut ovis, cum ad mactationem rapitur, obmuteſcit, & ſicut Agnus coram tondente non aperit os ſuum, ut vel frendeat vel mordeat: ita quoqve Chriſtus patienti animo omnes dolores & cruciatus paſſionis ſuſtinuit, & omninò tacuit, intellige quando nudè & ſimpliciter tantùm de doloribus corporis agebatur: At *non tacuit*, ſed locutus eſt, qvando ſimul agebatur de Dei gloria & innocentia ſua vindicanda. Ita in poſteriori Loco meritò commendatur Chriſti *Prudentia*, nempe quod tùm Dei honorem & gloriam, tùm ſuam innocentiam proſtituere noluerit tacendo, ſed utramqve vindicare loqvendo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

DUBIUM I.

At cur Chriſtus interdum tacuit, *Matth. 26. v. 62. 63.* interdum verò os aperuit & ſeſe defendit, *v. 64.*

℞. Chriſtus hoc ipſo ad *diverſas Adverſariorum ſuorum accuſationes* prudenter ſeſe accommodavit. Accuſationes enim illorum erant duûm generum.

Prima accuſatio erat levior, nempe quæ erat conficta & apertè falſa. Ad hanc Chriſtus tacuit propter cauſam quadruplicem: 1. *Propter ipſius falſitatem & vanitatem.* Mendacium enim ſua levitate cadit & refutatione indignum eſt. 2. *Propter vaticiniorum impletionem.* Tacere Chriſtus ad vanas illas accuſationes voluit, ut Scriptura impleretur, quæ dixit: Non aperuit os ſuum, *Eſa. 53. v. 7.* 3. *Propter Dei ordinationem & paſſionem inſtantem.* Noverat Chriſtus ſe non defendendi, ſed patiendi cauſa in judicio ſiſti. Unde *Matth. 26. v. 45.* ad Diſcipulos inquit: Ecce appropinquavit hora, & Filius Hominis traditur in manus peccatorum. 4. *Propter Apologiæ Adamiticæ expiationem.* Sancto hoc ſilentio Chriſtus excuſationes noſtras expiare voluit, quas in Adamo & Eva ad patrocinium peccati noſtri uſi fueramus, unde pulcherrimè Gloſſa dicit: Taciturnitas Chriſti Apologiam ſolvit Adami.

Deinde altera *Accuſatio erat gravior*, quo ſe Chriſtum naturalem Dei Filium eſſe diceret: unde cum Princeps Sacerdotum ſub religioſa atteſtatione ex Chriſto quæreret, anne ipſe ſit Chriſtus Dei Filius? (intellige naturalis) *Matth. 26. v. 63.* Chriſtus reſpondet *v. 64.* Tu dixiſti. Quæ verba expreſſam continent affirmationem, quia *Marc. 14. v. 62.* ea ſic exponit: Ego ſum; ac proinde ſenſus Verborum apud Matthæum hic eſt: Ipſum, quod tu dicis, ego confirmo, & eum, de quo quæris, me eſſe profiteor: Quemadmodum D. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evang. cap. 1. etiam eo modo explicat.

DUBIUM II.

Matth. 27. v. 14. dicitur, quod JEſus Pilato nihil reſponderit: Et non reſpondit ei, inquit Evangeliſta, ad *ullum Verbum*, ita, ut miraretur Præſes vehementer. Idem dicit *Marc. 15. v. 35.*

At contra *Joh. 19. v. 11.* habetur, quod Chriſtus ad Pilatum dixerit: non haberes adverſus me poteſtatem ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, ideò qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.

℞. *Si perſonæ diverſæ*, quibus cum negotium erat Chriſto in Prætorio, attendantur, nulla inter loca allata eſt ἀντιλογία. Primò erat *multitudo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

titudo Pontificum & Seniorum JEſum accuſans. Secundò erat *Pilatus Judex* JEſum interrogans. JEſus non reſpondit Pilato Præſidi ad ullum verbum, ſicut Matthæus & Marcus habent, ſcilicet quod attinet objecta à Pontificibus crimina, ſed reſpondit tantùm Præſidi ad verba ſua, ſicut Joh. Evangeliſta habet. Quare *diſtinguendum* eſt inter reſponſum Apologeticum & correctorium. Matthæus & Marcus intelligendi ſunt de reſponſo *Apologetico* & *defenſorio*, nempe quod JEſus ad objecta Pontificum crimina nullum verbum dederit, licèt à Pilato Præſide ad reſpondendum inſtigaretur, nam ita ſonant verba apud *Matth. c. 27. v. 12.* & cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil reſpondit: v. 13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quàm multa adverſus te dicant teſtimonia? & non reſpondit ei ad ullum verbum, ita, ut miraretur Præſes vehementer. Verùm Johannes intelligendus eſt de reſponſo *correctorio & informatorio*, quod Chriſtus Pilato ad verba ſua dedit, nam ita ſonant verba, vide *cap. 18. v. 9.* Unde patet, quod hæc Chriſti reſponſio data Pilato ad verba ejus arrogantiæ plena, ſit ἐπανορθωτικὴ, corrigit enim illa ei in memoriam revocans, quod poteſtatem ſuam non à ſe ipſo habeat, ſed à Deo acceperit; quo ipſe monere voluit, ut criſtas ſuperbiæ deponeret.

LOCUS XV.
DE
VETERE ET NOVO TESTAMENTO.

§. 161. ANTILOGIA I.

E*Xod. 12. v. 6. 7.* Servabitis Agnum, uſqve ad 14. diem menſis hujus, immolabitqve eum univerſa multitudo Filiorum Iſraël: Et ſument de ſangvine ejus, ac ponent ſuper utrumqve poſtem & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

Pſal. 118. v. 27. Ligate Agnum funibus uſqve ad cornua altaris.

DUBIUM.

In priori loco dicitur Agnum Paſchalem in ædibus privatis mactatum eſſe: In poſteriori verò mandatur ad cornua Altaris.

CONCILIATIO.

Antilogia inter duo hæc loca eſt non vera, ſed apparens, eaqve originem trahit non ex ipſa Locorum contrarietate, ſed ex Interpretum circa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

circa locum poſteriorem falſa explicatione. Ut autem verus & genuinus ejus ſenſus conſtet: nos ex mente Lutheri dicimus Locum illum nullo modo de Agno Paſch. intelligendum eſſe, ſed de *Feſto Tabernaculorum*. Ita enim in Bibliis Germanicis reddidit: Schmücket das Feſt.

Pro *Lutheri Verſione* hunc *Syllogiſmum* generalem Lutheromaſtybus opponimus: Quæcunqve verſio congruit 1. *συνέπεια*, ſeu textus connexione 2. cum clara & expreſſa textus litera, 3. cum authoritate Theologorum clariſſimorum probata, illa eſt vera & neutiqvam reprobanda. Atqui verſio Lutheri eſt talis. Ergò.

Minor probatur.

I. *Congruit cum textus connexione.* Etenim notandum eſt hujus Pſalmi argumentum:

Objectum hujus Pſalmi duplex eſt: 1. *Principale*, quippe objectum ejus non eſt *David*, à Saule, ejusqve ſatrapis contemptui habitus, uti ſentit Calvinus: ſed eſt Meſſias noſter ſive Chriſtus, uti ex tergemino illuſtrium Virorum teſtimonio conſtat: 1. ipſius Chriſti, *Matth. 21. v. 42. Luc. 20. v. 17.* 2. Petri Apoſtoli, *Act. 1. v. 11.* & *1. Pet. 2. v. 7.* 3. Deniqve Pauli Apoſtoli, *Rom. 9. v. 33.* Quod ipſum etiam Rabbi Salomo Judæus, vaticinium *Mich. 5.* exponens, perſpicuè teſtatur, uti Lyra annotavit. 2. *Objectum Materiale* ſunt omnes homines pii & fideles, qui hoc Pſalmo δοξολογικῷ & εὐχαριστικῷ excitantur & admonentur à Chriſto, ut immenſa dona Domini mundo oblata & collata agnoſcant & celebrent.

II. Congruit *Lutheri verſio cum clara & expreſſa textus* litera. Luth. reddidit: das Feſt &c. Hîc de duobus vocabulis eſt controverſia, videlicet de voce *Chag* & *Abothim*, quibus rectè explicatis totus contextus eſt planus. *Prior Vox* חַג dupliciter in Scriptura S. accipitur: 1. *propriè*, & ſic ſignificat diem feſtum ſive feſtivitatem; in genere autem ſignificat diem lætum, quo homines edunt, bibunt, ſaltant atque tripudiant. Ita accipitur *Exod. 32. v. 19. Oſ. 2. v. 11.* Deinde *vox Chag Synechd.* ſignificat hoſtiam, in ſpecie verò Agnum pecusvè ſimile, quale in diebus Feſtis plerumqve in Vet. Teſt. offerebatur, ita accipitur *Exod. 23. v. 18. Amos 5. v. 21. Eſ. 29. v. 1.*

Poſterior vox Abothim, cujus ſingulare eſt עֲבוֹת, duas obtinet ſignificationes: 1. ſignificat complicatum, intricatum, perplexum, & dicitur de foliis & ramis abundantibus, plurale *Abothim* frondes, à perplexitate, *Levit. cap. 23. v. 40.* accipietis ramum arboris perplexæ. 2. *Aboth* ſignificat funem fortem ex tribus funiculis complicatis conſtantem, *Jud. 15. v. 13. Pſalm. 129. v. 4.* *Item* ſignificat funem unico funiculo conſtan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

conſtantem, *Exod. 28. v. 37.* Ex dictis ergò patet, quod Lutheri verſio cum fonte Ebræo ad amuſſim congruat, quia Lutherus utramqve vocem accipit κατὰ τὸ ῥητὸν & in ſenſu literali idqve rectiſſimè, quia à litera textus recedendum non eſt, niſi fidei analogia hoc ipſum jubeat.

III. *Congruit hæc Verſio Lutheri cùm autoritate Theologorum probata.* Verſionem hanc Megalandri noſtri Lutheri probant 70. Interp. Conſtituite ſolemnem diem in condenſis uſqve ad cornua Altaris. Hieron. Freqventate ſolemnitatem in frondoſis uſqve ad cornua Altaris. Oſiand. Alligate diem ſolemnem in condenſis uſqve ad cornua Altaris. Geſn. in Pſalt. Ornate Feſtum frondibus uſqve ad cornua Altaris. Et in paraphraſi hæc verba ſubjungit: Oratio Ebræa plana eſt, quæ poſtulat, ut dies feſtus frondibus exornetur in Tabernaculo ſeu Templo undiqve uſqve ad cornua Altaris.

§. 162. ANTILOGIA II.

R*om 13. v. 11.* Nunc proprius eſt nobis ſalus.

At contra *Ebr. 13. v. 18.* JEſus Chriſtus heri & hodie. Unde æquè ſalvati ſunt Patres in Vet. Teſtam. atque nos in N. Teſt.

Joh. 8. v. 56. Abraham vidit diem Meſſiæ. *Rom. 4. v. 3.* Credidit Abraham Deo & imputatum eſt illi ad juſtitiam.

℞. Meſſiam habuerunt Patres in Vet. Teſt. in Spe exhibendum, ὁ ἐρχόμενος *Matt. 11. v. 3.* Nos verò habemus in N. Teſt. Meſſiam in re exhibitum.

ANTILOGIA III.

E*Xod. 29. v. 37.* Omnis, qui attigerit altare, ſanctificabitur.

2. Par. 26. v. 16. ſeq. Ozias (aliàs Azarias) Rex lepra percuſſus eſt, quod Templum ingreſſus adolere voluerit incenſum ſuper altare thymiamatis.

℞. Hîc tria diligenter ſunt notanda: 1. Diſtinguendum inter τὰ πρόσωπα ſive perſonas, 2. inter Altaria, 3. donaria. Primò quod perſonas attinet, nemo audebat accedere ad altare, illudque contrectare, niſi vocatus atque Leviticè conſecratus & ſanctificatus: Jam verò Rex Oſias vel Uſias πολυπραγμονικὸς καὶ ἀλλοτριοεπίσκοπος altaris contractu polluitur, *2. Par. 26* Nec enim Sacra ſanctificant profana, ſed profana polluunt Sacra, *Hag. 2. v. 14.* Secundò *Altaria in V. Teſt.* erant duo: 1. Θυσιαστήριον ſive *holocauſti*, quod poſitum erat in atrio Sacerdotum. 2. Θυμιατήριον ſive *altare thymiamatis* ſive ſuffitus. Tertiò *Donaria* hiſce altaribus impoſita Leviticè ſanctificabantur, h. e. ab uſu profana ſegregata uſibus ſacris deſtinabantur &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

tur & conſecrabantur. Et hoc eſt, quod Chriſtus inquit *Matth. 23. v. 19.* Deum ſanctificari per altare.

Ubi tamen notandum, quod ea donaria ſaltem erant imponenda, quæ à Deo erant demandata, ſicut ex *Exod. 30.* patet ℣. 19. Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem, nec victimam, nec libabitis libamina.

§. 163. ANTILOGIA III.

EXod. 29. v. 36. Mundabis altare, cum immolaveris expiationis hoſtiam, & urges illud in ſanctificationem.

Ebr. 13. v. 10. Habemus Altare, de quo edere non fas eſt iis, qui tabernaculo inſerviunt

DUBIUM.

Altare Veteris Teſtam. *typus Chriſti* erat, quia Chriſtus ſanctus eſt, quare ergò expiari debuit? Aut ſi expiandum fuit., ſequetur vel altare peccaſſe vel Chriſtum peccatorem fuiſſe, quod utrumque eſt abſurdum.

℟. Altare Veteris Teſtam. fuit immundum, ideoque expiandum triplici reſpectu:

1. Ἱερατικῶς, h. e. *Leviticè* vel ceremonialiter, omnia enim in V. T. cenſebantur Leviticè immunda, quæ certis ritibus Deo haud erant conſecrata cultuique divino deſtinata, ſic enim Chriſtus à Deo Patre eſt ſanctificatus, quando ad officium Redemptionis eſt ordinatus, & in mundum miſſus.

2. Σχετικῶς, h. e. *relativè.* Licèt Altare Veteris Teſtamenti abſolutè, h. e. in ſe & ratione ſui non eſſet immundum ſive peccatis pollutum, attamen relativè, h. e. propter homines peccatores, quorum peccatis omnia coram Deo polluuntur, omnesque creaturæ vanitati ſubjiciuntur, *Rom. 8. v. 20.*

3. Μυστικῶς, h. e. myſticè, quia adumbrabat Chriſtum fore peccatorem coram Deo, non quidem propter peccatum proprium, ſed peccatum alienum ſibi imputatum, quia Deus in eum conjecit peccata omnium hominum, *Eſ. 53. v. 6.*

LOCUS XVI.

DE LEGE.

§. 164. ANTILOGIA I.

EXod. 02. v1. inquit DEus: Ego ſum DEus tuus &c. Non habebis Deos alienos coram me.

Ebr. 2. v. 2. Si per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus.

Dubium.

In priore loco dicitur, quod ipſe Deus Legem promulgaverit: In poſteriore verò id ipſum Angelis tribuitur. Unde infertur inter Vet. & Novum Teſtam. non eſſe harmoniam, vel authoritatem Epiſtolæ ad Ebræos eſſe elevandam.

℞. Diſtingvendum inter cauſam principalem & miniſterialem.

Secundum Locum *Ebr. 2.* quod attinet, dupliciter explicari poteſt. Quidam per Sermonem intelligunt Reſponſa Angelorum, quæ nomine Dei ad homines detulerunt. Eaqve explicatio confirmari poteſt ex collatione *cap. 1. v. 1. ad Ebr.* ibi enim dicitur Deum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ad Patres locutum eſſe (intellige per Prophetas, Angelos &c.) tandem (in Novo Teſt.) locutum eſſe per Filium (incarnatum.) Hic verò dicit: Si ille ſermo per Prophetas & Angelos dictus ſuam habuit efficaciam, multò magis ſermo Chriſti efficaciam habebit. Deinde alii per Sermonem διὰ ἀγγέλων dictum intelligunt Legem moralem, quia hæc per Angelos data eſt.

Dubium.

At nullibi in hiſtoria promulgatæ Legis legitur, Legem per Angelos vel dictam vel datam eſſe. Nam in Exodo dicitur ipſum Jehovam cum Moſe à facie ad faciem locutum eſſe; unde etiam Exordium Decalogi ipſe Deus facit à titulis & elogiis ſoli Deo Creatori propriis, quando inquit: Ego ſum JEHOVA &c.

℞. 1. In Novo Teſtam. hoc ipſum dicitur, *Act. 7. v. 30. ſqq. Gal. 2. v. 2.* & hoc Loco. 2. Et hoc notandum, quod particula διὰ, cujus h. l. fit mentio, reddenda ſit non PER, ſed INTER, quomodo alibi accipitur. Senſus ergò eſt, Deum in monte Sinai Legem ſive Decalogum inter Angelos, h. e. in Angelorum præſentia promulgâſſe, quod veriſſimum eſt, deqve eo nemo dubitare vel poteſt, vel debet.

Ἐπίκρισις.

Utraqve ſententia eſt vera. Prior convenit cum fidei analogia, poſterior verò non tantùm cum fidei analogia, ſed etiam cum Autoris διανοίᾳ. Apoſtolus enim deſcribit & inter ſe comparat ſtatum Eccleſiæ Vet. & Novi Teſtam. ſecundum Fundatores, doctrinam, ritus & cultus, uti ex αὐτοψίᾳ Epiſtolæ ad Ebræos patet. In 1. Cap. comparavit Chriſtum Fundatorem Eccleſiæ Nov. Teſt. cum Fundatoribus Eccleſiæ V. Teſt. ſcil. Prophetis. In 5. Cap. comparat doctrinam, dicitq; : Si prior illa V. Teſt. doctrina efficax firmaq; fuit, quantò magis Chriſti ſermo efficax & firmus erit,

§. 165. An-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 165. ANTILOGIA II.

DEut. 18. v. 10. Non inveniatur in te, qui arioletur ariolationes, & obſervet ſomnia & auguria.

Matth. 26. v. 34. inquit Chriſtus ad Petrum: Amen dico tibi, quod in hac nocte, antequàm Gallus cantet, ter me negabis.

DUBIUM.

In priori Loco DEus diſertè auguria prohibet, in poſteriori verò Chriſtus Petrum Galli cantum obſervare jubet.

℞. Multi in ea fuerunt opinione, aves divino impulſu commoveri, tanqvam Dei O. M. internuncii & ſatellites, ut aut cantu, aut volatu perrecto, librato, interrupto, vibrato, contorto agere jubeant, aut vetent, vel de propitia, vel de alienata Dei voluntate teſtificentur. Verùm quid Deus de auguriis ſentiat, in *Deuteron. c. 18.* nobis revelavit, nempe quod nullus in Iſraël inveniri debeat, qui auguria obſervet & veritatem ex avibus captet, ſicut Gentes terræ iſtius, quam Iſraëlitæ poſſesſuri eſſent, faciebant. Verùm tu non ſic, inquit Deus *ibid. verſ. 14. 15.* quoniam Deus dabit Prophetam de medio tui & fratribus tuis (h. e. Chriſtum, Dei Filium) hunc audies. Talis quoqve prohibitio auguriorum extat *Lev. 19. v. 26.* Unde *Eccleſ. 34. v. 5.* dicitur: Auguria & ſomnia vanitas ſunt, animamqve perturbant.

LOCUS XVII.

DE EVANGELIO.

§. 166. ANTILOGIA I.

ROm. 1. v. 16. Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

1. Cor. 3. v. 15. Ipſe ſalvus fiet, ſic tamen quaſi per ignem.

DUBIUM.

Si omnes Credentes ſalvantur per Evangelium, quippe quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, quomodo ergò omnes per ignem ſalvabuntur? quia Apoſtolus generaliter loqvitur *1. Cor. 3. v. 13.* Uniuscujusqve opus manifeſtum fiet: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & cujusqve opus, quale ſit, ignis probabit. Poſteà ſubjungitur: ipſe autem ſalvus fiet, ſic quaſi per ignem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Hinc *Pontificii* dicunt: Homines per *Purgatorium* ſalvari, quia alius ignis, per qvem homines ſalventur, monſtrari ex ſacris non poſſit.

℞. Diſtingvendum inter *diem purgationis* & *probationis*. Non loquitur Apoſtolus *de igne purgationis* (& ſic ignis purgatorius intelligi neqvit) Rationes hæ ſunt: 1. Quia Apoſtolus agit de *igne metaphorico*, non de *igne reali*, dicit enim: Salvus fiet *quaſi* per ignem. 2. Talem intelligit ignem Apoſtolus, per quem uniuscujusqve opus probabitur. At per ignem Purgatorii non probabuntur omnium hominum opera, ſed tantùm quorundam. Non enim omnes devenient in locum purgatorii: quò pertinet diſtinctio hominum triplex ex hypotheſi Pontificiorum. 3. Talis intelligitur ignis, cui ſubjicienda ſunt aurum, argentum, lapides pretioſi, lignum, fœnum, ſtipulæ, *v.12.* per quæ intelliguntur dogmata vera & falſa. At ignis purgatorii objectum non ſunt dogmata, ſed *τὰ πρόσωπα*, non res, ſed perſonæ, h.e. homines ipſi. 4. Talis intelligitur ignis, qui nullo modo poterit evitari, quia uniuscujusqve opus probabitur, inquit Apoſtolus. At ignis Purgatorii evitari poteſt, quia ex *Pontificiorum ſententia* hominum perfectè Sanctorum animæ deportantur in ſinum Abrahæ, ſive migrant in cœlum, non verò deveniunt in Purgatorium. 5. Apoſtolus indefinitè loqvitur de Igne. Nulla ergò eſt ſequela Pontificiorum: Homines ſalvi erunt ſic quaſi per ignem. Ergò intelligit Apoſtolus ignem purgatorii, quod *ἄλογον* eſt.

Alia EXPLICATIO.

Alii Theologi diverſam in *duobus Vocabulis* fovent ſententiam, nempe in *Vocabulo diei & ignis*. *Ignem* exponunt in genere de igne probationis, in ſpecie autem de igne extremi diei. *Diem* verò accipiunt non indefinitè pro die mortis, ſeu de die probationis, ſed de die ultimo, qui κατ᾽ ἐξοχὴν ἡμέρα τοῦ κυρίου, dies Domini dici ſolet.

Primò de Voce Diei.

Per diem, cujus hîc fit mentio, qui opera omnia revelabit, intelligitur 1. aut *tempus indefinitè*, ut cum dicitur: Die Zeit wirds eröffnen. Sed hîc non. Quia in Græco textu eſt particula ὁριστικὴ ἡ, ἡμέρα, quæ certum & determinatum diem ſignificat. 2. Aut intelligitu *dies mortis*. Et hoc non. Quia hic dies non revelat opera, quippe quæ tùm primùm revelabuntur, cum ante Tribunal Chriſti manifeſtabimur, ut unusquisqve accipiat propria, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum, *2. Cor.5. v.10.* 3. Aut intelligitur *dies extremus*, quæ explicatio eſt vera, quia in extre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

in extremo die omnia occulta revelabuntur & revelata judicabuntur. Vid. Luth. de purgat. Tom. V. Jenenſ. fol. 167.

2. *De Voce Ignis.*

Ignem extremi Diei hîc intelligendum eſſe, duabus rationibus probari poteſt. 1. Ex *ignis ἀποκαλύψει, ſive Revelatione.* Talis hîc ignis intelligitur ab Apoſtolo, per quem omnium opera bona & mala revelabuntur. Atqvi per ignem purgatorium non revelabuntur opera bona, ſed tantùm mala, à quibus animæ purgantur, prout ipſe Salmeron ſuper h. l. concedit: contrà vero ignis extremi diei utraqve revelat, *2. Cor 5. v. 10.* Ergò non ignis purgatorius, ſed ignis extremi diei hîc eſt intelligendus. 2. Ex *præmiorum diſtributione.* Talis h. l. intelligitur ignis, quo apparente præmia & pœnæ diſtribuentur. Atqvi apparente igne purgatorio non præmia, ſed tantùm pœnæ diſtribuentur, ſed apparente igne extremo præmia & pœnæ ſimul diſtribuentur. E. non ignis purgatorius hîc intelligendus. *Major* patet ex contextu, quia quando ignis ille, de quo Apoſtolus loqvitur, opera revelabit, tum ille, cujus opus non exarſit, mercedem accipiet; hic verò, cujus opus ſuperædificatum, exuſtum fuerit, ζημιωθήσεται, detrimentum præmii patietur, etſi interim per ignem ſalvabitur. *Minor* patet, qvando ignis diei extremi apparebit, tùm præmia & pœnæ diſtribuentur, uti ex *Matth. 25. v. 34. & 41.* & *2. Pet. 3. v. 7.* patet, unde manifeſtum, per ignem, cujus Apoſtolus mentionem facit, non de igne purgatorio, ſed de igne diei extremi intelligendum eſt.

§. 167. ANTILOGIA II.

G*Al. 3. v. 8.* Prævidens Scriptura, quod ex fide DEUS gentes juſtificet, προευηγγελίσατο, prævangelizavit Abrahæ, benedicentur in te omnes gentes.

Marc. 1. v. 1. Initium Evangelii JEſu Chriſti Filii Dei.

DUBIUM.

In priori loco aſſerit Paulus, quod Deus olim in Vet. Teſtam. Evangelium prænunciaverit. Ergo in V. Teſt. Evangelium fuit, quod docet non tantùm τὸ ὄνομα ſive Nomen, ſed etiam τὸ πρᾶγμα, h. e. Res ipſa. Quia promiſſio illa Abrahæ facta veram Evangelii definitionem continet. Sicut etiam primæva promiſſio protoplaſtis noſtris in Paradiſo facta, & inde πρωτευαγγέλιον appellari ſolet. Si ergò res ita ſe habet, uti negari nullo modo poterit, quomodo cum illa aſſertione Apoſtoli congruit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

illud Evangeliſtæ Marci, qui cum Miniſterio Johannis Baptiſtæ Evangelium JEſu Chriſti cœpiſſe ſcribit.

℞. *Diſtinguendum* inter ἐπαγγελίαν καὶ εὐαγγέλιον. Ἐπαγγελία fuit promiſſio de *Chriſto venturo* vel exhibendo; εὐαγγέλιον verò eſt concio *de Chriſto exhibito*; illa fuit in V.T. hoc verò ad N.T. pertinet *Rom. 1. v. 16.* & ita h.l. accipitur. Quare publica Evangelii (exhibiti) prædicatio non πρώτως καὶ ἀμέσως ab ipſius Chriſti publico Miniſterio, ſed à prædicatione Johannis Bapt. cœpit, juxta Prophetarum vaticinia. Et hoc congruit cum eo, quod Chriſtus dicit *Matth. 11. v. 12. 13.* Lex & Prophetæ uſque ad Johannem: & à diebus Joh. Bapt. regnum Dei vim patitur.

Locus XVIII.
DE
POENITENTIA.

§. 168. Antilogia.

Dan. 9. v. 18. Neque enim in juſtitiis noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus multis.

Matth. 3. v 8. Facite, inquit Johannes Bapt. ad Phariſæos, fructus dignos pœnitentiâ.

Dubium.

Dan. 9. opera noſtra à juſtificatione excluduntur; ſed *Matth. 3.* bona opera tanquam neceſſaria ad veram pœnitentiam & peccatorum remiſſionem requiruntur, ut vult Bellar. l. 4. de pœnitentia.

℞. Locus prior ſudes eſt in oculis Pontificiorum, hîc enim Propheta diſertè opera & juſtitias noſtras à juſtificatione excludit.

Circa Locum poſteriorem Elench. ὁμωνυμίας committit Bellarm. in Phraſi: dignos pœnitentiâ. Obſervandum hîc

1. γραμματικῶς, voculam ἄξιος ſive dignus non idem eſſe quod ſufficiens ad injuriam compenſandam, ſed ſignificare decens & conveniens, idque Phraſi Scripturæ uſitata.

2. Λογικῶς. ἀλόγως Pontificii diſputant, quando opera ſatisfactoria (uti illi vocant) partem pœnitentiæ eſſe contendunt, cum tamen fructus pars rei non ſit.

3. Πραγματικῶς. Opera bona dicuntur fructus pœnitentiâ digni non ἁπλῶς καὶ ἱλαστικῶς, non abſolutè aut meritoriè, ſed συγκριτικῶς, h. e. quan-

i. e. quando operibus Phariſæorum opponuntur, quæ indigna erant, quia illi per jejunia aliaque opera & cultus humanitùs inventos Deo ſatisfacere conabantur. Unde contra illa opera dicuntur digna, quæ in Lege divina ſunt præcepta.

LOCUS XIX.

DE BAPTISMO.

§. 169. ANTILOGIA.

Eph. 4. v. 5. Unum eſt Baptiſma.

Matth. 3. v. 11. Ego quidem baptizo aqua: at qui poſt me venturus eſt, ille vos baptizabit igni & Spiritu.

DUBIUM.

Johannes Baptiſta *Matth. 3.* diſertè inter ſuum Chriſtiqve baptiſma diſtinguit: imò utrumque opponit, quando inquit: Se baptizare tantùm aquâ, Chriſtum verò baptizare igni & Spiritu. Hinc ita oppoſita ſunt plura, non unum. Quia idem ſibi ipſi opponi nequit, jam verò Baptiſmus Johannis & Baptiſmus Chriſti ſunt oppoſita, quippe ille conſtat ex ſola aqua; hic verò conſtat etiam ex Spiritu & igni. Ergò ſunt plura. Quomodo ergò unum tantùm eſt Baptiſma, ſicut inquit Paulus *Eph. 4.*

℞. *Baptiſma eſt unum* 1. *Ratione Inſtitutionis*, quia unus & ſolus Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus Baptiſmum inſtituit unum. Sicut ergò Deus eſt unus, ita etiam originaliter eſt unus. 2. *Ratione Conſtitutionis*, quia licèt Baptiſmus ex re conſtet gemina, cœleſti & terrena, non tamen geminus ex re illa gemina totoque genere diverſa, ſed unus per Sacramentalem unionem conſtituitur Baptiſmus. 3. *ratione Adminiſtrationis.* Licèt enim duæ in baptiſmi adminiſtratione concurrant cauſæ efficientes, altera quidem θεικὴ & principalis, ſcilicet SS. Trinitas, altera verò ἀνθρωπίνη & miniſterialis, ſcilicet Miniſter Eccleſiæ, attamen Deus non agit ſine Miniſtro, nec Miniſter ſine Deo, ſed conjuncta ſive unita utriusque & Dei & Miniſtri eſt actio, ita ut Deus baptizet per manum Miniſtri, Miniſter verò baptizet loco Dei, cum Deo & virtute Dei. 4. *Ratione virtutis & operationis*, quæ una eſt, non duplex. Non enim Aqua corpus externè & res cœleſtis animam purgat, ſed aqua & res cœleſtis ſacramentaliter unitæ unum habent effectum, videlicet regenerationem & renovationem hominis. Ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

nis. Ab illo enim dependet ſalutaris Baptiſmi Virtus & efficacia κυρίως & principaliter; ab hoc autem ὀργανικῶς & inſtrumentaliter.

De *loco poſteriori* notandum, quod huic Paulino effato non contrarientur verba Johannis Bapt. aſſerentis ſe quidem aquâ baptizare, Chriſtum verò Spiritu & igne. Hiſce enim verbis non duos ſpecie eſſe baptiſmos conſtituit Johannes Baptiſta, ſiquidem 1. hac ratione ſequeretur: duos in Novo Teſtam. eſſe baptiſmos: Etenim Baptiſmus Johannis non Veteris, ſed Novi Teſtam. Sacramentum fuit. 2. ſequeretur, Chriſtum caput noſtrum Baptiſmo ſpecie & ſubſtantiâ diverſo baptizatum fuiſſe, quod ἀθεόλογον eſt.

Alia Objectio.

Matth. 3. v. 29. dicitur, quod Baptizati baptiſmo Johannis DEO laudem juſtitiæ tribuerint. Hinc quidam probare conantur, Baptiſmum Johannis Bapt. non fuiſſe verum Novi Teſtamenti Sacramentum, quia omne Sacramentum eſt à Deo inſtitutum. Atqui Bapt. Johannis non eſt, quia vocatur Johannis Baptiſmus l. c. Ergo. 2. quod diverſum ſit à Baptiſmo Chriſti Sacramentũ, quia non vocatur Baptiſmus Chriſti, ſed Johannis.

℟. I. Baptiſmus in initio Novi Teſtam. adminiſtratus dicitur *Baptiſmus Johannis non originaliter*, quaſi à Johanne Baptiſta ſit inventus aut propria autoritate introductus. Abſit. Nam h. l. Baptiſmus Johannis dicitur *Conſilium Dei, v. 30. & Matth. 21. v. 25.* dicitur de cœlo veniſſe. Sed *miniſterialiter*. Quia Baptiſmus primùm à Johanne in Nov. Teſtam. eſt adminiſtratus, unde etiam Johannes Baptiſta appellatur, *Matth. 3. v. 1.*

II. Baptiſmus dicitur *Baptiſmus Johannis*

1. Non *originaliter*, qvaſi à Johanne ſit inventus: Nam non ipſe, ſed Chriſtus eſt cauſa principalis Baptiſm. Quia ipſe ut Dominus cœli & terræ Diſcipulos ablegavit in totum terrarum orbem, ut baptizarent omnes gentes, *Matth. 28. v. 19.*

2. Neqve *materialiter*, quod Baptiſmus diverſus fuiſſet à Baptiſmo Diſcipulorum Chriſti ratione ſubſtantiæ. Quia Baptiſmus tantùm eſt *unus*, ſicut DEus eſt unus, *Eph. 4. v. 5.*

3. Sed *inſtrumentaliter*. Quia ipſe primus Baptiſmum in Novo Teſt. adminiſtravit, non tanquam Dominus, ſed tanquam Miniſter, *Joh. 1. v. 6. 7.* erat homo *miſſus* à Deo, cui nomen Johannes, *v. 33.* Qui *miſit* me baptizare aqua. Et ipſe tanquam Chriſti prodromus baptizavit, Chriſtus non item, *Joh. 4. v. 2.*

NB. Diverſa fuerunt κριτήρια Joh. Bapt. & Chriſti 1. *reſpectu Baptiſmi*. Johannes debuit baptizare; Chriſtus non item, *Joh. 4. verſ. 2.*

2. *Re-*

2. *Reſpectu miraculorum.* Chriſtus debuit ſtupenda miracula edere, *Eſ.35.v.5. Matth. 11.v.5.* unde dicitur ſignatus à Deo Patre, *Joh.6.v.27.* At contra Johannes nullum miraculum edidit, *Joh.10. v. 41.*

LOCUS XX.
DE
COENA DOMINI.

§. 170. ANTILOGIA.

MAtth. 26. v. 27. Chriſtus panem frangens inqvit ad Diſcipulos ſuos: Accipite, hoc eſt Corpus meum.

1.Cor.10.v.16. Paulus inquit de Pane Euchariſtico: Panis, quem frangimus, nonne eſt participatio Corporis Domini?

Coloſ.3.v.1. Ea, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens.

DUBIUM.

Ex primo & ſecundo loco Orthodoxi Theologi præſentiam Chriſti in S. Synaxi, quæ in hiſce terris celebratur, demonſtrant: contra verò Reformati ſeu Calviniani ex loco tertio probare conantur ejusdem abſentiam à terra; ſiquidem jubeamus quærere ea, quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus ſedet ad dextram Dei.

℞. De Loco 1.& 2. alibi agitur. Verba illa *Coloſ. 3.* ἀναζητεῖτε, h.e. quærite illa, quæ ſurſum ſunt, non τοπικῶς ſeu *localiter* ſunt accipienda, quaſi illa, quæ ſurſum eſſe dicuntur, locorum ſpatio aut intercapedine à nobis in terra verſantibus ſint remota & diſſita: Sed πνευματικῶς, h.e. *ſpiritualiter*, ita ut ſenſus ſit: Superna quærite, h.e. ea, quæ ſunt cœleſtia, idqve non carnali, ſed ſpirituali modo, ſicut decet vera Chriſti membra, quæ unà cum Chriſto in Baptiſmo reſurrexerunt. Sicut enim Chriſtus Caput noſtrum poſt reſurrectionem ſuam non amplius terrenam vixit vitam, ſed cœleſtem, h.e. non curavit ea, quæ ſunt terreſtria, ſed cœleſtia, ita & nos poſt reſurrectionem noſtram ſpiritualem exemplum ejus ſequi debemus, & veterem Adamum exuere novumqve induere.

Probatur

I. Ex *ſubjecti ratione.* Qualis eſt ratio ſubjectorum, talis eſt ratio prædicatorum, quia prædicata ſemper naturam ſubjectorum ſequuntur. Jam verò Apoſtolus Paulus de Chriſto ad dexteram Dei ſedente non loquitur in

tur in hoc textu ἀνθρωπίνως, ſed ἀνθρωποπαθῶς. Quæ autem de Deo & Chriſto dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, illa intelligenda ſunt θεοπρεπῶς, h.e. non humano more, ſed Deo conveniente ratione. Etenim quando Chriſtus ſurſum eſſe dicitur, non τοπικῶς, ſed μυστικῶς hoc eſt intelligendum, h. e. quod non ſit in ſtatu humano, ſed divino & excelſo. Ergò hoc modo prædicatum eſt accipiendum, nempe ſurſum eſſe & ad dextram Dei ſedere. Paulus enim humano more loquens ſenſu divino hæc verba vult intelligi. Etenim ubicunque Dominus & Deus noſter JEſus Chriſtus eſt, ibi ſurſum eſt & non deorſum, ne quidem cum in infima terra. Unde Chryſoſt. Tom. III. in ſerm. de Paſſ. ſcribit, Quando dixero Chriſtum ſedentem in excelſis, ubique eum credite præſentem.

II. Ex *inductione.* Inter illa, quæ ſurſum ſunt, Apoſtolus numerat novum hominem, agnitionem Dei, v. 10. miſerationem, comitatem, modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem, v. 12. charitatem, v. 14. pacem Chriſti in cordibus noſtris, v. 15. ſermonem Chriſti in nobis habitantem, v. 16. Hæc autem non ſunt à nobis remota & ſejuncta, ſed nobis conjuncta, contra verò τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ſunt omnis generis peccata in v. 5. ab Apoſtolo enumerata, unde evidenter patet, quod τὰ ἄνω non localiter, ſed ſpiritualiter ſint accipenda.

LOCUS XXI. DE JUSTIFICATIONE.

§. 171. Antilogia I.

EBr. 11. v. 13. Juxta fidem mortui ſunt hi omnes non acceptis promiſſionibus, ſed à longe eas videntes & credentes.

Ebr. 11. v. 39. Omnes hi teſtimonium conſecuti ſunt per fidem, non acceperunt τὴν ἐπαγγελίαν, promiſſionem.

Ebr. 6. v. 12. Ne ſitis imbecilles, ſed imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditatem accipiunt τῆς ἐπαγγελίας.

℞. I. *In genere.* Vox ἐπαγγελία μοναδικῶς & ἐπαγγελίαι, promiſſiones, accepta in Novo Teſtam. ſæpe ſignificat doctrinam Evangelii ſive promiſſiones Evangelicas.

II. *In ſpecie.* Promiſſiones ſunt triplices: 1. τοπικαὶ, h. e. *locales* de poſſeſſione & hæreditate terræ Canaan, quam Deus Abrahamo & Semini ejus promiſit, *Gen. 12. v. 7. & 17. v. 8.* Has promiſſiones Patres ante Joſuam per annos

annos ferè 500. non ſunt aſſecuti nec eam viderunt. Et de hiſce promiſſionibus Locus primus eſt accipiendus. 2. προσωπικὴ, h.e. *perſonalis*, eſt promiſſio de Meſſia in carnem venturo ipſiusque viſibili officio. Hanc promiſſionem Patres etiam non ſunt aſſecuti, quia multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt, *Luc.10. v. 24.* Et de hac promiſſione loqvitur Apoſtolus *Ebr. 11. v. 39.* 3. πραγματικαὶ, h.e. *reales* ſignificant promiſſam in Chriſto benedicto benedictionem & ſalutem. Harum promiſſionum Patres in Vet. Teſt. participes ſunt facti, quia fide eam ſibi applicarunt, ſicut & nos, *Act. 15. v. 11.*

De hiſce loquitur Paulus *Ebr. 6. v. 12.* & *Ebr. 11. v. 33.* Hûc pertinent alia S. Scripturæ dicta, *Ebr. 13. v. 8.* JEſus Chriſtus heri & hodie, *Apoc. 13. v. 8.* Agnus ab origine mundi occiſus; Et axioma Theologicum: Beneficia Chriſti extendunt ſeſe antrorſum & retrorſum; Antrorſum ad Nos in N. T. Retrorſum ad Patres in V. T. Quamobrem diſtinguenda ſunt promiſſionum genera, & omnis promiſſio erit certa.

§. 172. ANTILOGIA II.

ESa. 53. v. 11. In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervos meos multos.

Joh. 17. v. 3. Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum.

Ebr. 11. v. 1. Fides dicitur ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, argumentum verum, quæ non videntur.

DUBIUM.

In loco priori Notitia dicitur; In poſteriori verò illa eidem detrahitur. Etenim ſi fides circa τὰ μὴ βλεπόμενα verſatur, quomodo erit notitia? quomodo τὸ μὴ βλεπόμενον, ſive non apparens cognoſci poteſt?

℞. *Diſtinguendum inter modum loquendi abſolutum & limitatum.* Apoſtoli verba *Ebr. 11.* non intelligenda ſunt in ſenſu abſoluto, quaſi objecta fidei nullo modo apparerent aut cognoſci poſſent, hoc enim falſum eſſe ex loco priori & tota fidei analogia patet. Nam *1. Cor. 13. v. 12.* dicitur, quod nos res divinas in hac vita videamus, licèt in ænigmate & quaſi in ſpeculo: proinde intelligenda ſunt in ſenſu limitato, videlicet ea, quæ credimus, nobis non apparere omni modo, & à ratione ſciri & perveſtigari poſſe perfectè. 2. *Viſio duplex eſt*, prior eſt ἀνθρωπίνη, h.e. humana, quæ duplex eſt, videlicet ocularis vel ſenſualis, quæ fit oculo corporis. Deinde ψυχικὴ, quæ fit oculo mentis: Hæc quando eſt perfecta, à Philoſophis ἐπιστημονὴ appellari ſolet.

Poſterior eſt θειχή, h. e. *divina*, quæ fit oculo fidei. Licèt ergò fides non ſit Notitia ἀνθρωπίνη, eaque vel ocularis, vel ἐπιστημονική, intellectualis, eſt tamen Notitia divina, cujus ſpeculum eſt verbum Dei revelatum, in quo Fide tanquam oculo ſpirituali myſteria Dei, licèt in ænigmate, videmus, *1. Cor.13. v. 12.*

LOCUS XXII.

DE BONIS OPERIBUS.

§. 173. ANTILOGIA I.

L*Uc. 6. v. 30.* Omni exigenti abs te dato, παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου.
2. Cor. 8. v. 14. Ita erogate pauperibus, non ut vobis ſit anguſtia, aliis relaxatio, ſed veſtra copia reliquorum ſuccurrat inopiæ.

1. Tim. 5. v. 8. Si quis ſuorum rationem non habet, deterior eſt Ethnico & fidem abnegavit.

℞. 1. Ethnici monent officium Viri Liberalis in 5. punctis conſiſtere: 1. in Principio. 2. Subjecto. 3. objecto. 4. dandi modo. 5. in fine ſive ſcopo. (Vid. Autoris noſtri diſputationum Ethicarum quarta, in Collegio Ethico pag. 126. ſeq.) Ex hiſce duo hûc pertinent, ſubjectum & objectum. 2. Hiſce præſuppoſitis dicimus, quod Chriſtus *Luc. cap. 6.* Chriſtianos ad officium liberalitatis & mutuationis omnibus benignè præſtandum adhortetur citra προσωποληψίαν, h. e. perſonarum diſcrimen, noſtriqve commodi rationem; & quando ſubjungit: ab eo, qui aufert, quæ tua ſunt, ne repoſcas, voluit hiſce verbis prohibere, ne repetamus contentioſè ac cum ſcandalo & injuriis: Significat ergò παντὶ *omni*, cuivis promiſcuè non habita ratione privatæ alicujus gratiæ, odii, aut etiam commodi noſtri. 3. Alii ita exponunt: *Omni* exigenti ſcil. ſpeciei non individuo dandum eſſe, h. e. amicis & inimicis pro modo & ratione facultatum noſtrarum. Quod autem, quantumvis locuples ſit, omnibus perſonis egentibus dare poſſit, quantum ſatis eſt, jocus Maximiliani Imperatoris indicat. Cùm enim quidam impudens mendicus Imperatorem Fratrem appellaſſet, & ab eo ἐπιβάλλον μέρος facultatum petiviſſet, juſſit ei Imperator dare Denarium. Cùm autem mendicus gnaviter impudens de inæqualitate diviſionis conqvereretur, reſpondit Imperator: Si ſinguli Fratres tantum tibi dederint, longe eris me ipſo opulentior.

NOTA. Phraſis illa ἐπιβάλλον μέρος extat *Luc. 15. v. 12.* & ſignificat portionem ſubſtantiæ vel facultatum, quæ jure hæreditario ad nos pertinet,

pertinet, quam à Patre ſuo filius prodigus poſtulabat hiſce verbis: Πάτερ δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας, Pater des mihi portionem ſubſtantiæ, quæ ad me pertinet. *Demoſth.* περὶ στεφάνου, τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ἡμᾶς μέρος, h. e. pro noſtra vel nobis debita parte. Appellatio eſt Geometrica & uſitatè ſignificat partem proportionalem, h. e. quæ alteri congruit juxta datam rationem.

§. 174. Antilogia II.

P*Sal. 123. v. 1.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. *verſ. 2.* Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ; Ita oculi ad Dominum DEUM noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Pſal. 121. v. 1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium meum.

Dubium.

In loco priori DEus, in loco poſteriori Sancti adorationis objectum ſtatuuntur. Ex hoc enim Pontificii invocationem probare ſatagunt; ita enim hic Pſalmus in Pſalterio à Bonaventura compilato ad Mariam Virginem accommodatur & ſic incipit: Levavi oculos meos ad te Mater Chriſti, per quem venit ſolatium omni carni. Auxilium tuum & gratiam tuam nobis impende in omni tribulatione noſtra &c.

℞. Diſtingvendum inter Objectum & Modum. *Objectum adorationis* ipſum proponitur in *Pſal. 123.* *Modum* quod attinet, invenitur ille in *Pſal. 121.* Nam in Vet. Teſtamento Iſraëlitæ, quocunqve in loco preces ſuas inſtituerent, ſemper faciem ad Templum Jeroſolymitanum, quod in monte Moria ſitum erat, convertebant, ſicut ex exemplo Danielis Prophetæ patet, *Dan. 6. v. 10.* Daniel feneſtris ſuis apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua & orabat. Ratio autem hæc erat, quia DEus præſentiam ad Templum Hieroſolymitanum alligârat, & ſuper Cherubinos habitabat, *Exod. 25. v. 8.* & *Pſ. 99. v. 1.* Sed inde non ſeqvitur, quod Daniel Sanctos adorârit, quia immediatè *v. 2.* ſubjungitur: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

§. 175. Antilogia III.

J*Oh. 16. v. 23. 24.* Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis: uſqve modo non petiiſtis quicquam in Nomine meo.

Luc.5. v.5. dicit Simon Petrus ad Chriſtum: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen tuo juſſu laxabo rete.

DUBIUM.

Verba priora locutus eſt Chriſtus in IV. anno Miniſterii ſui, in quo Diſcipulos nihil quicquam in Nomine ſuo petiiſſe dicit. At huic aſſertioni è diametro contrarium eſt factum Petri, qui in ſecundo Anno Miniſterii Chriſti dicit, *Luc.5.* ſe in Nomine Chriſti rete ſuum laxaturum. Q. d. laxabo rete ex mandati tui obedientia & verbi tui fiducia, quia tu dicis & jubes: Tu, inqvam, qui es ἐπιστάτης, h. e. qui habes jus mandandi & adminiſtratio Eccleſiæ tibi ut Meſſiæ commiſſa eſt.

℞. Diſcipuli Chriſti nil quicquam in Nomine Chriſti petiiſſe dicuntur, quia adhuc more Vet. Teſtamenti oraverant, ubi per *indirectum* coram arca propitiatorii in nomine venturi Meſſiæ preces fundebantur, qui mos ſub initium primitivæ Eccleſiæ Nov. Teſt. adhuc in uſu erat. Jam verò *directè* ad conſuetudinem Novi Teſtam. in nomine & fiducia Chriſti preces ſuas erant concepturi.

§. 176. ANTILOGIA IV.

MAtth.5. v.16. Luceat lux veſtra coram hominibus &c.

Matth.6. v.1. Attendite, ne eleemoſynam veſtram præſtetis coram hominibus.

DUBIUM.

In priori Loco Chriſtus præcipit Diſcipulis ſuis, omnibusqve Piis, ut publicè faciant bona opera, ita ut aliis hominibus innoteſcant. Nam per lucem coram hominibus lucentem Lux confeſſionis & bonorum operum intelligitur. In poſteriori verò loco ipſum prohibet.

℞. 1. Diſtingvendum eſt inter bonorum Operum *uſum* & *abuſum*. Prior Locus de vero bonorum operum uſu, poſterior verò de abuſu eſt intelligendus.

2. Locus poſterior non intelligendus eſt τοπικῶς, h. e. non de *Loco*, ſed de *Fine & Scopo*, h. e. non prohibet Chriſtus, ne Eleemoſynæ dentur in publico, ſed ne hoc ipſum fiat ad captandam gloriolam popularemqve auram; Etenim *Lux noſtra lucere debet* paſſim apud omnes & ſemper, verùm non ad gloriam noſtram, ſed ut DEus glorificetur. Tolli ergò vult Chriſtus ab Eleemoſynis noſtris abuſum, ut maneat verus uſus. *Uſus* eſt gloria Dei, ſalus proximi, teſtimoniumqve noſtræ fidei. *Abuſus* eſt gloria propria, hypocriſis & ſuperbia, ſicut ex textu luculenter patet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

patet. Inqvit enim Chriſtus: Attendite, ne Eleemoſynam veſtram præſtetis coram hominibus, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, ut ſpectentur ab illis. Ubi notetur emphaſis vocis θεαθῆναι, quæ ſignificat non παχυλῶς, h.e. vulgariter, quaſi obiter & negligenter, ſed ἀκριβῶς, h.e. accuratè, diligenter & quaſi fixis oculis videre: Unde dicitur theatrum, in quo publicè omnia verba audiuntur, & acta atqve facta conſpiciuntur. Eodem etiam modo Chriſtus orationem prohibet *v. 5. & 6.*

§. 177. Antilogia V.

Rom. 2. v. 13. Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed Factores Legis juſtificabuntur.

Rom. 3. v. 20. Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro (h. e. nulla caro) in conſpectu Dei.

v. 28. Arbitramur fide juſtificari hominem ſine operibus.

℞. Nulla ἀντιλογία eſt inter hæc duo loca, ſi modo ὁμωνυμία phraſeos explicetur.

I. Gloſſa ordinaria Auguſtinum ſecuta per Factores Legis Credentes in Chriſtum intelligit, quem Lex promiſit. Sed hæc gloſſa pugnat cum textu, in quo Lex moralis & Lex naturæ opponuntur, quare vox illa non εὐαγγελικῶς, ſed νομικῶς eſt intelligenda, uti oppoſitio requirit.

II. Sadeel in operibus p. 470. Facere Legem vel mandata Legis νομικῶς quidem intelligit, ſed perperàm intelligit. Putat enim ille, quod facere mandata non ſemper perfectionem ſignificet, quia inquit: hæc phraſis etiam de ipſis infidelibus accipitur, *Rom. 2. v. 14.* Gentes naturâ, quæ legis ſunt, faciunt. Verùm ſi Sadeel græcum textum inſpexiſſet, haud ita lapſus fuiſſet. Nam v. 13. ita loquitur Apoſtolus: οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. At v. 14. inquit: ἔθνη φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ. Unde patet, quod aliud ſit τὸν νόμον ποιεῖν & τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν. Poſterius ſignificat particularem legis obſervationem. Gentes enim non totam legem, ſed τὰ τοῦ νόμου, h. e. ea, quæ ſunt Legis, h. e. quædam honeſta Virtutum opera cum Lege Dei congruentia faciunt. Conſentit Beza in N. T. ſuper h. l. Verùm ποιεῖν τὸν νόμον, facere legem, totalem Legis obſervationem denotat.

III. Quare nos ita reſpondemus: Per ποιητὰς τοῦ νόμου, h. e. per Factores Legis Apoſtolus intelligit iſtos, qui totam legem implent, inque omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, permanent, *Deut. 27. v. 28.* Etenim mandata Dei in Script. ſacra tripliciter nobis proponuntur obſervanda: 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

da: 1. Corde. 2. Ore. 3. Opere. *Corde*, ut ea meditemur dies atqve noctes, nec eorum unquam obliviſcamur, *Deut. 6. v. 12. 20. Prov. 3. v. 3. Eccl. 3. v. 23. Ore*, ut de illis frequenter loquamur, *Deut. 6. v. 21. Joh. 1. v. 8. Opere*, ut ea exequamur, & fidem noſtram operibus teſtemur, dilectionem noſtram ipſo opere oſtendamus, ut Joh. docet 1. Ep. 3. v. 18. Hæc ergò tria hominis membra principalia, nempe cor, os, & manum conſonare, non diſſonare debent, uti ex *Pſalm. 1.* patet. Hùc ergò reſpiciens Apoſtolus inquit: Non Auditores, ſed factores Legis juſtificabuntur, h. e. qui totam Legem Dei perfectè implent. Jam nullus ſub cœlo (ſolo Chriſto excempto) qui perfectè Legem implere potuit. Quare nos cum D. Paulo concludimus, ex operibus legis nullum hominem juſtificari apud Deum. Hæc concluſio κτ̀ τὸ γράμμα extat *Rom. 3. v. 20. Gal. 2. v. 16.*

§. 178. ANTILOGIA VI.

P*Rov. 26. v. 4.* Ne reſpondeas Stulto &c.
Contra v. 5. reſponde Stulto.

℞. *Stultus* conſideratur tripliciter:

I. Προσωπικῶς, idque 1. *Theologicè: Originaliter.* Sic animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia ſiquidem illi ſunt. *Actualiter, Eph. 5.* ab hac dehortatur Paulus, quando inquit v. 15. videte, ut circumſpectè ambuletis, non ut inſipientes, *Eccleſ. 10. v. 12.* Labia inſipientis præcipitabunt eum. 2. *Politicè.* Schalcksnarren.

II. Χρονικῶς. Sic ſtulto non reſpondendum *tempore inopportuno*, quando ipſe furit & inſanit; ſed *opportuno*, quia omnia tempus habent, *Eccl. 3. v. 1.* Exemplum de Abigail, quæ non indicavit Nabali, quæ cum Davide geſta erant, usq; mane. Nam metuebat, ut hominem ebrium irritaret magis quàm emendaret. Ita homines ebrii non temerè ſunt reprehendendi, donec vinum digeſſerint.

III. Τροπικῶς. Stulto non eſt reſpondendum per convitia & λεπτολογήματα. Ratio ſtatim additur, ne ſimiles ei efficiamur, id quod tum fit, ſi ineptis, ſtultis & ſcurrilibus ſermonibus cum ipſo certare ſtudemus: Quia oratio mentis eſt index. Sicut ergò omninò gravis & prudens Vir gravem & prudentem; ita contrà omninò levis & fatua hominem levem & fatuam arguit.

§. 179. ANTILOGIA VII.

J*On. 4. v. 11.* Annon ergo parcam Ninivitæ civitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum.

Deut. 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Deut. 1. v. 39. Parvuli veſtri & Filii, qui hodie ignorant boni & mali diſtantiam.

Pſal. 8. v. 3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

DUBIUM.

In prioribus duobus locis Infantibus Notitia inter bonum & malum, & ſic ex conſequenti omnia bona opera detrahuntur; Quia qui ignorat bonum & malum, quomodo ille bonum opus præſtare poteſt? In *Pſal. 8.* dicuntur Deum collaudare.

℞. In prioribus duobus Locis intelliguntur infantes τὰ ἔθη ſive ætate, & illi negantur actualia peccata committere non ἁπλῶς, ſed πῶς, h. e. non committunt talia peccata, qualia adulti, ſiquidem uſu rationis & electionis carent: interim tamem ab omnibus peccatis actualibus immunes non ſunt. In *Pſalmo 8. v. 3.* intelliguntur Infantes & Lactentes τὰ ἤθη, h. e. qui ingenio & moribus pueros repræſentant, non quidem *intelligentiâ*, ſed *innocentia, 1. Cor. 14. v. 20.* Quod ut meliùs intelligatur, voces Ebrææ rectè ſunt explicandæ, quæ ſunt duæ, videlicet Jonekim & Olelim. Jonekim habet in ſingulari Jonek, venit à radice ינק ſuxit lac. *Jonek* autem tripliciter accipitur:

1. *Phyſicè,* ſeu *propriè* de perſonis προσωπικῶς, de illo, qui ætate & mente infans eſt, & vel puerulus eſt, ab uberibus matris adhuc pendens & lac ſugens vel etiam ablactatus. Ita accipitur *Joël. 2. v. 16.*

2. *Metaphoricè.* Jonek ſignificat ſurculum vel ramum tenerem, qui ſugit arboris ſuccum. Sicut enim infans ab ubere materno pendens ſugit lac: Ita ramus humorem à ſua radice. Ita accipitur *Eſ. 53. v. 2.*

3. *Myſticè.* Lactentes dicuntur Miniſtri Eccleſiæ, qui ex Dei uberibus ſive mamillis lac divinum, h. e. verbum Evangelii ſugunt, & ſic accipitur *Pſal. 8. v. 3.*

Similiter *Olelim* tripliciter accipitur:

I. *Phyſicè* & *propriè* accipitur προσωπικῶς, de perſonis, h. e. infantibus iisq; vel *in primo ætatis gradu* conſideratis, h. e. qui paulò majores ſunt lactentibus, ſive qui recens ſunt abſtracti, quique jam incipiunt loqui, agere, ludere. De Radice עול vide Marinum & alios Lexicographos, & varias ejusdem ſignificationes.

II. *Metaphoricè* ſignificat Olelim botros ſive racemos parvos, qui abſolutâ vindemiâ remanent in vitibus, latitantes poſt palmites infantibus ſimiles, qui lactentes dicuntur ſurculi, & ſe habent ad reliquos botros ſicut pueri ad viros, *Eſ. 17. v. 6.*

III. *Myſticè* ſignificant Eccleſiæ Miniſtros.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Ἐτυμολογία.

Dicuntur autem *Eccleſiæ Miniſtri* Jojekim & Olelim, h. e. Lactentes & Infantes triplici reſpectu: I. *Reſpectu Dei*, quia *cultum* λογικὸν, h. e. rationalem, ut Paulus *Rom. 12. v. 1.* & lac λογικὸν, ut loqvitur Petrus *1. Epiſt. 2. v. 2.* h. e. lac ſugunt non ex humana ratione, ſed ex divina revelatione, ex verbo Dei revelato, ex Vet. & Novo Teſtam. quæ ſunt quaſi duo Chriſti ubera, ex quibus Eccleſiæ Miniſtri, omnesqve Pii lac ſalutis ſugunt. Unde *Lac* illud *Lac* λογικὸν vocatur 1. *Ratione Principii*, quia à λόγῳ, h. e. Filio Dei nobis eſt manifeſtatum, *Joh. 1. v. 18.* 2. *Ratione medii*, quia ex λόγῳ, h. e. Verbo Dei revelato definitur, quod λόγια τοῦ Θεοῦ appellatur, *Rom. 3. v. 2.* 3. *Ratione ſui*, quia eſt Lac purum & defæcatum, ſincerum, nulla humanæ ſapientiæ commixtione lutum.

II. *Reſpectu Mundi*, h. e. Sapientum hujus ſeculi, quia Chriſtum & Miniſtros Chriſti Sapientes hujus ſeculi habent pro infantibus & pueris, h. e. pro fratribus & ſtultis. Sicut Paulus inqvit *1. Cor. 1. v. 23.* Nos prædicamus Chriſtum crucifixum Judæis quidem Offendiculum, Græcis verò ſtultitiam. Sic in hiſtoria Paſſionis legimus, quod Judæi Chriſto Chlamydem coccineam injecerint loco purpurei paludamanti, corona ſpinea cinxerint caput loco Diadematis Regii & arundinem in manum dextram ei dederint loco ſceptri, tale eſſe regnum ipſius, qualia darentur inſignia hoc ipſo judicantes.

LOCUS XXIII.

DE ECCLESIA.

§. 180. ANTILOGIA I.

EPheſ. 2. v. 20. Ædificati eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum.

1. Timoth. 3. v. 15. Eccleſia Dei vivi eſt columna & firmamentum veritatis.

DUBIUM.

Si Eccleſia eſt ædificata ſuper Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, tanquam ſuper fundamentum: quomodo ergò poteſt dici, quod Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis. Aut ſi hoc dicendum: inferunt inde Pontificii, quod Scriptura ſacra licet non καθ' ἑαυτὸν, tamen πρὸς ἡμᾶς autoritatem accipiat ab Eccleſia.

℞. Co-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

℟. Columna & fundamentum Veritatis *duplex* in ordine cauſæ procreantis & conſervantis: 1. *Procreantis.* Sic non Eccleſia, ſed ſacra Scriptura ſive verbum Dei prædicatum eſt fundamentum Veritatis: Quia Eccleſia ex Dei verbo tanquàm ſemine incorruptibili renaſcitur *1. Pet 1. v. 23.* Jam verò mater eſt cauſa procreans & conſervans Filiæ, non contrà. Ex quibus enim cauſis res procreatur, ab iisdem etiam conſervatur. Hinc de Confeſſione Petri inqvit ipſe Chriſtus, qui eſt os Veritatis: quod ſuper Petram illam, h. e. ſuper confeſſionem illam, de ſe tanqvam vera & viva Eccleſiæ Petra ædificare velit, ita ut portæ inferorum adverſus eam non poſſint prævalere, *Matt. 16. v. 18.* Et *Joh. 17. v. 17.* inquit Chriſtus ad Deum Patrem ſuum: Sermo tuus veritas eſt. Si ergò verbum Dei ipſa veritas eſt, utiqve fulcimento & firmamento non indiget, quia quod rei alicujus eſt internum & eſſentiale, illud à nullo externo accidente mutari poteſt. Jam verò Veritas & Autoritas Scripturæ ſacræ eſt interna & eſſentialis, quia eſt ſermo θεόπνευστος, h. e. divinitùs inſpiratus eſt ipſa veritas & DEI veriſſimi veraciſſimum Verbum.

2. *Conſervantis.* Sic Eccleſia eſt Columna & firmamentum veritatis triplici reſpectu: 1. tanqvam *Cuſtos*, quia Eccleſiæ λόγια τοῦ Θεοῦ ſunt concredita, ſicut de Judæis dicit Paulus *Rom. 3. v. 2.* 2. *Præco & Interpres*, quia Verbum Dei divulgat, concionatur & interpretatur. 3. *tanquam Vindex*, quia Verbum Dei ab omnibus hæreſibus & corruptelis ſartum tectum conſervat.

NB. Ad Locum *1. Tim. 3. v. 15. Eccleſia eſt Columna*, ſeqventia ſunt obſervanda.

1. Alloqvitur Apoſtolus Timotheum, qui erat præfectus Eccleſiæ Epheſinæ, quæ eo potiſſimum decoratur elogio, illa autem omninò defecit, ergò hoc dictum ſimpliciter accipi non poteſt. 2. Pontificii hoc applicant ad Epiſcopos & Prælatos; Paulus autem loqvitur de tota multitudine Credentium, quibus uti Paſtor præerat Timotheus; de populo autem non concedunt Pontificii, quod ille ſit Columna Veritatis. 3. De omnibus particularibus Eccleſiis hoc verum eſt, an verò propterea nulla erraret? 4. Quæritur, an Eccleſia abſolutè talis, an verò, quando ſequitur Verbum? ſi abſolutè, ergò omne, quod dicit, verum erit, quod nos negamus, ſi limitatè, concedimus. Conſideretur ergò ſubjectum & prædicatum propoſitionis Paulinæ: *Subjectum* non eſt ſimplex, ſed limitatum, non enim de quavis Eccleſia & conſervatione ſermo eſt, ſed de ea, quæ eſt domus Dei & quando eſt domus Dei: illa ergò limitatio & explicatio à ſubjecto non eſt removenda, ut faciunt Pontificii. 2. *Prædicatum*

eſt duplex, Columna & Firmamentum. I. *Columna* ſumitur non ἀρχιτεκτονικῶς, pro columna, cui innititur ædificium: ſed πολιτικῶς, pro columna, ad quam tabellæ rerum publicarum appenduntur. Sic Eccleſia eſt columna, quia illi concreduntur τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *Rom. 9. v. 6.* quia ad eam appenduntur tabulæ legum divinarum.

II. *Firmamentum* veritatis vel eſt πρῶτον & *independens*, quod eſt Chriſtus, vel δεύτερον & *dependens*, quod eſt Eccleſia. Conſiſtit hoc 1. in teſtimonio. 2. in præconio. 3. in interpretatione. 4. in cuſtodia. Per *Cuſtodiam* autem non intelligitur localis & mortua, ſicut arca cuſtodit: ſed cuſtodia quatenus animata, quæ in eo conſiſtit, quod Eccleſia Verbum Dei tanqvam pretioſum theſaurum adverſus omnes fures & latrones, h. e. hæreticos conſervare debeat, & ab omnibus erroribus & impoſturis vindicare.

§. 181. ANTILOGIA II.

E*Ph. 2. v. 11.* Mementote, quod vos quondam (eſſetis) gentes in carne.

Rom. 11. v. 13. Vobis dico Gentibus, quatenus ego quidem ſum Apoſtolus gentium.

Rom. 10. v. 19. Provocabo vos per gentem non gentem (ſcil. antea exiſtentem.)

DUBIUM.

Ratio dubitandi hîc non levis ſeſe offerre videtur: Quomodo Gentes converſæ dicantur fuiſſe Gentes, *Eph. 2.* & tamen eſſe Gentes, *Rom. 11.* Et ex non gente factæ Gens, *Rom. 10.* Si enim gentes deſierunt, quomodo gentes permanſerunt: Et ſi antea fuerunt non gens, quomodo factæ ſunt Gens? quod enim quiſpiam fuit & eſſe deſiit, illud amplius non eſt, neque eſſe dici poteſt. Jam verò gentes deſierunt eſſe gentes, quia gentes ex gentibus per converſionem facti ſunt Chriſtiani. Ergò ſi Chriſtani ex gentibus facti ſunt, quomodo dici poterit, quod ex non gente gens facti ſint? *Rom. 10.* Clarius: Si Terminus ad Quem converſionis gentium eſt fieri ex gente Chriſtianum, quomodo terminus ad Quem poteſt eſſe fieri gentem.

℞. Accuratè hîc *diſtinguendum* eſt *inter Gentes & Gentem:*

Vox Gentes πληθυντικῶς accepta, quando Eccleſiaſticè ſumitur, ſive quando de Religione ſermo eſt, enunciatur de hominibus vel formaliter vel materialiter, utroque modo, certo tamen cum reſpectu, malum quid vel includit, vel excludit. Quando *formaliter* accipitur, h. e. de ſtatu præſente, in quo homines iſti, de quibus hæc vox dicitur, adhuc verſantur, tum abſolutè malum donotat & includit. Sed quando *materia-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

materialiter accipitur, h.e. *de ſtatu præterito*, in quo homines iſti, de quibus ex gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converſi ſint verſati, tum reſpectu termino à Quo malum includit, & à perſona, quæ ex ſtatu iſto malo exceſſit, illud excludit. Exinde patet evidenter, quomodo Gentes in Novo Teſtam. converſæ ante converſionem fuerint gentes & poſt converſionem factæ ſint Gens.

LOCUS XXIV.

DE ECCLESIÆ MINISTRIS.

§. 182. ANTILOGIA. I.

MAtth. 10. v. 10.* Nolite poſſidere calceamenta, neq; virgam.

Marc. 6. v. 8. Et præcepit illis, ne quid tollerent in viam, εἰ μὴ, Niſi virgam: ſed calceatos ſandaliis voluit eos incedere.

℞. I. Diſtinguendum *inter calceamenta*, quæ totum pedem contegunt (Græcè ὑποδήματα) vel calceamenta nova ad longiorem profectionem parata, quæ apud Matthæum prohibentur. Et *inter ſoleas*, quæ ſolam plantam muniunt ac tuentur, quæ apud Marcum permittuntur.

II. Diſting. *inter virgam defenſoriam*, quâ ad defenſionem uti ſolent viatores, & apud Matthæum prohibetur; quales baculos hodie nonnulli geſtant, intra quos ſunt incluſi gladii: Et *inter virgam ſuſtentatoriam* (ſcipionem Latini vocant) quæ apud Marcum permittitur, quales baculos etiam Patriarchæ ac Prophetæ geſtarunt, *Gen. 32. v. 10. Exod. 4. v. 2 2. Reg. 4. v. 29.*

Sententia igitur apud Matthæum eſt: Quemadmodum Chriſtus duas tunicas circumferre vetuit, ita & binis calceamentis interdixit, ſed iis contentos voluit Apoſtolos in hac legatione, quibus ab omni cura rerum ſecularium liberos quotidie utebantur. *Summa* ergò hûc redit, Apoſtolos uni rei, videlicet prædicationi Evangelii, vacare debere.

§. 183. ANTILOGIA II.

ROm. 10. v. 15.* Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint?

Phil. 1. v. 16. 17. 18. Alii quidem ex contentione Chriſtum annunciant non purè &c.

DUBIUM.

In Loco priori ſtrictè urget & requirit in Miniſtris Eccleſiæ legitimam vocationem; in poſteriori verò loco approbat etiam eos, qui per invidiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

vidiam & contentionem Chriſtum annunciabant, haud dubiè non vocati.

℞. Diſtinguendum eſt inter Regulam & exceptionem à Regula. *Regulam* quod attinet, vocationem tanquam neceſſariam Apoſtolus urget & hanc ſemper ſequendam eſſe monet. Etenim Miniſtri Evangelii ſunt Legati Chriſti, quod dupliciter conſideratur: 1. ratione tituli. 2. ratione exercitii. Quod verò locum Philipp. 1. attinet, de caſu extraordinario ille loquitur, de quo Paulus ſollicitus non fuit, ſed Regulam *Rom. 10.* præſcripſit, eamq; ordinariè ſemper ſequendam eſſe contendit. In ſpecie autem Apoſtolorum emiſſionem deſcribens, ſe obligatione Teſtimonii Eſaiæ Prophetæ teſtatum facit, quæ ſine vocatione neque fuit, neqve etiam eſſe debuit.

§. 184. ANTILOGIA III.

1. C*Or. 2. v. 15.* Spiritualis dijudicat omnia; ipſe verò à nemine dijudicatur.

1. Cor. 14. v. 32. Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt.

DUBIUM.

Si homines ſpirituales, h.e. perſonæ Eccleſiaſticæ, ſive Miniſtri Eccleſiæ omnia dijudicant, ipſi verò à nemine dijudicandi ſunt: Quomodo idem Apoſtolus dicit, quod Spiritus Prophetarum Prophetis ſint ſubjecti? Qui enim à nemine dijudicatur, ille utiqve nemini eſt ſubjectus, aut ſi alteri eſt ſubjectus, neceſſariò ſequitur, quod ab illo dijudicetur.

℞. In Explicatione *Loci prioris* duplex propoſitio attendenda:

1. *Subjectum* & *Prædicatum*. *Subjectum* eſt *Homo* πνευματικὸς, qui notat non perſonam Eccleſiaſticam definitè, ſed *hominem renatum* quemvis indefinitè. Quod probo *ex oppoſito*. Qualis eſt ſignificatio vocis ἀνθρώπȣ ψυχικȣ͂, h.e. hominis animalis, talis quoque eſt ſignificatio vocis ἀνθρώπȣ πνευματικȣ͂. Quia hæc ſunt oppoſita, ut patet ex *v. 14. 15.* oppoſitorum autem eadem ſignificatio (generalis.) Jam verò ἄνθρωπος ψυχικὸς, h. e. homo animalis quemvis hominem non renatum ſignificat, uti ex inſcriptione in *v. 14.* poſita patet. Ergò quoqve

Prædicatum eſt, quod ipſe judicet omnia. Hîc judicium intelligitur non φυσικὸν de rebus temporalibus aut carnalibus, ſed πνευματικὸν de rebus ſpiritualibus, quæ animalis homo non intelligit, uti Apoſtolus *v. 14.* inqvit, contrà verò temporalia intelligit; imò ſæpè ea meliùs atqve homo ſpiritualis intelligit, quia juxta effatum Chriſti filii hujus ſeculi ſunt prudentiores filiis lucis in generatione ſua, *Luc. 16. v. 8.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Altera Propoſitio.

Ipſe à nemine dijudicatur. Hujus propoſitionis Senſus non eſt univerſalis abſolutè, ſed limitatè, videlicet talis: Ipſe à nemine ſcil. homine ψυχικῷ, cui opponitur, dijudicatur, h. e. cognoſcitur: In Græco textu eſt vox ἀνακρίνεται, ἀνακρίνειν autem hoc loco ſignificat idem quod ſpiritualiter cognoſcere, quia ipſe Apoſtolus vocem hanc explicat per τὸ εἰδέναι, *v. 12.* per τὸ δέχεσθαι, *v. 14.* deniqve per τὸ γινώσκειν, *v. 14.* Hic autem ſpiritualis homo omnia dijudicat, h. e. cognoſcit, ſcit & novit, nempe quæ à Chriſto nobis ſint donata, *v. 12.* Hæc autem homini ψυχικῷ, ſive animali ſunt ἄγνωστα καὶ ἀνατάληπτα, h. e. incognoſcibilia & incomprehenſibilia, ſiqvidem ἀνάκρισις ſive judicium ejus ſenſum rationisve captum haud excedit. Idcirco animalis homo miratur quidem, quàm in homine ſpirituali ſive renato videt animi mutationem, verùm à quo & quomodo ea ſit facta, planè ignorat.

EXPLICATIO
LOCI POSTERIORIS.

Quæſt. Quomodo Spiritus S. in Prophetis fuerit examini ſubjectus, cùm non fuerit errori obnoxius? Res non caret difficultate, etiamſi de donis Spiritus S. textus intelligatur, quia ipſe Spiritus S. hac ratione examini ſubjicitur, ſiquidem ipſa Prophetia à Spiritu S. profecta examini ſubjicitur. Quin imò & hac ratione ipſum Dei verbum à Spiritu S. profectum examini ſubjicitur.

℞. Intelligendum eſt vocabulum Spiritus non de ipſo Spiritu ſancto, ſed de ipſo Spiritus ſancti dono, quia dicit in plurali numero πνεύματα.

Diſtingvendum inter *revelationem* Spiritus S. *plenam*, huic examini non ſubjacet; & *revelationem ſemiplenam*, Spiritus S. dat ad memoriam, ideoqve Propheta de ſuo quædam poteſt, A. idqve injuria Sp. ſancti.

NB. Obſerv. 1. *Spiritus.* 2 *Prophetæ* non Vet. ſed Novi Teſt. qui ſenſum Scripturæ propheticæ, quem ex ſingulari revelatione didicerant, Eccleſiæ aperiebant, quorum aliqui ſimul etiam futura prædicebant, ut Agabus *Act. 11. v. 28.* Judas & Silas *Act. 15. v. 32.* 3. *Examen* Spiritus Prophetarum deſignatur per vocem ὑποτάσσεσθαι, quod vocabulum ſubordinationem ſignificat, 4. *Regula Examinis extraordinaria* plenior revelatio Spiritus ſancti: *ordinaria* Analogia fidei, ad quam Paulus omnes Prophetias aſtringit, *Rom. 12, v. 6.* Verbum Dei ſcriptum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 185. ANTILOGIA IV.

1. COr. 15. v. 8. 9. Poſtremò verò omnium velut abortivo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.

Tit. 2. v. ult. Nemo te deſpiciat, *1. Tim. 4. v. 12.*

DUBIUM.

D. Apoſtolus Timotheo & Tito diſcipulis præcipit, ut à nemine ſe contemni patiantur. Quomodo ergò Apoſtolus ſibi ipſi conſtat, quando ſe ipſum ἔκτρωμα & abortivum & minimum Apoſtolorum vocet, imò diſertis verbis aſſerat ſe indignum eſſe, qui vocetur Apoſtolus.

℟. D. Paulus ſe ipſum in duplici ſtatu conſiderat, & ſic *in ſtatu præterito*, qualis videlicet fuerit ante ſui converſionem, videlicet blaſphemus, perſecutor & violentus, quibus elogiis & titulis ignominioſis ſe ipſum deſcribit, *1. Tim. 1. v. 13.* & hoc reſpectu etiam *1. Cor. 15.* ſeipſum vocat ἔκτρωμα, abortivum, reſpectu videlicet perſecutionis, ſicut ipſe Apoſtolus in continenti rationem annectit, quando inquit: Quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Sicut enim abortus Matrem plerumque occidit, aut certè graviſſimè affligit, ita etiam Paulus Eccleſiam matrem perſecutus eſt. Et ſic Paulus ſe abortivum duplici de cauſa nominat, πρώτως reſpectu perſecutionis, & δευτέρως reſpectu violentæ converſionis; ſicut abortus vi ex utero matris extruditur, unde dicitur ἔκτρωμα ab ἐκτρώσκω, vi extrudo.

§. 186. ANTILOGIA V.

GAl. 1. v. 1. dicit Apoſtolus ſe non vocatum eſſe ab hominibus neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum.

Actor. 9. v. 17. Paulus ab Anania fuit baptizatus.

Act. 13. v. 2. dicitur ab Eccleſiæ Antiochenæ Doctoribus vocatus. Ita enim inquit Spiritus S. Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod accerſivi eos.

℟. Diſting. *inter ipſam vocationem*; hæc à ſolo facta eſt Chriſto θεανθρώπῳ, non ab ullo homine mero & nudo; & *inter vocationis manifeſtationem.* Hæc fit 1. interdum per ſolum Deum. Quomodo immediatè ab ipſo Deo non tantùm vocatus, ſed etiam immediatè declaratus eſt Moſes, ut Dux eſſet populi Iſraëlitici, *Exod. 3. & 4.* 2. per internuncium Aaron, *Exod. 4. v. 14.* 3. per ſortem. Vide exemplum Matthias, *Act. 1. v. 24.* 4. per manuum impoſitionem.

Sic D.

Sic D. Paulus immediatè ab ipſo Chriſto fuit vocatus & violento modo converſus *Act. 9. v. 5. 6. 15.* Poſtea verò ab Anania fuit baptizatus & confirmatus, *ibid. v. 6. 17. 18.* Sic etiam *Act. 13.* Paulus, qui jam immediatè ab ipſo Chriſto erat vocatus, uti ex *Act. 9. cap.* modo demonſtratum eſt &c. à Doctoribus & Prophetis Eccleſiæ Antiochinæ vocatio ipſius publicè eſt declarata idque mandato ipſius Spiritus Sancti. Quando autem dicitur, quod ſegregarint ipſum in opus, ad quod Spiritus S. eum miſerat, ibi non præciſè Apoſtolatus intelligitur, ſed plenaria muneris Apoſtolici in gentes adminiſtratio, v. 4. Unde etiam evidenter patet error Bellarmini, qui ſtatuit, quod Apoſtoli præter vocationem peculiari inſuper ordinatione indiguerint.

LOCUS XXV.

DE

MAGISTRATU ET SUBDITIS.

§. 187. ANTILOGIA I.

1. PEtr. 2. v. 13. Magiſtratus vocatur κτίσις ἀνθρωπίνη, ordinatio humana.

Rom. 13. v. 1. Non eſt poteſtas niſi à Deo.

DUBIUM.

Si Magiſtratus eſt creatura humana, quomodo ergò Magiſtratus dici poteſt ordinatio divina?

℞. Magiſtratus à D. Petro vocatur ordinatio humana, non ἀιτιολογικῶς, ſeu *originaliter* & *ratione cauſæ principalis*, quaſi hic ſtatus principaliter ab hominibus ſit ortus aut ab hominibus inventus & excogitatus, quia DEum authorem habet, ſed διακονικῶς, *miniſterialiter*, ſive *ratione cauſæ miniſterialis*, quia ſæpius ab hominibus & per homines eſt conſtitutus, Deo ſic volente & ſanciente. Ideoqve Petrus Apoſtolus repetit præceptum D. Pauli ex *Rom. 13. v. 1. 2.* quod obediendum ſit Magiſtratui tanqvam τοῦ Θεοῦ τάξει καὶ διαταγῇ, h. e. Dei ordinationi. Vide plura in Dom. Authoris Syſtemate Min. pag. mihi 479. ſeq.

OBJECTIO:

Pſal. 82. v. 6. de Magiſtratibus dicitur: Dii eſtis.

℞. Magiſtratus dupliciter conſideratur: 1. *abſolutè* ſive materialiter. 2. *relatè* ſive formaliter, quando Dei in his terris ſunt vicarii.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

§. 188. Antilogia II.

E*Xod.* 22. *v.* 8. Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & *v.* 9. ad Deos perveniat utriuſqve cauſa. vid. *Deut.* 17. *v.* 8.

1. *Cor.* 6. *v.* 7. Omninò delictum eſt in vobis, quod lites habetis inter vos invicem, cur non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?

℞. Diſtinguendum inter judicia & *Contentiones ordinatas.* De illis Loca priora, de hiſce verò locus tertius eſt intelligendus: Etenim judicia & contentiones illæ, de quibus Apoſtolus 1. *Cor.* 6. agit, quadruplici de cauſa ſunt illegitimæ & inordinatæ.

1. *Originaliter*, quia ex impotenti litigandi libidine inſtituebantur, quia talia erant litigia, quæ facilè componi à fratribus prudentiâ præditis poterant, ut patet ex *v.* 5.

2. *Materialiter*, tùm ratione perſonæ, tùm ratione rerum. *Ratione perſonarum* delictum committebatur tripliciter: 1. quoad Actorem. 2. Reum. 3. Judicem, quia frater cum fratre litigabat, idqve ſub infidelibus Magiſtratibus, *ibid. v.* 6. *Ratione rerum*, quia leviſſimis de cauſis litigia inſtituebant, quia loqvitur Apoſtolus de talibus caſibus, in quibus honeſtiùs erat injuriam pati, quàm jus ſummum perſequi, ſic enim inquit Apoſtolus *v.* 7. cur non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?

3. *Formaliter*, quia cum magna animi exacerbitate litigabant & rixabantur. De hoc ita loqvitur Apoſtolus *v.* 8. imò vos injuria afficitis, idqve fratres.

4. *Finaliter.* Inordinata erant illa litigia reſpectu finis gemini 1. ex parte litigantium, quorum ſcopus erat damnum alteri inferre, *v.* 8. 2. ex parte fidei ſociorum, quia infirmos in fide graviter hiſce altercationibus offendebant.

Dubium.

Si Corinthii propterea reprehenduntur ab Apoſtolo, quod coram Magiſtratibus litigarent, anne ergò Ethnici Magiſtratus leges & judicia ſunt fugienda, & leges forenſes Moſis retinendæ.

℞. 1. Quidam diſtinguunt inter *Rem & Rei modum* & dicunt Apoſtolum non ſimpliciter improbare, quod Corinthii controverſias referrent ad Magiſtratum Ethnicum, ſed improbare perverſum illum modum diſceptandi coram infideli magiſtratu, videlicet magna cum exacerbatione & multorum offenſione.

2. Nos

2. Nos reſpond. Apoſtoli verba eſſe intelligenda non *in ſenſu abſoluto & diviſo*, quaſi in ſe & omni modo ſit illegitimum cauſas ſuas dijudicandas offerre Magiſtratui Ethnico, (etenim Apoſtolus diſertè præcipit *Rom.13.v.1.* ut omnis anima Magiſtratui ſit ſubjecta. Jam verò Magiſtratus Corinthiorum erat Ethnicus, quia Magiſtratus tum temporis non erat alius) ſed intelligenda ſunt *in ſenſu compoſito & limitato*, h. e. quod Frater cum fratre de iis rebus, quæ per arbitros Chriſtianos componi facilè potuiſſent & debuiſſent, litigaret, idqve ſub infidelibus. Non igitur diſceptationes coram infidelibus Magiſtratibus ſimpliciter improbat Apoſtolus, ſed modum talem coram illis diſceptandi à Corinthiis tum temporis freqventatum. Hûc referri poteſt Axioma vulgatum: à ſenſu compoſito & limitato ad ſenſum diviſum & abſolutum non valet conſeqventia.

§. 189. ANTILOGIA III.

GEn. 9. v. 2.* Sit timor veſter pavorqve ſuper cuncta animalia terræ. *Job. 39. v. 12.* Nunquid volet tibi Monoceros ſervire, aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid ad præceptum tuum demorabitur Aquila? *cap. 40. v. 20.* An extrahere poteris Leviathan hamo & fune lingvam ejus?

DUBIUM.

In loco priori Deus hominem conſtituit Dominum ſuper cuncta animalia terræ: At in loco poſteriori Jobus exertis verbis contrarium teſtatur, quod nempe Monoceros, Aquila & Leviathan imperium excutiant.

℞. In conciliatione horum locorum ad tria reſpicere nos oportet: 1. Diverſum hominis ſtatum. 2. Diſtinctum Dominii gradum. 3. Diverſum Dominii objectum.

1. Diverſus Hominis Status.

Status Hominis duplex hoc loco diſtingvendus eſt: nempe integritatis & corruptionis. *In ſtatu integritatis* ante lapſum dominium hominis in bruta animantia erat auguſtius: poſt lapſum eſt anguſtius, ante lapſum erat majus, poſt lapſum eſt minus: Ibi homo cuncta domare poterat, hîc verò pauca: Ibi erat dominium facile, hîc difficile: ibi animalia bruta homini ſerviebant ſpontè, hic verò coactè, unde patet, quod Dominium hominis in bruta animalia ante lapſum & poſt lapſum ſit idem genere; ſed non idem ſpecie & gradu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

2. *Diſtinctus Dominii gradus.*

Dominium in bruta animalia in genere duplex eſt: *abſolutum* & *limitatum*.

Abſolutum Dominium nulli homini unquam eſt conceſſum in bruta animantia, ſed ſolus Deus hoc ſibi ſervavit, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur Dominus univerſæ terræ, *Pſ. 24. v. 1.* Et hoc dominium aliàs dicitur Dominium directum.

Limitatum verò *Dominium* homini à Deo eſt conceſſum, illudqve tripliciter conſideratur: 1. *Reſpectu Fundamenti.* 2. *Reſpectu medii.* 3. *Reſpectu modi.*

I. *Reſpectu Fundamenti* duplex ejus eſt origo. Alia ante lapſum, & alia poſt lapſum. *Ante lapſum* homo dominium in bruta animantia accepit dono creationis: *poſt lapſum* verò ei reſtitutum eſt beneficio commiſerationis. Illius principium erat Dei bonitas: hujus Dei gratia & miſericordia, quâ DEUS ipſe dominium illud per lapſum protoplaſtorum amiſſum, poſt diluvium in Noah humano generi reſtituit, nempe ut illis imperaret, iisqve uteretur, frueretur ad neceſſitatem & utilitatem. Erat autem illa Dominii reſtitutio neceſſaria, ut ſcirent homines ſe viciſſim omnium animalium dominos conſtitui, nec deletum iri genus humanum ferociâ beſtiarum. Et pertinet hoc Dominium ſuper animalia ad œconomiam tùm propter hominis ab ipſorum impetu conſervationem, tùm propter uſum animalium in agricultura totaqve adeò hominis vita multiplicem.

II. *Reſpectu medii* Dominium eſt geminum: 1. ἡγεμονικὸν, quod adminiſtratur nutu & imperio, item arte & ingenio. 2. βιαστικὸν eſt, quod non tàm arte & ingenio quàm Marte & armis perficitur. Ante lapſum Dominium hominis in bruta animantia erat ἡγεμονικὸν & ſpontaneum, quia DEus cuncta animalia ad Adamum adduxit, qui cognitis eorum naturis convenientia unicuiqve nomina impoſuit, ſicut legitur *Geneſ. 2. v. 20.* poſt lapſum verò eſt non ſpontaneum, quam coactum & violentum.

III. *Reſpectu modi* dominium duplex eſt: corporale & ſpirituale. Circa *Dominium corporale* duplex diſtinctio eſt notanda. Primò dominium conſideratur quoad κτῆσιν ſive *poſſeſſionem*, & quoad χρῆσιν ſive *uſurpationem*, illud valde eſt imminutum multisqve difficultatibus refertum, ſicut ipſa experientia teſtatur. Secundò dominium illud tres gradus includit: 1. eſt dominium quoad *Frenum*, ſic bruta animantia homini ſunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

ni ſunt ſubjecta. DEus enim occultum quaſi hominis timorem & terrorem brutis animantibus inſculpſit, quo illa tanquam freno coercet, ne in homines impetum faciant, ſed ad conſpectum eorum reformident, inqve ſilvas & deſerta fugiant, ſicut de *Nebucadnezare* dicitur *Dan. 2. v. 38.* quod beſtias agri & volucres cœli dederit Dominus in poteſtatem ejus. Nullum enim eſt animal quantumvis ferox, cui non homo capiſtrum injiciat, confer Senecam *de beneſ. lib. 14. cap. 18.* Et de hoc Dominio loqvitur DEus *Gen. 9. v. 2.* ſit *timor & tremor* veſter ſuper cuncta animalia terræ. Quibus verbis DEus omnia animalia homini ſubjicit, eaqve tacito ſenſu percellit. Etenim nomina Ebræa מוֹרָא *Timor* & חִתַּת *Tremor* non *paſſivè* ſunt intelligenda, quaſi bruta animantia homini timorem & tremorem incutere debeant, ſed *activè*, nempe quod hominis aſpectus brutis animantibus timorem incutere debeat; quaſi DEus dicat: indam omnibus animantibus timorem & tremorem veſtri, h. e. ut vos timeant & metuant, neqve impetum in vos faciant & vos lædant, ſed ut obſeqvium vobis præſtent, Luth. reddidit: Euer Furcht und Schrecken ſey über alle Thiere auff Erden. 2. Eſt dominium quoad *Eſum*, h. e. DEus omnia animalia dedit homini ad eſum, quæ nutrimento hominis conveniunt, ut ſunt animalia munda, de quibus vid. *Lev. 11. v. 2. ſqq.* & de hiſce in textu h. l. inqvit Moſes *v. 3.* Omne reptile, quicquid eſt vivens, vobis erit in eſcam ſicut germen herbæ dedi vobis omnia. 3. eſt dominium quoad *Uſum*, ſic nullum ferè eſt animal, ex quo homo utilitatem capere non poſſet. Sunt beſtiæ feræ, ſunt domeſticæ, nulla tamen ex iis eſt, quam non homo ſua induſtria in ſuum uſum convertat, & ad priorem obedientiam, ad quam initiô à DEO fuerant conditæ, quodammodo eam revocet, non ſecus ac ſervum fugitivum herus etiam reluctantem reducit.

3. Diverſum Dominii Objectum.

Animantia ſunt duplicia: manſueta & ferocia; in utraqve homo dominium obtinet. *Manſueta* ſive domeſtica quod attinet, in ea habet homo Dominium pacatum. Nequaquam enim illa nobis miniſteria obirent, niſi vox Dei inſtar repaguli freniqve illa coërceret, & lex eſſet non tabulis, ſed naturæ inſculpta, ſicut pulchrè loqvitur *Baſilius*. Similiter animalia ferocia, quæ vulgò feræ vocantur, imperio hominis ſubſunt. Licèt enim illæ feritate & grandi robore homini ſint formidabiles, attamen retia & arma hominum exhorreſcunt. Leones enim, Urſi, Cameli, Elephanti ab hominibus capiuntur venatione.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Venatio ergò arguit dominium. Idem quoqve ex eo conſtat, quod Leones, Urſos, Tigros, Pantheras hominum ſagacitas domare docuit. Similiter *Monſtra marina*, utpote grandia cœte, licet difficulter capiantur & interficiantur, attamen DEI ſingulari diſpenſatione & beneficio capi poſſe, *Pſal.74.v.14.15.* teſtatur, cùm ait: Tu coërces potentiâ tuâ mare, tu confringis capita ſerpentum ſuper undas, tu concutis capita Leviathan, & tradis ea in eſcam populi, qui deſertum incolit. Hanc Dei providentiam in cœtorum captura impleri nautæ uno ore teſtantur. *Baſilius* quoqve *Orat.10.* hexaëmeri de hominis principatu ſcribit, quo pacto balenas ſoleant capere, nempe hamis mirâ arte paratis.

OBJECTIO.

Atqui non rarò fieri videmus, quod animalia tùm terreſtria, tùm aërea, tùm aquatica hominis imperium excutiant. Nonne enim Leones, Urſi, Lupi, Tygrides in homines ſæpe ſæviunt totasqve urbes & populos affligunt? Quo modo Deus beſtiarum violentiam Judæis ſe immiſſurum minatur, *Levit.26.v.22. Deut.28.v.26.* Sic Samaritanos vaſtarunt Leones, uti *2.Reg.17.v.25.26.* memorabilis hæc hiſtoria copioſè deſcribitur. Quid? quod etiam minuta contemptaqve animalcula integris populis ſæpè funeſtum exitium intulerint, uti ex hiſtoriis tùm ſacris tùm profanis patet. Nam ranis, cymicibus & pediculis in Ægypto graviter afflixit DEUS Pharaonem cum ſubditis, *Exod 8.* Crabronibus in Palæſtina duos Reges cum ſubditis ejectos regionibus ſuis teſtatur *Joſua cap.24.v.12.* Similiter *Plinius lib.8.cap.29.* refert, quo pacto per Theſſaliam, Italiam, Galliam cuniculi, mures, ranæ, talpæ, ſerpentes, ſcorpiones urbibus exitio fuerint. Quare bruta animalia potiùs hominibus ſunt terrori & timori, non contra.

℞. Diſtingvendum eſt inter Regulam & exceptionem à Regula. *Regula* DEI eſt: ſit timor & tremor hominum ſuper bruta animantia. At quando rerum invertitur ordo, eſt *exceptio à Regula*, quæ Regulæ non eſt adverſa, licet ab ea ſit diverſa. Nam bruta animantia quando in homines ſæviunt, non fit hoc ipſum propterea, quod illis in nos ſit imperium, ſed alias ob cauſas, quæ tres recenſeri poſſunt.

1. Eſt *μνημονευτικὴ*, h. e. *memorialis*, nempe ut recordemur lapſus protoplaſtorum noſtrorum, quem Dominium illud magnâ ex parte amiſſum eſt, ut ſæpe homines magis formident animalia, quàm animalia homines.

2. Δικαστικὴ, h. e. *judicialis*. Non enim mirum eſt, quod interdum bruta animantia fiant refractaria & adverſus nos inſurgant, cum nos inſurga-

inſurgamus contra Deum. Deus igitur, ut oſtendat ſe ſupremum eſſe mundi Dominum & judicem ſeveriſſimum, immitit in nos bruta animantia, quæ parere creatori ſuo & exequi juſſa ejus ſunt paratiſſima. Vid. *Exod. 28. v. 16. ſeqq.* & *cap. 10. v. 14. Pſ. 78. v. 48.* Exempla in objectione propoſita idem monſtrant. Quare contumaciæ brutorum animantium cauſa non eſt Dominium ſublatum, ſed noſtrum peccatum, quo ad iram provocamus Deum, ut juſto judicio feras truculentas contra nos mittat: non ſecus atqve Servi in Dominum & ſubditi ſeditioſi in Regem ſuum juſto Dei judicio inſurgunt. Hinc *Ezech. 14. v. 21.* judicia Dei ſeveriſſima quatuor enumerantur, nempe Gladius, Fames, *Beſtiæ malæ* & Peſtilentia. Et *Jer. 15. v. 2. 3.* non modò eadem recitantur, ſed etiam tertii generis Species quædam ponuntur, videlicet canes, volatia cœli & beſtiæ terræ.

3. Eſt παραινετική, h. e. *monitoria.* In brutorum contumacia agnoſcamus noſtra peccata & tremendam Dei juſtitiam; in obedientia verò Dei gratiam & authoritatem nobis datam, atque ita vitam inſtituamus, ne in ſervitutem redigamur.

§. 190. Antilogia. IV.

Matth. 5. v. 34. Non jurate omninò &c.

Sed *1. Tim. 5. v. 21.* Paulus jurat: obteſtor coram Deo & electis Angelis &c.

℞. Diſtinguendum inter juramenta *licita & illicita.* Juramenta vana de rebus vanis & profanis ſunt *illicita* & prohibita: quò etiam referuntur perjuria. *Licita* verò ſunt, quando id requirit Dei gloria, exigit ſalus proximi, Magiſtratus mandat, & officii atque vocationis neceſſitas efflagitat. Et ſic licitum fuit Paulo jurare. Certum eſt ex analogia fidei juramenta ipſa non eſſe prohibita. Vid. *Deut. 5. v. 11.* Ergo quia l.c. *Matth. 5.* Chriſtus reformationem doctrinæ Phariſaicæ inſtituit, procul dubio duntaxat abuſum juramentorum à Phariſæis introductum taxavit; Legem enim veterem non abolebat, ut dicitur *v. 17. & 18.* ergò tantùm corruptionem Legis. Lex autem de juramentis corrupta erat 1. quia jurabant ſuper re levi & in ſermone familiari. 2. per creaturas, ut patet ex hoc loco &c. Ergò ἁπλῶς *omninò* non jurate, reſtrictè ſumendum eſt, ut ſæpè fit.

LOCUS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

LOCUS XXVI.

DE MORTE.

§. 191. ANTILOGIA I.

P*Sal. 118. v. 17.* Caſtigans caſtigavit me Dominus & morti non tradidit me.

1. Cor. 15. v. 31. Indies morior.

DUBIUM.

Regius Propheta David inquit: Deum pios quidem caſtigare, ſed morti eos non tradere. At Paulus Apoſtolus huic aſſertioni contradicit, quando dicit: Indies morior.

℞. I. Regius Propheta David in Pſalmo allegato inſignem Dei clementiam collaudat, quod ipſe quidem fidelibus ſuis nonnunquam crucem & calamitates immittat & permittat, ſed ut Pater benigniſſimus, non ut hoſtis infenſiſſimus aut judex ſeveriſſimus, idque ad caſtigationem, non ad mortem; q. d. quantumvis magnas perſecutiones & afflictiones paſſus ſim, & fortè iterum paſſurus ſim, non tamen morti me tradidit, h. e. in calamitatibus & anguſtiis reliquit, ſed è malo me liberavit, & ex ſchola crucis me reduxit in ſcholam lucis, ut opera Domini enarrare & celebrare queam.

II. Paulus *1. Cor. 15.* huic Davidis celebrationi non contrariatur, quando inqvit, ſe indies mori. Non intelligit mortem propriè ſic dictam, ſed mortis prodromos, h. e. varia eaqve gravia mala & pericula, quæ ille propter Evangelium de Chriſto perpeſſus eſt; ſicut ille prolixum calamitatum ſuarum catalogum recitat *2. Cor. 12. v. 10.* Mens ergò Pauli hæc eſt: Non ſolum ego quotidie propter confeſſionem Chriſti de vita mea periclitor, ſed morior, hoc eſt, tam graviter & acerbè divexor, ut quaſi indies moriar. Afflictiones & injuriæ, exilia Sanctorum ſunt quaſi totidem mortes. Pii ergò quotidie moriuntur, quando mortiferos ſuſtinent ictus Diaboli & mundi. Hanc eſſe Pauli mortem evidenter ex *2. Cor. 11. v. 21. & ſeq.* patet.

OBJECTIO.

At dicat aliquis. Si Paulus Apoſtolus indies eſt mortuus, quomodo dici poterit, quod morti non ſit traditus, id quod tamen Propheta negat Regius.

℞. Mors in Scriptura ſacra ſignificat 1. mortis προηγούμενα, calamitates, morbi, injuriæ &c. 2. Mortis συνεχόμενα, diſſolutio animæ.

3. Mortis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

3. mortis παρεπόμενα, Status mortis. Pii ſuſtinent in hac vita varias calamitates & miſerias, tandem etiam mortem ipſam, non tamen à Deo morti traduntur, h. e. in calamitatibus & ſtatu mortis relinquuntur, ſed ex omnibus malis rurſus educuntur.

§. 192. ANTILOGIA II.

PSal. 34. v. 21. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum (juſtorum) unum ex iis non frangetur.

Gen. 4. v. 8. Inſurrexit Cain contra Abel & occidit eum.

DUBIUM.

Juſtis promittit Deus *Pſal. 34.* quod omnia eorum oſſa ita velit cuſtodire, ut ne unum quidem ex illis frangi debeat. Jam verò notum eſt ex Scriptura *Ebr. 11. v. 4.* quod Abel fuerit juſtus, & tamen ab impio Fratre ſuo Caino fuit occiſus. Quomodo ergò hic caſus cum Dei promiſſione conciliari poterit? Baſil. Hieron. Auguſt. Beda, Caſſiod. quærunt, quomodo verum ſit, quod juſtorum oſſa non confringantur, cum Latronis, qui pœnitentiam egit, crura non minùs confracta ſint, quàm alterius impii latronis, *Joh. 19. v. 32.* & cum Martyrum oſſa in cineres redigantur?

℞. I. Prædicti hi Patres allegoricè hunc locum exponunt de *oſſibus interioribus*, de fortitudine animi, quæ in Sanctorum maximis perſecutionibus, Domino cuſtodiente, non deficit.

II. Verùm ad allegorias recurrendum non eſt, niſi neceſſitas flagitet. Nos ergò ita reſpondemus: Dictum hoc διττῶς exponi poterit: 1. *de Chriſto* Eccleſiæ capite. In antecedentibus dicitur v. 19. juſtum plurima pati. At quis eſt juſtus ille niſi Chriſtus, *Eſ. 53. v. 11.* in cujus ore non eſt inventus dolus, *1. Petr. 2. v. 22.* 2. De piis *Chriſti membris*. In Chriſto impletum eſt κατὰ τὸ ῥητὸν, h. e. quoad literam. Quia ipſi os in cruce fractum non eſt, quod præfiguratum fuit in agno paſchali, *Exod. 12. v. 9. Joh. 19. v. 36.* Si verò hic locus accipiatur de *membris Chriſti*, tum triplici reſpectu dici poteſt.

1. Ἀιτιολογικῶς, reſp. *Principii ſummi*, h. e. Dei, quia ſine paterna Dei voluntate frangi non poſſunt, quippe omnes capilli capitis noſtri ſunt numerati, & ne unus quidem ſine Dei voluntate in terram cadit.

2. Χρονικῶς, *ratione temporis*. Sic juſtorum oſſa non franguntur ante tempus à Deo conſtitutum, licèt impii indeſinenter clament: Torquea-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

mus ipſum, *Sap. 2. v. 19.* quandoquidem omnes dies vitæ noſtræ in libro Dei ſunt conſignati, *Pſ. 139. v. 15.* Sic legimus in Hiſtoria Evangelica, quod Judæi Chriſto aliquoties voluerint manus injicere, ſed additur: Non verò poterant, quia nondum venerat hora ejus, ſcilicet à Deo deſtinata.

3. Τελικῶς, h. e. *finaliter.* Juſtorum oſſa non frangentur ſcil. ut pereant, ſiquidem Deus illa collecturus eſt in extremo die & carne veſtiturus, uti viſio Ezechielis indicat *Ezech. 37. v. 6.* Unde rectè inquit Arnobius: Ipſe Deus in Sepulchro cuſtodit omnia oſſa juſtorum, & ita reſervat reſurrectioni, ut unum ex iis non patiatur perire in reſurrectionis die. Unde ipſe Chriſtus, dicit, inquit *Luc. 21. v. 18.* Capillus de capite veſtro non peribit. Nam rectè dicitur, non confractum, quod ſtatim per reſurrectionem integrum & fortius & pulchrius repræſentatur. Planè ſicut Chriſtus de puella mortua, ſed mox à ſe reſuſcitanda dicebat: Puella non eſt mortua, ſed dormit.

OBJECTIO.

At huic reſponſioni ipſa experientia videtur reclamare: Multorum enim Martyrum & Piorum oſſa & membra omnia diſſipantur, & vel à feris devorantur, vel in mare projiciuntur, vel ab igne conſumuntur inqve favillas rediguntur: Quomodo ergò dici poterit, Juſtorum oſſa non frangi?

Pii Martyres dupliciter conſiderantur in *oculis* hominum & in *conſpectu Dei.* Licèt in *oculis* hominum miſerrimè diſcerpentur & diſſipentur, omniaqve oſſa eorum igni comburantur, & in favillas redigantur, ita ut ſi rationis judicium conſulatur, impoſſibile videatur iſtos cineres viciſſim colligi, & in integrum reſtitui poſſe: attamen in *conſpectu Dei* fracta ſunt, DEus in ſinu providentiæ ſuæ omnia oſſicula, omnes membranulas omniaqve membra ita cuſtodit, ut nullum perire poſſit. Quin potiùs in extremo die, qui eſt dies reſtitutionis omnium, *Act. 3. v. 21.* & quæ fuerunt infirma, corruptibilia, & cum defectu conjuncta, reddet nobis glorioſa, ſpiritualia & perfecta, quod eleganter Ap. Paulus *1. Cor. 15. v. 36.* declarat exemplo ex natura petito de grano &c.

§. 193. ANTILOGIA II.

IN Vet. Teſtam. Elias mortem optabat, dicens: Sufficit Domine, tolle animam meam, *1. Reg. 19. v. 4.* Similiter Jonas *cap. 4. v. 8.*

In No-

In Novo Teſtamento Paulus dicit *Phil.1.v.23.* cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

DUBIUM.

1. Exempla Eliæ & Jonæ in Vet. Teſt. mortem ſibi optantium improbantur: Pauli verò in Nov. Teſt. à piis omnibus approbatur. Quænam hujus diverſitatis ratio?

2. Mortis deſiderium ferri videtur contra ipſum DEum, qui vitæ longævitatem inter benedictiones ſuas, *Gen.5.v.44. Exod.20.v.12.Eph.6. v.2.* dies verò abbreviationis inter pœnas peccati poſuit, *Pſal. 55. v. 24.* & *Pſ. 109. v. 8.*

3. Deſiderium mortis vergere videtur contra ipſum inſtinctum legemqve naturæ. Mors enim eſt deſtructio naturæ. At natura à deſtructione ſui abhorret.

℞. Mors conſideratur 1. φυσικῶς, ſic omnis homo atqve etiam Chriſtus naturaliter mortem refugit. Vid. Bald. *2. Cor. p. 236.* 2. σαρκικῶς, quando appetitur ex impatientia, tanqvam terminus laborum & onerum hujus vitæ. Sic deſiderium eſt illaudabile. 3. πνευματικῶς, quando appetitur ex pio deſiderio, tanquam tranſitus in vitam æternam. Sic deſiderium mortis eſt laudabile. Vid. *Joh.5.v.24.*

LOCUS XXVII.

DE

MUNDI CONSUMMATIONE ET MORTUORUM RESURRECTIONE.

§.194. ANTILOGIA I.

JOh.5.v.28. Veniet hora, in qua OMNES, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

Act.24.v.15. Spem habemus in DEum, & exſpectamus reſurrectionem Juſtorum & iniquorum.

Pſ.1.v.5. Impii non reſurgent in judicio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Dubium.

In 1. & 2. Loco diſertè reſurrectio impiorum affirmatur, ſed in tertio negatur.

℞. I. Ex *Pſal. 1.* Quidam probare conati ſunt impios in extremo judicio non reſurgere à mortuis. Sed reſurrectio omnium hominum univerſalis in manifeſtis Scripturis eſt fundata, *Dan. 12. v. 2. Matth. 25. v. 32. Joh. 5. v. 28. Act. 25. v. 15. 1. Cor. 15. v. 22.*

2. In hoc Loco eſt vitium ἑρμηνείας commiſſum. Nam vulgatus interpres reddidit: Impii non reſurgent, pro: non *conſiſtent* vel non *ſtabunt*. In Ebr. eſt vox יָקֻמוּ quod ſignificat, non ſtabunt vel conſiſtent, à radice קוּם vel קָם ſtetit, ſtabilis fuit. Targ. יִזְכּוּ juſtificabuntur, Luth. die Gottloſen bleiben nicht im Gericht. Senſus eſt: impii in extremo judicio non poſſunt ſtare, ſuamqve Deo cauſam probare & juſtas factorum rationes reddere, propterea æternùm damnandi. Quæ ipſa impiorum pœna neceſſariò eorum reſurrectionem præſupponit. Vid. *Matth. 25. v. 32. 41.* & *Sapient. 5. v. 1.* &c.

REGULA.

Verbum ſtare, quando in Script. ſac. *ſignificationem forenſem* habet, tum de judicandis uſurpatur. Nam ad judiciorum formam atqve ordinem pertinet, quando judex coram tribunali ſedet, & coram eo ſtant illi, qui vel rationem requiſiti reddunt, vel ſententiam exſpectant, *Exod. 18. v. 13.* ſedit Moſes, ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moſi à mane uſqve ad veſperam. Quid autem ſit *aſſiſtere Judici*, poſtea Moſes *v. 15.* explicavit: venit ad me populus ſententiam quærens, *Dan. 7. v. 10.* millia millium aſſiſtebant, & adminiſtrabant ei. Subjungitur: judicium (judex cum judicii forma) ſedit, & aperti ſunt libri. Quare de impiis, qui propter ſcelera conſcientiam non audebant prodire ante Tribunal, vel perfracti ante illud (*Matth. 25. v. 32.*) non ſtabunt, ſed cauſa cadent, dicitur *Pſ. 1.* Impii non ſtabunt in judicio.

II. Quia impii & peccatores in hac vita inſtituunt concilia, in quibus agitant conſilia adverſus DEum & Miniſtros ejus. Ideo viciſſim DEus poſt hanc vitam inſtituet מִשְׁפָּט h. e. judicium univerſale, in quo omnes Electi & Reprobi congregabuntur, ſed illi abſolventur, hi verò condemnati cauſa cadent, atqve ita in judicio non ſtabunt, h. e. conſiſtent.

III. Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

III. Hîc notandum, quod מִשְׁפָּט à radice שָׁפַט judicavit Hebræis dicatur tam de anima, quàm de corpore, activè & paſſivè. *Judicium animæ activè* ſunt boni mores, obſervantia legum, innocentia vitæ & ſimilia; *corporis* item boni mores, habitus honeſtus tàm in veſtitu, quàm in geſtu &c. *Judicium* horum *paſſivum* eſt cum vel abſolvuntur vel damnantur & pœnas dant, illud dicitur judicium abſolutionis, hoc verò condemnationis. Et hujus reſpectu impii in conſpectu condemnationis non ſtabunt vel conſiſtent; quia in viis Domini, quæ *Miſchpath*, h. e. judicium DEI dicuntur, *Deuter. 32. v. 4.* non ambularunt & juſtitiam non fecerunt, *Pſalm. 119. v. 121.* non operati ſunt DEI judicium *Sophon. 2. v. 3.*

LOCUS XXVIII.
DE
ADVENTU FILII DEI AD JUDICIUM.

§. 195. ANTILOGIA.

JOh. 8. v. 15. Chriſtus inquit de ſe ipſo: Ego non judico quenquam. *Act. 10. v. 42.* dicitur, quod Chriſtus à DEO ſit conſtitutus Judex vivorum & mortuorum.

℟. I. Quidam Theologi diſtinguunt inter *Adventum Chriſti primum & ultimum*, dicentes, Chriſtum in verbis allegatis non loqvi de Adventu ſuo ultimo, de quo Scriptura affirmat, quod venturus ſit judicare omnes homines, *Matth. 25. v. 32. 2. Tim. 4. v. 1.* ſed de Adventu ſuo primo, de quo inquit *Joh. 3. v. 17.* Non miſit DEus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, & *Joh. 12. v. 47.* Non veni, ut judicem mundum, ſed ut ſervem eum. Senſus igitur eſt: O Phariſæi, poſſem vos ob veſtram hypocriſin, ſuperbiam & incredulitatem judicare & condemnare; ſed amicè vos tracto, & blandè vos erudio atqve ſalutem veſtram unicè quæro.

II. Sed ſimpliciſſima eſt reſponſio: Si dicamus hæc verba Chriſti intelligenda eſſe *non in ſenſu abſoluto:* Quia ex iis, quæ dicta ſunt, conſtat, quod Chriſtus à DEO conſtitutus ſit Judex mortuorum & vivorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Unde *Joh. 5. v. 22.* inquit Chriſtus : Pater omne Judicium dedit Filio. Verùm *in ſenſu comparativo.* Quod ut meliùs intelligatur, diſtingvendum eſt inter *Judicium carnale & ſpirituale.* In *v. 15.* loquitur Chriſtus de *Judicio carnali,* quando inquit : Ego non judico quenquam. Nam immediatè præcedunt hæc verba: Vos ſecundum carnem judicatis; nempe de me & meo officio, h. e. temerè & ſecundum rationis veſtræ judicium, & juxta oculorum aſpectum; ego verò non judico ita temerè, ùt vos facitis. At in *verſ. 16.* loqvitur *de Judicio ſpirituali*, quando inquit: Quod ſi etiam judicem Ego, Judicium meum verum eſt, h. e. Ego verum teſtimonium de me ipſo perhibeo. Quia Ego non ſum ſolus, h. e. merus & nudus homo, ſicut vos Phariſæi putatis; ſed Ego &, qui miſit me, Pater. Quia verò Lex veſtra jubet duobus teſtibus credere, ℣. 17. Et Ego non ſolus de me teſtor, ſed Ego & Pater meus, qui mecum eſt, de me teſtatur, utiqve judicio atqve teſtimonio meo credere debetis.

III. Notandum quoque eſt, quod Chriſtus hoc Loco non loquatur de *Judicio ſuo in Regno Gloriæ*, quod aliàs univerſale & noviſſimum vocatur, ſed de *Judicio*, quod de ſe ipſo, ſuoqve officio & doctrina fert in *Regno Gratiæ*, de quo h. l. non eſt ſermo. Vide Locum III. de Trinitate §. 80. Antilog. X.

LOCUS XXIX.
DE
VITA ÆTERNA.
§. 196. ANTILOGIA.

1. C*Or. 13. v. 12.* Cernimus nunc per Speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

1. Cor. 13. v. 8. Scientia abolebitur.

DUBIUM.

Si Deum à facie ad faciem viſuri in altera Vita, eumque non ex parte, ſed perfectè cognituri ſumus: Quomodo ſtabit illud, quod ſuperius v. 8. dixit Apoſtolus, ſcientia abolebitur. Si ſcientia, quæ γνῶσις ibidem vocatur, abolenda eſt, quomodo Deum cognoſcere poterimus?

℟. 1. Qui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

℞. I. Quidam exiſtimant Apoſtolum hìc non generatim de ſcientia loqui, quod ea ſit abolenda, ſiquidem verba Apoſtoli (charitas non excidit, ſive Prophetiæ abolebuntur, ſive lingvæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur) non categoricè, ſed hypotheticè accipienda. Vult ſcilicet Apoſtolus charitatem præ omnibus aliis commendare, id etiam inter alia facit à duratione & perpetuitate, quod fit ad hunc modum: Charitas ejusmodi eſt virtus, ut nunquam ſit deſitura, ſi vel maximè omnia cætera pereant, ut prophetiæ, lingvæ & ſcientiæ. Hypothetica autem propoſitio nihil ponit in eſſe. Ergò ex verbis Apoſtoli evinci non poteſt ſcientiam abolendam eſſe. Verùm reſpondeo, quod errent illi, neſcientes Scripturam. Nam particula Græca εἴτε non tantùm reddi poteſt SIVE, uti obſcurè nimium Eraſmus reddidit, & Vulgata verſio legit, ſed etiam accipitur interdum pro καὶ, ET. Vid. *1. Cor. 15. v. 11. Col. 1. v. 20.*

II. Nos ergò ex mente Apoſtoli dicimus, quod tria illa, Prophetia, Linguæ & Scientia ceſſabunt, ſive nullius uſus erunt, quia hæc tria pertinent ad munus in Eccleſia docendi, per quæ illa colligitur, fovetur & obſervatur in hac vita. Jam verò in altera vita miniſterium docendi ceſſabit, uti patet ex *1. Cor. 15. v. 24.* & Filius Dei ſtatum Eccleſiæ laborioſum transformabit in triumphantem & glorioſum. Ergò ipſa χαρίσματα adeoque ipſa ſcientia ex Prophetarum ſive Doctorum inſtitutione hauſta ceſſabit.

Ubi tamen accuratè diſtinguendum 1. inter *Scientiæ habitum*, hic permanebit in futura vita; Quia diſertè hoc loco Apoſtolus dicit, quod Deum cognituri ſimus καθὼς καὶ ἐπιγνωσθήσομεν, ſicut cogniti, h. e. docti fuerimus. Hic per idiotiſmum Ebraicum verbum ἐπιγνώσθην pro ἐδιδάχθην accipitur. 2. diſting. inter Scientiæ modum, quia alius erit tum qualitate quia erit ſine termino & fine. (1.) *Originaliter.* Scientia in hac vita acquiritur ἐμμέσως, per media ordinata, ſiquidem in docendo & diſcendo conſiſtit: in altera vita eam poſſidemus ἀμέσως, quia Deus ſine medio nos erudiet, omnes enim erimus perfecti θεοδίδακτοι, quia Dei adſpectu fruemur. (2.) *Gradualiter.* Scientia in hac vita ab infimo ad ſummum perfectionis gradum ſubinde contendit, neque tamen unquam ad ſummum perfectionis faſtigium pertingit: In futura autem vita ſcientia erit perfectiſſima. Hinc Apoſtolus inquit *v. 9. 10.* ex parte erit ex parte prophetamus, poſtquam autem advenerit, quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt, abolebitur; & poſtea v. 12. ſubjungit: Deum à facie ad faciem videbimus; Quibus verbis ſcientia perfecta indigetatur.

(3) *Fina-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

(3.) *Finaliter.* Scientia noſtra hac in vita habet finem, h. e. ultimam nunqàm aſſequetur perfectionem, ſed habebit finem, h. e. terminum. Quia καταργηθήσεται abolebitur: ſed in vita futura habebit finem, h. e. ultimam aſſequetur perfectionem creaturis debitam, ſed non habebit finem, h. e. terminum, quia nunquam ceſſabit, ſed ſine fine durabit & in omnem æternitatem permanebit. Unde patet, quod ſcientia in futura Vita permanſura ſit, ſed ſucceſſivæ ſcientiæ habitus, h. e. manca & imperfecta cognitio in illa æternitatis luce locum nullum habebit.

Soli Sapienti Deo ſit honor & gloria in ſeculorum ſecula Amen.

1. Tim. 1. v. 17.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

INDEX PRIOR
LOCORUM THEOLOGICORUM,
qui in hoc Libro continentur.

LOcus I. de Scriptura ſacra §. 1
Locus II. de Deo Uno §. 40
Locus III. de Trinitate §. 67
Locus IV. de DEO Patre & Filio §. 88
Locus V. de Spiritu ſancto §. 91
Locus VI. de Decretis Dei in genere, & in ſpecie de univerſali Gratia Dei, merito Chriſti, & vocatione Spiritus ſancti §. 100
Locus VII. de Prædeſtinatione & Reprobatione §. 113
Locus VIII. de Creatione §. 124
Locus IX. de Angelis §. 133
Locus X. de Homine ad Imaginem Dei condito §. 138
Locus XI. de Providentia Dei §. 142
Locus XII. de Peccato §. 144
Locus XIII. de Servo Hominis arbitrio §. 149
Locus XIV. de Chriſto Mediatore §. 153
Locus XV. de Vetere & Novo Teſtamento §. 161
Locus XVI. de Lege §. 164
Locus XVII. de Evangelio §. 166
Locus XVIII. de Pœnitentia §. 168
Locus XIX. de Baptiſmo §. 169
Locus XX. de Cœna Domini §. 170
Locus XXI. de Juſtificatione §. 171
Locus XXII. de bonis Operibus §. 173
Locus XXIII. de Eccleſia §. 180
Locus XXIV. de Eccleſiæ Miniſtris §. 182
Locus XXV. de Magiſtratu & Subditis §. 187
Locus XXVI. de Morte §. 191
Locus XXVII. de Mundi Conſummatione & Mortuorum reſurrectione §. 194
Locus XXVIII. de Adventu Filii Dei ad judicium §. 195
Locus XXIX. de Vita æterna §. 196

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

INDEX ALTER
Dictorum Scripturæ ſacræ in ſpeciem pugnantium.

I. *Ex Vet. Teſtamento.*

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
	GENESIS.	
I.	1.	165.173.206
	2.	109
	5.	166
	16.	177
	26.	76. 171
	27.	190
	28.	48
	31.	169. 175
II.	15.	189
III.	9.	41
	13.	189
	22.	193
IV.	8.	251
VI.	6.	56
VIII.	22.	172
IX.	2.	245
	EXODUS.	
IV.	10.	13
IX.	16.	198
XII.	6.7.	216
XX.	1.	219
XXII.	8. 9.	244
XXIV.	8.	28
XXIX.	36.	219
	37.	218
	LEVITICUS.	
XVI.	7.	209
	NUMERI.	
I.	2.	19
XII.	6.	34
XXIV.	2.	1
	DEUTERONOM.	
VII.	10.	66. 68
XVIII.	10.	221
XXXII.	4.	19
	I. SAM. (*1. Reg.*)	
I.	30.	60
XV.	24.	56
XXI.	12.	16
	II. SAM. (*2. Reg.*)	
XII.	9.	197
XXIV.	9.	19
	I. REG. (*3. Reg.*)	
VIII.	27.	102
	61.	127
XIX.	4.	252
XXII.	19.	184
	II. PARAL.	
XXVI.	16.	218
	JOBUS.	
VII.	19.	199
IX.	13.	180
XI.	8.	102
	17.	72
XIV.	5.	196
XXXIX.	12.	245
	PSALM.	
I.	5.	253
VI.	1.	53
XXXIII.	6.	171
	11.	129

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
XXXIV.	--	16
	21.	251
XL.	7.	206
LI.	6.	197
LV.	24.	196
LXX.	19.	76
XCVII.	6.	72
CIII.	1.	48
CIV.	4.	178
CX.	27.	216
CXV.	3.	133
CXVI.	11.	204
CXVIII.	17.	250
CXXI.	1.	231
CXXIII.	1.	ibid.
	2.	ibid.
CXXXIV.	7.	40
	PROVERB.	
XV.	3.	41
XVI.	4.	169
XXVI.	4.5.	234
	ECCLES.	
V.	6.	34
IX.	1.	159
	7.	ibid.
	JESAIAS.	
XL.	17.	193
XLV.	23.	25
LIII.	4.	137
	7.	214
	11.	229
LXI.	1.	123
LXIII.	8.	178
LXV.	1.	203
	12.	133
	JEREM.	
X.	23.	202

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
XVIII.	10.	161
	DANIEL.	
IV.	31.	32
IX.	18.	224
	JONAS.	
IV.	8.	252
	11.	234
	ZACHAR.	
XII.	10.	25
XIV.	6. 7.	172
	MALACH.	
III.	1.	37
	6.	19. 44
	SAPIENT.	
II.	23	193
XI.	25.	195
XII.	18.	53
	ECCLES.	
XV.	14.	201
XVIII.	1.	168
XLIII.	2.	166
	II. *Ex Nov. Teſtam.*	
	MATTHAEUS.	
I.	21.	134
	25.	213
III.	8.	224
	11.	225
V.	2.	96
	16.	232
	34.	249
VI.	1.	232
	9.	102
	10.	44
VII.	7.	203
	23.	72
VIII.	11.	152

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Cap.	Verſ.	Pag.
VIII.	16.17.	137
	20.	213
IX.	1.	ibid.
	6.	210
X.	10.	239
XI.	10.	37.178
	28.	201
XV.	24.	138
XVIII.	10.	184.185
XIX.	4.	173
XX.	16.	148
	22.	150
XXII.	14.	151
XXVI.	27.	227
	28.	144
	34.	221
XXVIII.	19.	76.114
	MARCUS.	
I.	1.	223
VI.	8.	239
X.	6.	173
XVI.	15.16.	146
	LUCAS.	
I.	70.	1
IV.	18.	123
V.	5.	232
VI.	30.	230
XXIV.	7.	30
	JOHANNES.	
I.	1.	87
	2.	81
	9.	138
	18.	91
	29.	209
III.	16.	134
V.	22.	99
	28.	253

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	39.	155
	44.	201
VII.	16.	204
	39.	109
VIII.	15.	255
	15.50.	99
	44.	187
	56.	218
X.	30.	79.106
XIV.	9.	91
	10.	87
	16.26.	119
XV.	6.	201
	25.	123
XVI.	7.	ibid.
	23.24.	231
XVII.	3.	164.229
	10.	83
	12.	155.157
	17.	19
	22.	106
XVIII.	21.	210
	23.	214
XX.	22.	125
XXI.	25.	7
	ACTA.	
I.	1.	7
	5.	126
VII.	22.	13
IX.	17.	242
X.	34.	60
	42	255
XIII.	2.	242
XIV.	15.	202
XV.	18.	127
XIX.	2.	114
XX.	27.	131

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Cap.	Verſ.	Pag.
XX.	28.	144
XXIV.	15.	253
	ROM.	
I.	3.	210
	16.	221
	17.32.	72
	18.	53
	23.	44
	25.	203.204
II.	11.	60
	13.	233
III.	4.	204
	13.	28
	20.	233
	28.	ibid.
IV.	3.	218
V.	20.	148
VIII.	1.	196
	20.	175
	20.22.	185
	26.	116
	30.	150
	39.	163
IX.	3.	164
	13.	195
	17.	198
	22.	68
X.	15.	239
	19.	238
	20.	203
XI.	13.	238
	29.	161
	32.	132
XIII.	1.	243
	11.	218
XV.	13.	120

Cap.	Verſ.	Pag.
	I. CORINTH.	
I.	26.27.	151.ſq.
II.	15.	240
III.	15.	221
VI.	7.	244
XII.	4.	112
XIII.	8.	256
	12.	ibid.
XIV.	32.	240
XV.	8.9.	242
	31.	250
	45.	193
	47.	190.193
	II. CORINTH.	
V.	19.	144
VIII.	14.	230
XII.	2.	165
XIII.	13.	76.116.
	GALAT.	
I.	1.	242
	2.	210
	8.9.	30
III.	2.	125
	8.	223
	22.	132
IV.	6.	125
V.	4.	161
	EPHES.	
II.	11.	238
	20.	236
IV.	5.	225
	PHILIP.	
I.	16.17.18.	239
	23.	253
	COLLOS.	
I.	15.	81
III.	1.	227

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Cap.	Verſ.	Pag.
	I. THES.	
I.	8.	12
III.	10.	ibid.
V.	9.	157.198.199
	I. TIMOTH.	
II.	6.	144
III.	15.	236
IV.	10.	141
	12.	242
V.	8.	230
	21.	249
VI.	16.	97
	II. TIMOTH.	
I.	9. 10.	131
II.	19.	71. 153
III.	16.	31
	TIT.	
II.	15.	242
	HEBR.	
I.	1.	25
	3.	79. 84. 209
	14.	180. 184
II.	2.	220
	10.	141
IV.	13.	129
VI.	12.	228
IX.	14.	209
	19.	28
X.	9.	97
XI.	1.	229
	13.	228
	39.	ibid.
XIII.	10.	219
	18.	218
	I. PET.	
I.	5. 9.	153
II.	7. 8.	147
	13.	243
III.	15. 16.	210
	II. PET.	
I.	10.	153
	21.	31
II.	4.	187
	7. 8.	147
III.	9.	66
	I. JOHAN.	
I.	8.	196
II.	1.	119
III.	2.	76
	14.	159
V.	20.	104
	APOCAL.	
I.	4.	112
III.	16. 17.	96
XIII.	8.	71
XX.	12.	ibid.
XXII.	18.	30

Pag. 229 228 ibid. 219 218 153 147 243 210 153 31 187 147 66 196 119 76 159 104 112 96 71 ibid. 30

N-

INDEX TERTIUS,

Rerum præcipuarum materiam demonſtrans, & quidem ſecundum Ordinem Literarum Alphabeti.

A.

Aronis unctio typus fuit Chriſti unctionis 124

Abimelech vocabantur olim omnes Reges gentium alienigen. 18

Origo hujus appellationis gemina ibid.

Abortivum ſe vocat Apoſt. Paulus duplici ratione 242

Abrahæ ſemen quotuplex 21. 22

Abundare quomodo dicatur gratia Patris & meritum Chriſti ſuper delictum 148

Acta Chriſti ſunt duplicia 7

Adam primus & ſecundus differunt 191

mortalem fuiſſe primum hominem erravit Socinus 192

ubi es? quâ ratione Deus ſic dixerit 41

non eſt interrogatio, ſed increpatio 42

explicatio quorundam Patrum ſuper hanc quæſt. ibid.

Adventus Chriſti duplex 255

Ægyptiorum Regum nomina 17

Æqualitas & ſimilitudo differunt 193

Afflictiones Chriſtianorum ſunt quaſi mortes 250

Agnus Dei dicitur Chriſtus duplici modo 209

Albanorum Regum nomina 17

Altare V. T. erat Typus Chriſti 219

fuit immundum adeoq; expiandum triplici reſpectu ib.

inprimis duplex fuit 218

Amittere gratiam Dei penitus duplici modo fieri poteſt 163

Anathema fieri à Chriſto quid ſignificet 164

Angeli miſſio tribuitur Deo Patri & Filio 37

an etiam ſecundum humanam Chriſti naturam fieri poſſit ibid.

Animantia ſunt duplicia 247

ſævire dicuntur in homines tribus de cauſis 248

Angeli vox dupliciter accipitur 178

unde deſcendat ibid.

uſurpatur quoqve de Filio Dei 179

de ſpiritibus creatis conſiderata eſt nomen officii & eſſentiæ ibid.

miniſtrant partim Deo, partim Chriſto, partim hominibus 180

DEO inſervire dicuntur duplici modo 180. 181

in foro ſoli miniſtrant partim ut legati, partim ut milites, partim ut vindices 181

CHRISTO

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

CHRISTO *quando & quotupliciter his in terris inſervierint* 181. 182

HOMINIBUS *miniſteria præſtant duobus modis* 182
in omni vitæ ſtatu id faciunt, Eccleſiaſtico, Politico & Oeconomico ibid.
quando orbem portare dicuntur quomodo intelligendum 183
ſunt vel boni vel mali 186
boni conſiderantur dupliciter ibid.
à dextris & ſiniſtris Deo aſtant 184
quomodo vanitati ſubjectos eſſe poſſint 186
qua ratione ingemiſcant & condoleant 187

Apoſtoli tripliciter in Scripturis conſiderantur 126
Arbitrium hominis liberum duplici modo deſcribitur 201
Arrha quale ſignum 122
Spiritus S. ſic appellatur ib.
Athenienſium Regum nomina 19
Aves à nonnullis Dei internuncii vel ſatellites ſunt dicti 221
Autoritas Scripturæ S. à quo dependeat 15

B.

Baptiſma dicitur unum quadruplici ratione 225
Baptiſmus Chriſti quo anno factus 9
Johannis non Vet. ſed N. T. Sacramentum fuit 226
quibus de cauſis Johannis dicatur Baptiſmus ibid.
Baptiſtæ Montani Confeſſio de Scripturæ S. efficacia 15
Baptizati primitivæ Eccleſiæ facti ſunt κατεχȣ́μενοι 114
à Joh. Bapt. de Spiritu S. dubitaſſe dicuntur juxta Photin. opinionem ibid.
Beatitudo vera Deum Patrem cognoſcere 94
Bellarmini explicatio de vocabulo mundi 12.135
Benedictio partim de Deo, partim de Chriſto, partim de hominibus dicitur diverſo tamen reſpectu 49
Dei dirigitur ad triplicia objecta ibid.
eſt vel generalis vel ſpecialis ibid.
Chriſti quatuor vicibus in Scripturis demonſtratur 50
Hominum duplex datur 51. 52
Bileamus qualis fuerit Propheta 2
in duplici ſtatu poteſt conſiderari ibid.
Deus verè per ipſum vaticinatus eſt 3
fuit Magus & Propheta 3. 4
item Dei & Diaboli Miniſter ibid.
probatur alio exemplo ibid.

C.

Cæſarii explicatio de quæſtione: Adam, ubi es 42
Calceamenta duorum generum 239
Canonica an ſit hiſtorica dictorum relatio in libro Jobi 33
Capernaum dicitur Civitas Chriſti duplici modo 214

Caput

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Caput Eccleſiæ in quo ſtatu Chriſtus ſit factus 27
- libri quid per hoc intelligi ſoleat 206. 207

Cauſa principalis & miniſterialis verbi divini dicitur Chriſtus, ſed diverſo reſpectu 26. 27

Cephas, Simon & Petrus unius perſonæ nomina 17

Certitudo ſalutis noſtræ non naturalis, ſed ſupernaturalis 159
- dependet à quinq; cauſis 159. 160

Chag (hebr. חג) dupliciter in Scriptura accipitur 217

Chriſtus potens in verbis dicitur triplici reſpectu 14. 15
- in V. T. locutum eſſe dupliciter probatur 25
- conſideratur aliter in V. aliter in N. Teſtam. 26
- eſſe ſolum verum Deum genuinè explicatur & probatur 105
- qua ratione minor Spiritu S. dicatur 27
- Paracletus noſter eſt in utroque ſtatu 119

Chryſoſtomi explicatio de quæſtione: Adam, ubi es 42

Clementiam Deus exercet erga pios, tolerantiam erga impios 70

Cœli quomodo juſtitiam Dei annuncient 75

Cœlum, in quo Deus habitare dicitur, dupliciter accipitur 103
- triplex in Scripturis memoratur 165
- gloriæ aliter de Deo & Chriſto, aliter de Angelis & hominibus beatis accipitur 166
- varia habet nomina ibid.
- cur illud cœlum tertium dicatur, in quod Paulus fuit raptus ib.
- ab Angelis moveri erravit Pererius 180
- it. humeris portari ſomniarunt Jeſuitæ 183

Columna & fundamentum veritatis duplex 237
- Eccleſia ſic dicitur triplici reſpectu ibidem

Communio perſonarum SS. Trinitatis includit tria 84

Comparationis materiale & formale quomodo differant 20. 21

Conceptus eſt Chriſtus à Spiritu S. ſecundum humanam naturam 124
- in hac conceptione tria opera præſtitit Spiritus S. ibid.

Concilium Tridentinum verſionem vulgatam latinam habet pro authentica 30

Concionatus eſt Chriſtus multoties de paſſione & reſurrectione ſua 31

Concionis hujus ab Angelis triplex additio 30

Conſcientia quid ſit 43

Conſilium accipitur dupliciter 129
- definitio JCtorum hujus vocabuli ibid.
- ad humanum duo requiruntur 130
- Deo quidem tribuitur certo autem reſpectu 129
- quando de Deo dicitur, tripliciter accipitur 130. 131

Corporum noſtrorum duplex ſtatus 191

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Creatio dupliciter conſideratur 171
tribuitur Patri duobus modis 172
initium creationis in duplici accipitur ſenſu 173.174
differunt quintupliciter hominis creatio & actio 169

D.

Damnationis ſententia& damnatoriæ ſententiæ manifeſtatio differunt 197
Danielis nomen in libro ſuo ſeptuageſies poſitum eſt 7
Danorum Regum nomina 19
Decreta Dei dupliciter vel etiam tripliciter conſiderantur 127.130.131
ſunt partim legalia, partim evangelicæ 127. 128
æterna eſſe dupliciter probatur 128
Deitas Chriſti triplici modo demonſtratur 38
Dei vocabulum accipitur duobus modis 83
Deorum ordo apud gentes 3plex 44.45
Deus eſt trinus perſonis coexiſtentia æterna 91
vocatur verus var. modis 104
in Sacris loqvens introducitur dupliciter 199
an ſit cauſa peccati 200
Diaboli vox accipitur dupliciter 187. 188
Diaconi vox quot modis conſideretur & quibusnam tribuatur 27
Dicere Dei eſt quaſi facere 38
Dicta Chriſti omnia erant quidem utilia, non autem abſolutè neceſſaria 11
Dies illi ante Solem in mundo exiſtentes fuerunt ſupernaturales 167
malus quid juxta Spiritus S. phraſin ſignificet 170
fecit Deus impium ad diem malum quomodo intelligendum 170.171
Dignitas hominis ante lapſum erat quadruplex 41
Dilectio Dei erga homines fit duobus modis 95
Bellarmini ratio, cur Deus homines diligat ibid.
Diſtinctio inter Spiritum S. & ſanctificationis 6
Doctrina Chriſti conſideratur dupliciter 212
eſt publica quadruplici reſpectu 212.213
Dominium hominis in bruta ante & poſt lapſum idem eſt genere, ſed non ſpecie 245
in genere duplex eſt, abſolutum & limitatum, limitatum tripliciter conſideratur 246.247
in manſueta & ferocia animantia ſe extendit 247
Dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα *qvomodo intelligendum* 161.ſq.
Spiritus S. ſunt duplicia 5
etiam impiis conferri dicuntur 6
Donum à Chriſto partum longè eſt excellentius quàm Adami peccatum, idq; tripliciter 148.149

E.

Eccleſia dicitur grex puſillus 21
judicium duplex regni gratiæ in ea adminiſtratur 100

Eccleſiæ Miniſtri Lactentes & infantes duplici modo dicuntur 236
Efficaciæ Scripturæ ſacræ quotuplex 15.16
à quo dependeat 16
Electionis noſtræ certitudo eſt ordinata 153.154
it. invariabilis & immutabilis 155
Electi quotupliciter conſiderentur 152
deſcribuntur duplici modo 154.155
eos gratia Dei excidere non poſſe Calviniani ſomniant 161
quosdam ex his perire poſſe ſtatuit Huberus 156
an Judas ex hoc numero fuerit ibid.
Epicuræi Deo iram & conſequenter omnes affectus ademerunt 53
Error Franciſci Davidis *Chriſtum non eſſe verum Deum vel unquam in V. T. locutum eſſe* 10.25
Eſaiæ nomen in libro ſuo decies ſepties exprimitur 6
Eſſentia humana eſt finita ſeu diviſa 91
perſonæ Deitatis infinitam eſſentiam totaliter poſſident ib.
Εὐαγγέλιον *&* ἐπαγγελία *differunt* 224
Excidii medium Pharaonis fuit ordinatum 199

F.

Fauſti Manichæi *explicatio quæſtionis: Adam, ubi es* 43
Feſtum (hebr. חג) *dupliciter in Scriptura ſacra ſumitur* 217

Fidei quæ & qua creditur accurata diſtinctio 12.13
Filius Dei quomodo hominibus ſit locutus 25
conſideratur dupliciter 123
cur poſterior Patre ſit 77
quomodo & quotupliciter imago Patris dicatur 80. 94.95
exinde Photiniani concludunt non eſſe verum Deum, quia Dei ſit imago 81
ſplendor gloriæ divinæ quadruplici ratione vocatur 84
in principio apud Deum Patrem fuit 87.88
dicitur in Patre eſſe duobus modis 88
apud Patrem eſſe quomodo intelligendum 91
à Spiritu Sancto mitti dicitur qua ratione 123
rurſus Spiritum S. ſecundum utramq; naturam mittit & probatur quadruplici modo 124.125
Firmamentum veritatis eſt Eccleſia Dei triplici reſpectu 237
eſt vel independens vel dependens 238
Franciſci Davidis error, Chriſtum in V. T. non eſſe locutum 5

G.

Gentes & gens differunt 238
Gloria Dei duplex 44
mutatur duobus modis 45

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Gloriatio Judæorum de quatuor rebus templi Hieroſol. 39
Gratiam Dei penitus amittere dupliciter fieri poteſt 163

H.

Hieroſolymitanum templum cur Meſſiæ vocetur 40
Homo dicitur μικρόκοσμος 78
Hyperbole quidnam ſit 20
quotuplex 23. 24
an etiam in Scriptura S. inveniatur & conſequenter Spiritui S. poſſit tribui 22

I.

Idololatræ mutant gloriam Dei tripliciter 44
Idololatria ſubtilis ſit tribus modis 45
Jeremiæ nomen centies vicies in libro ſuo invenitur 7
Imaginum uſus eſt duplex 47. 48
Imago Patris dicitur Filius Dei qua ratione 80
Oſiandri error 81
Photinianorum & Franciſci Davidis 94
Dei quotuplex ſit 82
qualis Filius Dei dicatur 86
Impii non reſurgere dicuntur qua ratione 254
Indorum Regum nomina 19
Infantes (hebr. *Olelim*) *tripliciter accipiuntur* 235
Inquiſitio Dei eſt triplex 203
Inſcriptio in libro vitæ quomodo & quotupliciter accipiatur 71. 73. 74
Inſpiratio verbi divini an opus ſit unius perſonæ 26
an omnibus verbis in Script. S. continentibus tribuatur 32
Interpretationis Scripturæ S. fundamentum duplex 137
Johannes Bapt. quamdiu ante Christum prædicaverit 39
quoties Chriſto teſtimonium perhibuerit ibid.
Ira datur duplex 55. 56. *an Deo tribui poſſit* 53. *eſt affectus, quod dupliciter probatur* 54. 55. *qualis affectus in Deo & qualis in hominibus* 55
Ironia quid ſit & quotuplex 194
quali Deus utatur ibid.
Iſiodori ſententia quod impiis etiam dona Spiritus S. conferantur 6
Judas an ex numero datorum fuerit 156. *cur filius dicatur perditus* 157
Judicium Dei eſt duplex 66
triplex Chriſto datum 100. 101
extremum conſideratur dupliciter 101
Hebræis dicitur tam de anima quam corpore active & paſſive 255
omne Filio Dei à Patre datum eſſe dicitur quo reſpectu 99. 100
contra nullum Filius Dei judicat quomodo intelligendum 256
Juramenta ſunt partim licita partim illicita 249
Juſtitia Dei eſt æquiſſima 43
Chriſti eſt abundantior peccatis duobus modis 141

L.

Labor ante & poſt lapſum differt 190
Lacteris (hebr. *Jonek*) *tripliciter accipitur* 235. *Eccleſiæ Miniſtri ita vocantur duplici modo* 236

Latino-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Latinorum Regum nomina 17
Legis factores quinam per illos ſint intelligendi 233
Liber vitæ & illius aperitio quid ſit 72
Liberalis viri officium in quinq; punctis conſiſtere Ethnici monent 230
Lumen naturæ & gratiæ 92
Luna & Sol dicuntur Luminaria magna 177. *luminare minus eſt Luna videlicet comparatè* ibid.
Lux mundi Chriſtus & Apoſtoli dicuntur 140

M.

Magiſtratus qua ratione ordinatio humana dicatur 243
Malum culpæ Deo tribui non poteſt, benè tamen malum pœnæ 199
Mandata Dei in Scriptura S. nobis obſervanda tripliciter proponuntur 233. 234
Martyres pii conſiderantur dupliciter 252
Mendacii definitio 194
Mendaces dicuntur homines duplici modo 206
Meritum Chriſti eſt univerſale, applicatio vero particularis 136. 144
Meſſiam juxta Judæorum opinionem non venire, propter incredulitatem fieri aſſerunt 163
Miniſterii Chriſti initium 9
quamdiu duraverit 8. 9.
Miniſterium verbi divini apud pleroſque Judæos inefficacem fuiſſe & quidem ex intentione Dei ſtatuit Piſcator 147
Miniſtri Eccleſiæ dicuntur lactentes & infantes 236. *Chriſti legati duplici modo* 240
Miraculum Chriſti primum & ſecundum 8. *an etiam in adoleſcentia fecerit* ibid.
Miſereri ſimpliciter Deum omniũ hominum non velle erravit Pareus 132
Miſſio Spiritus S. à Chriſto ſecundum utramq; naturam facta quadruplici ratione probatur 124. 125. *Chriſtus etiam à Spiritu S. mitti dicitur* 123. *angeli Deo Patri & Filio tribuitur* 37
Mori peccato aliter de renatis, aliter de non renatis accipitur 160
Mors tripliciter conſideratur 253. *in Scriptura S. tria ſignificat* 250. 251
Moſes infacund. dicitur qua ratione 14
Multi dupliciter accipitur 146
Mundi vocabuli genuina explicatio 135. 136. *falſa verò Bellarmini* 12. *Piſcatoris* 133. *& Toſſani* 134

N.

Nazianzenus conſcientiam vocavit tribunal internum 43
Niſi Particula quomodo accipiatur 156. 157
Nomen Dei quid ſit 46
Notitia Dei duplex eſt 72
Noviſſe Deum ſuos quomodo intelligendum 171

O.

Obedientia Chriſti tota eſt activa 149
Odium dupliciter accipitur 195
an Deo poſſit tribui ibid.
Officium Chriſti ſacerdotale eſt univerſale 140. *angelorum duplex eſt* 185
ὁμοιούσιος & ὁμοούσιος *differunt* 107

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

Opera ſatisfactoria partem pœnitentiæ eſſe contendunt Pontificii 224
bona quâ ratione fructus pœnitentiâ digni vocentur ibid.
bonorum operum uſus & abuſus 232
Operationum Spiritus S. diviſio 6
Optat Paulus anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis quomodo intell. 64
improbatur hoc votum à Calvino ib.
Hieronymus intellexit de morte corporali ibid.
Ordo certus inter Perſonas Deitatis non ſemper obſervatur 78. 79
Oſſa Juſtorum Deus cuſtodit triplici reſpectu 251
Ottomanni à quo ita dicti 17

P.

Paracletus eſt vocabulum ambiguum 119
in utroq; ſtatu Chriſtus dicitur ib.
Spir. S. aut triplici reſpectu ibid.
Parthorum Regum nomina 17
Particulæ ex, per & in *Perſonis Trinitatis aſſignantur & quotupliciter* 79. 121. 122
Paſcha quo ætatis anno à Chriſto fuerit celebratum 9
Pater cur perſona prima nominetur 77. *qualis prioritas intelligenda* ibid. *cum Filio unum eſſe dicitur qua ratione* 107. ſq. *Photinianorum error* 106. 108. *quomodo per Spiritum S. agat* 123
Pauperes dantur duplicis generis 96
Peccatum conſideratur tripliciter 198. *ablatio vel purgatio horum eſt duplex* 210. *Chriſtum in ſtatu exaltationis peccata noſtra expiaſſe Photiniani affirmant* ibid.
Per particula varie in Scripturis uſurpatur 120. ſq. *non ſemper nota cauſæ inſtrumentalis* 121
Perſarum Regum nomina 18
Perſona (πρόσωπον) *tria habet ſignificata* 60. 61
Perſonarum reſpectus duplex 60
Petrus, Simon & Cephas unius perſonæ nomina 17
Pii cruciati in S. Literis duplicem ſuſtinent perſonam 200
Pœnarum Dei duplex genus 69
Pœnitentiæ vox quotupliciter in Scripturis accipiatur 56. *definitio* ib. *cauſæ tres dantur* 56. 57. *dupliciter in ſe comparari poſſunt pœnitentia Dei & hominum* 57. 58
Portare dolores quid propriè ſignificet 137
Potens in dictis quotupliciter quis dici poſſit 14. *triplici reſpectu de Chriſto uſurpatur* 14. 15
Prædicata duplicia Spiritui S. aſſignantur 118
Primogenitus dicitur Chriſtus ſimplici relatione, non verò compoſita 213
Principium conſideratur dupliciter 173
Principia agendi in hominibus dantur tria 205
Profanatio nominis divini fit triplici modo 46
Promiſſiones in N. T. acceptæ ſæpe ſignificant Evangelii doctrinam 228. *triplices in Script. dantur* 228. 229

Prophetæ

Prophetæ & Magi definitiones planè ſunt contrariæ 3
Prophetans non ſtatim pius cenſendus 2
Prophetarum veritas à quo dependeat 3
Prophetiæ Chriſti objectum ſunt homines & conſiderantur dupliciter 141
πϛοσωποληψία *hominum eſt duplex* 60. 62. *tria obtinet ſignificata* 60. 61. *Deo in Scriptura nullibi tribuitur, idqve probatur ſex rationibus* 63.-- 65. *definitur* 64
Providentia Dei ex temporum diſtinctione & viciſſitudine apparet 172
Purgatorium homines ſalvare ſtatuunt Pontificii 222

Q.

Quærere quæ ſurſum ſunt, ſpiritualiter intelligendum 42. 43
Quæſtio hæc Dei: Adam, ubi es, quadruplicem admittit reſpectum 41. 42
Quæſtiones Dei in Scripturis factæ ἀνθϛωποπαθῶς *ſunt intelligendæ* 42

R.

Regnum Chriſti eſt triplex 100
Reprobis Chriſtum non datum eſſe errarunt Piſcator & Toſſanus 136
Res duorum generum in Scriptura S. continentur 22
Romanorum Regum nomina 17

S.

Salvatio hominum fit conditione 134
Salvatoris vox quid ſignificet 142. 143. *à Calvinianis malè explicatur* 141. *omnium hominum Salvator dicitur Chriſtus qua ratione* 143
Sanctificatio Nominis div. triplex 46
Scientia hujus & futuræ vitæ differt 257. 258. *habitus hujus ſcientiæ permanet etiam in futura vita* 257
Scriptura S. eſt authentica 33
Scripturæ S. autoritas à quo dependeat 15. *virtus quanta* ibid. *perfectio* 33. *quid attendendum in illius lectione* ibid.
Semen Abrahæ notat Judæos & gentiles 22
Sermonem Dei Chriſtus nobis manifeſtavit ut cauſa principalis 26
Sermo Angelorum quid per eum intelligatur 220
Similem eſſe & æquari tanquam ſynonyma interdum conjunguntur 76. *homo Deo dicitur ſimilis creatus* 191
Simon, Petrus & Cephas unius perſonæ nomina 17
Simul particula accipitur triplici modo 168
Sol quarta die eſt creatus 166. *in natura conſtituta eſt cauſa diei* 167. *dicitur luminare magnum* 177
Somniorum tria genera Scriptura recenſet 35. 36. *divina partim fidelibus partim infidelibus immittuntur* 36
Spiritualiter pauperes quinam & quotuplices 96
Spiritus illi incumbentis aquis variæ explicationes 109. 110. *Bezæ, Pontificiorum aliorumqve error de* 7. *Spiritibus in Apocalypſi* 113
Spiritus S. eſt Paracletus noſter triplici reſpectu 119. 120. *etiam per impios lo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689

pios loquitur 5. quo reſpectu operatus ſit in Bileamo 6. accipitur interdum pro donis 115. interpellat pro nobis apud Deum dupliciter 117. 118. vocatur arrha à Chriſto data 122. minorem Filio eſſe Ariani dicunt 117. prædicata duplicia ipſi in Scriptura aſſignantur 118. divinitas ejus non infringitur ex interpellatione ibid. non verum cum Patre Deum eſſe Photiniani ajunt 120. tripliciter à Chriſto Apoſtolis datus eſt 126

Splendor gloriæ div. Filius Dei dicitur quatuor de cauſis 84. 85

Stare coram Deo ſervire ſignificat 181. uſurpatur etiam in Scripturis de judicandis 254

Status noſter duplex extra Chriſtum & in Chriſto 98

Stoici Deo iram omnesqve affectus ademerunt 53

Stultus conſideratur tripliciter 234

Succeſſio nulla datur in Deo 128

Sultani unde ſic dicti 17

Surſum eſſe dicitur Chriſtus qua ratione 228. varia inter ea, quæ ſurſum ſunt, numerantur ibid.

Syriæ Regum nomina 18

T.

Tacuit Chriſtus paſſionis tempore ad accuſationes quadruplicem ob cauſam 215. it. ex patientia 214

Tarditas Dei ad iram eſt quaſi longanimitas 66

Termini vitæ cōſtitutio datur 2plex 196

Teſtimonia & Teſtimoniorum objecta differunt 32

Tolerantiam ſuam erga impios Deus triplici modo exercet 70

Tollere peccata quid ſignificet 137

Trinitatis perſonæ conſiderantur dupliciter 84

Turcarum Regum nomina 17

Tyri Reges quomodo ſint vocati 18

V.

Vanitati omnem creaturam ſubjectam eſſe quid ſignificet 175

Vaticinium æſtimatur ex cauſa principali, non verò inſtrumentali 3. propheticum eſt duplex 29

Verax homo dici pot. certo reſpectu 206

Verſioni vulgatæ latinæ an ſemper & certò fidendum 30. concilium Tridentinum pro authentica habet ib.

Viſio datur duplex 92. 229. Patriarchæ & Prophetæ quomodo Deum viderint 92. ex lumine gratiæ nos Deum vidimus & cognoſcimus ibid.

Unctio Aaronis fuit typus Chriſti unctionis 124

Unitas fidelium inter ſe eſt quadruplex 108. Spiritus S. tum eſſentiæ, tum ſubſtantiæ 112

Vocatio Apoſtolorum à ſolo Chriſto facta 242. manifeſtatur quadruplici modo ibid. dicta Scripturæ de hominum vocatione loquentia explicant duo 147. eventus hujus vocationis conſideratur dupliciter 147. 148. vocati ſecundum ſenſum Spiritus S. in quadruplici claſſe ſunt conſtituti 150

Voluntas accipitur dupliciter 130. antecedens & conſequens Deo tribuitur 132. it. abſoluta & ordinata 134

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-372b 4° 1689